

INSECTA SVECICA

DESCRIPTA

A

LEONARDO GYLLENHAL

EXCUB. PRAEF. ET EQU. AUR. ORDINIS DE WASA. REG. ACAD. SCIENT. HOLMENSIS. SOCIET. SCIENT. UPSAL. ET PLUR. SOC. ERUDIT. MEMBRO.

Leonhard Gyllenhaal

CLASSIS I.

COLEOPTERA

SIVE

ELEUTERATA.

TOM. I. PARS IV.

CUM APPENDICE AD PARTES PRIORES.

LIPSIAE

APUD FRIEDERICUM FLEISCHER.

1827.


SMITHSONIAN
SMITHSONIAN INSTITUTION
332692
OCT 2 - 1946
NATIONAL MUSEUM

P r a e f a t i o.

Quae a descriptione Insectorum Svecicorum continuanda, justo diutius me avocarunt, multa variaque fuerunt impedimenta, quibus vero feliciter superatis, nunc demum liceat hujus disciplinae cupidis quartum operis mei Tomum offerre, in quo descriptio primae Classis sive Coleopterorum, ad finem est perducta.

Ex quo tempore multis abhinc annis priores hujus operis partes editae sunt, nimium quantum crevit Entomologia; quare operam dedi, ut in appendice, huic parti adjuncto, eorum reddere conarer rationem, quae sive in disponendis Insectis, sive in nomenclatura immutare proposuerunt serioris aevi Entomologi; atque etiam eos emendare errores, qui in Tomis antea editis deprehenduntur. Hoc etiam temporis spatio in Patria nostra tercenti fere no-

novae Insectorum Species inventae sunt, quae ad Familias in prioribus hujus operis partibus recensitas pertinent, quas itaque, utut a me nondum descriptas, appendici huic inserere animus fuit. Recens observatorum permagnam debeo partem hisce Domm. Entomologis, qui pro ea, quae nos intercedit amicitia, a se inventa et observata benigne mecum communicarunt, scilicet:

Dom. C. J. Schönherr in villa Sparrsäter, a Conciliis Commerciorum, qui amicissime mihi suppeditavit, quae copiosa ejus collectio Insectorum, exquisita Entomologiae peritia et observandi acumen, ad opus hoc amplificandum et perpoliendum suggesserit.

Dom. C. R. Sahlberg, Aboae, Medicinae Doctor, Professor et Eques, qui a longo abhinc tempore a se inventa mecum per-officiose communicavit, cujusque e commentationibus de Insectis Fennicis, quarundam mihi ignotarum Specierum descriptiones exscribere ausus sum. Etsi quidem Finlandia e Regni Sveciae Provinciis esse desiit, meum tamen esse existimavi, ibi recens inventa recensere Insecta, probabili illa ductus conjectura, hasce Spe-

Species in adjacente boreali parte inveniri, si quis has Provincias attentius perlustraverit.

Dom. C. F. Fallén, Lundae, Historiae Naturalis Professor, inter amicos, quos communis Entomologiae amor mihi conciliavit, vetustissimos, cui multa debeo magni momenti in meridionali Sveciae parte observata, quae tamen, quod ad postremos attinet annos, non tam hanc primam spectant classem, quam praecipue sequentes.

Dom. J. W. Zetterstedt, Lundae, Doctor et Professor, qui, quum plerasque Patriae Provincias adiret, multas antea ignotas invenit Species, a multisque retro annis inventorum me participem reddere voluit.

Dom. J. W. Dalman, Doctor, Professor, Musaeique Zoologici Regiae Academiae Scientiarum, quae Holmiae est, Intendens, qui multa ad hoc meum opus adjumenta per-officiose communicavit.

Dom. C. G. Mannerheim, Comes, Imperialis pro rebus Fennicis, quod Petropoli est, Collegii a Secretis, qui diu multumque in Finlandia Sveciaque commoratus et peregrinatus, multa maximi sane momenti primus animad-

ver-

vertit, summaque cum benevolentia tum a se inventorum me participem fecit, tum collectiones meas Sibiricis aliisque Exoticis Insectis liberaliter auxit.

Dom. S. F. Liungh, in villa Skarsiö Smolandiae, Provinciae Camerarius.

Dom. Haeffner, Upsaliae, ad Aulam Regiam Praefectus Musices supremus.

Dom. C. F. Bogeman, in villa Botarp Smolandiae, Centurio.

Dom. C. H. Boheman, in villa Annaeberg, Ostrogothiae, sub-centurio.

Dom. F. D. Wasastjerna, Wasae.

Dom. G. Marklin, Upsaliae.

Quorum quisque, tum in collectionibus meis adaugendis, tum in accuratiori Insectorum Patriae cognitione paranda, insignem mihi praestitit operam, pro qua in me benevolentia nullo non tempore me gratissimum fore, hoc loco mihi liceat profiteri.

Ex Entomologis Exteris, qui literas ad me dare, et commercium Insectorum, quod permutando perficitur, instituere dignati sunt, hoc loco nominasse sufficiat:

Dom.

Dom. Comitem Dejean, Parisiis, e Regni Galliae Primoribus, Generalis locum tenentem, Commendatorem etc., qui maxima cum liberalitate collectiones meas auxit, multasque circa nomenclaturam mihi praebuit correctiones. Muneri mihi mittere illi placuit non tantum opera sua Entomologica, jam antea edita, sed duos etiam priores Tomos Classici sui operis, quod inscribitur: „*Species General des Coleopteres* etc.“ Est vero, quod doleam, operis hujus tum tandem mihi copiam esse factam, quum jamjam hunc operis mei Tomum typis exscribendum Lipsiam transmisissem, nec licuisse mihi opere laudato uti, in Familia Carabicorum describenda. Tantam vero tamque eximiam humanitatem non possum, quin gratissima et venerabunda semper prosequar mente, quod mihi hoc loco liceat declarare.

Dom. J. Schüppel, Berolini, inter Eximios nostri aevi Entomologos, qui multa hujus disciplinae amicis magni aestimanda enucleavit, minutissima praesertim Insecta quod attinet, multasque nomenclaturae emendationes sub-ministravit, quod semper gratissima mente agnoscam.

Si-

Sicut in prioribus hujus operis partibus, ita in hac etiam Descriptiones Insectorum copiose, et quantum potui accurate exposui, iis ductus rationibus, quae in Praefatione Tomi Primi leguntur.

Ad omnes illas species, quae in Dom. Schönherr Synonymia Insectorum, P. I, II, et III, inveniuntur, Classicum hoc opus semper allegavi; alios vero auctores paucos tantum volui allatos, nisi si qui recentiores sint, et apud auctorem nuper laudatum desiderentur.

Dabam in Villa Höberg prope Scaram,
d. 31. Januarii 1827.

L. Gyllenhal.

Auctores Citati,

cum explicatione abbreviationum.

Continuatio.

Ahr. Fn. Ins. Eur.	Aug. Ahrensii Fauna Insectorum Europae; a Dom. Prof. Germar continuata. Fascic. 1 — 8. 12.
Beck Beitr.	Beiträge zur Baierschen Insecten-Fauna etc., von Beck. Augsburg 1817.
Dej. Cat.	Catalogue de la Collection de Coleopteres de M. le Baron Dejean. Paris 1821. 8.
Dufts. Fn. Austr. .	Fauna Austriae, oder Beschreibung der österreichischen Insecten etc., von Kaspar Duftschmied. Linz und Leipzig 1805 u. 1812. Theil 1, 2. 8.
Germ. Mag.	Magazin der Entomologie, von Ernst Fr. Germar. Halae 1813 — 21. Band 1 — 4. 8.
Germ. Ins. Spec. . .	Insectorum Species Novae etc. Auctore E. F. Germar. Vol. I. Halae 1824. 8.
Hummel Ess. Ent.	Essais Entomologiques, par A. D. Hummel. No. 1 — 5. St. Petersbourg 1821 — 26. 8.
Kirby Mon.	The genus *Apion* of Herbsts natur. System, considered etc., by W. Kirby. (In Transactions of the Linnean Society. Vol. IX. London 1808.
Latr. et Dej. Icon. .	Histoire naturelle et Iconographie des Insectes Coleopteres d'Europe, par M. Latreille et M. le Baron Dejean. I. livraison, a Paris 1822. 8.

Leach. Zool. Misc. .	The Zoological Miscellany etc., by W. E. Leach. London 1814 — 1817. Vol. 1, 2, 3. gr. 8.
Mannerh. Eucnem. .	Eucnemis, Insectorum genus, Monographice tractatum a C. G. de Mannerheim. Petropoli 1823. 8.
Nov. Act. Hall. . .	Neue Schriften der naturforschenden Gesellschaft zu Halle. Halae 1811 – 18. 8.
Nicol. Col. Halens.	Diss. sistens Coleopterorum Species agri Halensis. Auct. E. A. Nicolai. Halae 1822. 8.
Payk. Mon. Hist. . .	Monographia Histeroidum, Auct. Gust. de Paykull. Upsaliae 1811. 8.
Reichenb. Mon. Psel.	Monographia Pselaphorum. Auct. H. T. L. Reichenbach. Lipsiae 1816. 8.
Sahlb. Ins. Fen. . .	Diss. Ent. Insecta Fennica enumerans. Praes. C. R. Sahlberg. P. 1 — 9. Aboae 1817 — 23. 8.
Schönh. Curc.	Curculionidum dispositio methodica. Auctore C. J. Schönherr. Lipsiae 1826. 8.
Spence Monogr. . . .	A monography of the Brittish Species of the genus Choleva. by William Spence (in: Transactions of the Linnean Society. London 1813. Vol. XI.) gr. 4.

CLASSIS I.

COLEOPTERA.

SECTIO III.

Tetramera. Cont.

Familia VI. Cerambycini.

Antennae plerisque longae, setaceae, rarius filiformes. Ligula sub-membranacea, basin versus angusta, extrorsum dilatata, aut biloba, aut emarginata. Corpus elongatum. Caput exsertum. Oculi aut lunati aut saltem interne emarginati. Pedes elongati, simplices.

LEPTURA.

Palporum articulus ultimus longior, obconicus, apice truncatus; labiales minores. Maxilla bifida, elongata, angusta, lacinia exteriori multo longiore, arcuata. Ligula membranacea, basi angusta, extrorsum dilatata, aut bifida, aut emarginata, laciniis rotundatis. Caput exsertum, nutans, oculis in-

terne leviter emarginatis. Coleoptra plerumque posterius angustiora.

Fam. I. Thorace lateribus mutico.

Sect. I. Thorace sub-conico, basi latiore, angulis acuminatis, humeros amplectentibus.

1. L. thoracica: nigra sub-nitida, parce pubescens, thorace supra rubro.

Fabr S. El. 2. 356. 14. *Payk. Fn.* 3. 105. 5. *Schönh. Synon.* 3. 480. 18.

Var. *b.* Elytris pedibusque rufis.

Habitat in Finlandia, Bothnia, rarissime.

Statura fere L. 4-fasciatae: sed paulo major; mas minor, angustior, antennis longioribus; Caput rotundatum, nigrum, punctulatum, tenue helvolo-pilosum, pone oculos abrupte angustatum, fronte plana canaliculata; oculi brunnei, antice emarginati; Palpi nigri; Maxillae ferrugineae, apice dense fulvo-villosae. Antennae ante sinum oculorum insertae, nigrae, maris longitudine fere corporis, feminae breviores. Thorax antrorsum angustatus, intra apicem profunde constrictus, margine alte elevato, reflexo; basi sub-sinuatus, angulis compressis retrorsum prominulis; supra parum convexus, subtiliter obsolete punctulatus, pube fusco-rufescente parce adspersus, intra basin sinuatim impressus; dorso et lateribus saturate ruber, margine antico et postico anguste nigris; subtus totus niger. Scutellum triangulare acutum nigrum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, thorace quintuplo longiora, posterius valde attenuata, apice oblique emarginata, angulo externo producto acuto; supra convexa, tota nigra, sub-nitida, confertim punctata, pube tenui fusca

fusca adspersa. Corpus totum subtus nigrum, subtiliter et obsolete punctulatum, tenue pubescens. Pedes elongati nigri, tibiis tarsisque subtus fulvo-ciliatis. Var. b. in omnibus simillima, modo color elytrorum et pedum rufo-testaceus. Individuum hujus varietatis, mortuum et exsiccatum, in trunco Betulae putridae prope Wasam, una cum genuina specie lectum et a Dom. Wasastjerna communicatum.

2. L. pubescens: nigra, pube griseo-holosericea undique adspersa, thorace depresso subtiliter ruguloso, elytris apice externo acuminatis.

Fabr. S. El. 2. 358. 19. *Payk. Fn.* 3. 106. 7. *Schönh. Syn.* 3. 480. 21.

Var. b. Tibiis basi plus minusve testaceis. *Schönh. l. c. var. β.*

L. Holosericea (obscura) F. S. El. 2. 358. 22.

Var. c. Elytris tibiarumque basi testaceis. *Payk. l. c. var. β. Schönh. l. c. var. γ.*

Habitat in silvaticis rarius.

Statura L. rubro-testaceae, sed plerumque paulo minor in utroque sexu. Caput nigrum, subtiliter punctulatum, tenue pubescens, pone oculos coarctatum, fronte plana, leviter canaliculata; os fusco-testaceum; oculi magni ovati prominuli, interne anguste emarginati. Antennae magis tenues quam affinibus, articulo primo tantum magno, extrorsum incrassato; nigrae, maris longiores, apice fusco-piceae. Thorax anterius angustior, intra apicem constrictus, lateribus pone medium compressus, basi sinuatus, angulis productis; supra sub-depressus, obsolete canaliculatus et ante scutellum impressus, totus niger, subtilissime ruguloso-punctatus, pube cinereo-holosericea decumbente adspersus. Scu-

tellum triangulare acuminatum nigrum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, thorace quintuplo longiora, apicem versus valde attenuata, apice oblique emarginata, angulo exteriore elongato acuto; supra convexa, tota nigra, subtiliter punctulata, pube simili uti thorax adspersa. Corpus totum subtus nigrum, subtilissime punctulatum, pube griseo-holosericea nitida, in pectore densiore, vestitum; segmentum ultimum ventrale maris late emarginatum, angulis acutis; feminae truncatum, integrum. Pedes elongati nigri; tibiis tarsisque rufociliatis — Var. b, differt tantum tibiis, praesertim anterioribus basi testaceis.

Var. c. Omni puncto simillima, colore excepto; Elytra enim tota testacea et tibiae omnes rufo-testaceae, apice nigrae; tarsi antici etiam fusco-testacei. Ex utraque varietate ambo sexus inveniuntur.

3. L. nigripes: nigra, griseo-pubescens, elytris obscure testaceis, thorace convexiore profundius punctato, elytris apice obtuse rotundatis.

De Géer Ins. 5. 136. 12. *Payk. Fn.* 3. 121. 23. *Schönh. Syn.* 3. 478. 16.

Habitat in silvaticis rarius, praesertim in Provinciis borealibus.

Magnitudo et facies L. rubro-testaceae, maris, sed vere distincta, thorace postice angulato, elytris apice rotundatis, etc. Caput nigrum, confertim subtilius ruguloso-punctatum, griseo-pubescens, pone oculos abrupte coarctatum, fronte plana, carinula parum elevata longitudinali; os et antennae nigra. Thorax anterius angustior, juxta apicem profunde constrictus, margine alte elevato; basi sinuatus, angulis compressis, versus humeros productis; supra convexus, in medio carinula elevata obsoleta et abrupta notatus, totus niger, griseo-pubescens, confertim et evidentius rugoso-punctatus. Scutellum triangulare piceum,

piceum, helvolo-pilosum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, thorace quintuplo longiora, posterius valde angustata, apice simultaneae obtuse rotundata, supra parum convexa, obscure testacea, confertim subtiliter ruguloso-punctata, parce griseo-pubescentia. Corpus subtus totum nigrum, subtilissime punctulatum, densius griseo-pubescens, ano maris late sed parum profunde emarginato, angulis acutis, feminae leviter emarginato, lobis rotundatis. Pedes elongati, toti nigri.

4. L. villica: rufo-ferruginea, sub-pubescens, antennis, pectore, scutello elytrisque nigris.

Fabr. S. El. 2. 357. 16. *Payk. Fn.* 3. 113. 14. *Schönh. Syn.* 3. 480. 20.

Leptura revestita. Linn. Syst. 2. 638. 6.

Habitat in Finlandia, *Dom. de Paykull*; in Kinnakulle Westrogothiae, *Dom. Prof. Dalman*; in Blekingiae quercu, *Dom. Com. de Mannerheim*; raro occurrit.

Masculis L. rubro-testaceae paulo brevior, minus attenuata. Caput obsolete punctatum, tenue pubescens, rufo-ferrugineum, versus os dilutius testaceum, fronte verticeque canaliculatis; oculi ovati brunnei, antice anguste emarginati. Antennae longitudine fere corporis, nigro-piceae, articulo primo fusco-ferrugineo. Thorax anterius paulo angustior, intra apicem obsolete constrictus, lateribus pone medium compressus, basi sinuatus, angulis productis acuminatis; supra parum convexus, obsolete canaliculatus, inaequalis, obsoletissime punctulatus, tenue pubescens, totus undique rufo-ferrugineus. Scutellum triangulare nigrum, pubescens. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, thorace vix quintuplo longiora, apicem versus minus attenuata,

nuata, apice ipso oblique emarginata, angulo exteriore acuminato; supra parum convexa, in dorso antico fere plana, tota nigra, confertim subtiliter punctulata, tenue pubescentia. Corpus subtus magis nitidum, parce subtiliter punctulatum, tenue pubescens, pectore abdominisque basi nigris, ano late rufo. Pedes elongati rufi, tarsis tibiarumque posticarum apice infuscatis.

5. L. melanura: angusta nigra, griseo-pubescens, confertissime punctulata, thorace oblongo, elytris discoloribus, apice nigris.

Mas: Elytris lividis, sutura apiceque anguste nigris.

Femina: Elytris rufis, sutura apiceque late nigris.

Linn. Fabr. Oliv. Payk. Panz. Marsh. Schönh. Syn. 3. 474. 6.

L. Sutura nigra. De Géer Ins. 5. 138. 15.

Habitat in floribus ubique frequens.

Corpus angustum, posterius attenuatum. Caput nigrum opacum, confertissime punctulatum, pone oculos abrupte coarctatum; frons plana, antice leviter canaliculata; os piceum maxillis pallidis. Antennae nigrae, maris longitudine corporis, feminae paulo breviores. Thorax elongatus, antrorsum angustior, truncatus, basi bi-sinuatus, angulis productis acuminatis, supra convexus, obsoletissime canaliculatus, totus niger, tenue griseo-pubescens, confertissime ruguloso-punctatus. Scutellum triangulare nigrum, sub-laeve. Elytra antice thorace paulo latiora, humeris elevatis, thorace fere quintuplo longiora, apicem versus valde angustata, apice ipso oblique subemarginata, angulo exteriore acuminato; supra parum convexa, confertissime punctata, parce griseo-pubescentia,

scentia, livida vel fusco-testacea, sutura anguste apiceque parum late nigris; feminae rufescentia, sutura apiceque late nigris. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, subtilissime punctulatum, pube densiore grisea nitida vestitum. Pedes nigri, postici valde elongati.

6. L. nigra: angusta nigra, sub-nitida, tenue pubescens, abdomine rufo, thorace obsolete punctato.

Linn. Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 486. 38.

Var. *b.* Abdomine basi nigro.

Habitat in floribus non infrequens.

Statura angusta, attenuata L. melanurae, sed paulo minor. Caput nigrum obsolete punctulatum, versus os angustatum, fronte antice tenue canaliculata. Antennae totae nigrae. Thorax anterius valde angustatus, basi bi-sinuatus, angulis productis acutis, humeros amplectentibus; supra convexus, totus niger, nitidus, parce et obsoletissime punctulatus. Scutellum triangulare nigrum, sub-laeve. Elytrorum forma omnino ut in L. melanura, tota nigra, subnitida, evidentius punctata, subtiliter pubescentia. Pectus nigrum, opacum, subtilissime punctulatum, sericeo-pubescens; abdomen laete rubrum, nitidum, parce punctulatum et pubescens, ano fusco-piceo. Pedes elongati nigri. Var. b, differt tantum segmentis duobus primis ventralibus nigris.

7. L. praeusta: sub-linearis nigra, pube aurea nitida tecta, capite elytrorumque apice nudis, antennarum basi pedibusque testaceis.

Fabr. Oliv. Panz. Fallén. Schönh. Syn. 3. 487. 40.

Habi-

Habitat in floribus rarius; in Scania, *Dom.* Prof. *Fallén;* in Blekingia, *Dom. Schönherr;* in Kinnakulle Westrogothiae, *Dom. Boheman.*

L. laevi parum major ejusdemque staturae. Caput rotundatum nigrum, confertissime subtiliter punctulatum, fronte plana anguste canaliculata; os testaceum; oculi brunnei. Antennae tenues fuscae, articulo primo testaceo. Thorax capite paulo angustior, apice truncatus, basi sub-bi-sinuatus, angulis compressis acuminatis; supra convexus, confertissime subtiliter ruguloso-punctatus, niger, pube densa, depressa, aurea nitida tectus. Scutellum parvum triangulare nigrum, aureo-villosum. Elytra thorace paulo latiora et quintuplo longiora, fere linearia, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, nigra, confertissime subtiliter ruguloso-punctata, pube depressa aurea nitida tecta, relicto solo apice nudo nigro. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctulatum, pube aureo-nitente, sub thorace et in pectore densiore, in abdomine ad margines segmentorum tantum vestitum. Pedes mediocres testacei, tarsis fuscis.

8. L. ruficornis: sub-linearis nigra, griseo-pubescens, confertim punctulata, antennis pedibusque testaceo-nigroque variegatis.

Fabr. Payk. Rossi. Schönh. Syn. 3. 486. 36.

L. femorata var. minor. Oliv. Ent. 4. 73. 31. 44. *Pl.* 2. *f.* 15, *a*, *b*.

Habitat in floribus passim, minus frequens.

Minima nostratum hujus generis, Saperdae praeustae aequalis. Caput rotundatum nigrum, confertissime punctulatum, parce griseo-pubescens, fronte plana, antice,

antice canaliculata; os testaceo-variegatum. Antennae corpore paulo breviores, articulis duobus baseos totis rufo-testaceis, reliquis basi testaceis, apice nigris. Thorax antice paulo angustior, truncatus, basi bisinuatus, margine elevato, angulis prominulis acuminatis; supra convexus, niger, confertissime ruguloso-punctatus, pube densiore griseo-flavescente nitida vestitus. Scutellum parvum triangulare nigrum, dense pubescens. Elytra thorace paulo latiora et quintuplo longiora, linearia, apice singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra, profundius et crebrius quam thorax punctata, parcius pubescentia. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctulatum, pube griseo-sericea nitida tectum, ani margine plerumque testaceo. Pedes elongati, testaceo-nigroque variegati, primi paris rufo-testacei, linea nigra versus apicem femorum superne tarsisque fuscis; mediorum femora interne testacea, apice nigra, tibiae nigrae, apice sub-testaceae, tarsi nigro-fusci; postici nigri, femoribus tantum basi testaceis.

9. L. 4-fasciata: saturate nigra, elytris fasciis quatuor flavo-testaceis abbreviatis, prima interrupta, pedibus nigris.

Linn. Fabr. Oliv. Payk. Schönh. Syn. 3.494.63.

Habitat in floribus pratorum silvestrium sat frequens.

E majoribus generis, sed variat magnitudine; mas dimidio minor femina et ultra. Caput rotundatum nigrum, confertissime punctulatum, fusco-pubescens, fronte in-aequali canaliculata; os nigrum, maxillis pallidis; oculi magni brunnei, interne sat profunde sed anguste emarginati. Antennae validae nigrae, apice piceae, maris longitudine corporis, feminae breviores. Thorax antrorsum valde angustatus, apice truncatus, basi multi-sinuatus, intra basin et apicem transversim profunde impressus, angulis baseos validis acu-

acuminatis, supra in disco parum convexus, inaequalis, subtilissime ruguloso-punctulatus, pube griseo-flavescente adspersus. Scutellum triangulare nigrum, punctulatum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, thorace quadruplo longiora, apicem versus attenuata, apice ipso oblique emarginata, angulo exteriore longiore acuminato; supra modice convexa, nigra, confertim punctulata, parce pubescentia: sub callo humerali macula oblonga flavo-testacea, et ante medium baseos alia oblique quadrangula, nullibi margines tangens; ante medium elytri fascia undulata ejusdem coloris, et paulo pone medium altera ejusmodi, suturam non attingens; tandem intra apicem macula ovata, transversa, libera, omnes aut laete flavae, aut saturatius lutescentes. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctulatum, pallescenti-pilosum. Pedes elongati nigri, sub-pubescentes.

10. L. aurulenta: saturate nigra, thorace antice posticeque fascia flavo-aurea, elytris fasciis quatuor abbreviatis flavo-testaceis, antennis pedibusque testaceis.

Fabr. Panz. Schönh. Syn. 3. 495. 64.

Habitat in Finlandiae silvaticis rarissime, *Dom. Pfeiff.*

Magnitudo et statura praecedentis. Caput rotundatum nigrum, confertissime punctulatum, fusco-pubescens, fronte antice canaliculata; os ferrugineum, mandibulis palpisque apice piceis; oculi ut in praecedenti. Antennae etiam similiter constructae, sed feminae totae ferrugineo-testaceae, maris fusco-piceae. Thorax quoad structuram, impressiones, dentes baseos, colorem et puncturam omnino ut apud L. 4-fasciatam descriptus, sed in margine elevato antico fascia transversa recta, et intra basin altera arcuata e pilis densis flavo aureis reclinatis. Scutellum elongato-triangulare nigrum, dense flavo-pubescens. Elytra

tra quoad formam, dentes apicis, colorem et puncturam ut in priore, sed fasciae aliter constructae, saturatius fulvo-testaceae: prima lata, basin totam occupans, nec ad humerum interrupta, secunda paulo ante, tertia pone medium, arcuatae, ad suturam angusto interruptae; quarta intra apicem, lunata. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctulatum, pectoris lateribus marginibusque segmentorum ventralium villositate fulvo-aurea ornatis. Pedes elongati ferruginei, femoribus basi plus minusve nigris, tarsis fuscis.

11. L. armata: elongata nigra, griseo-pubescens, antennis pedibusque flavo-variis, elytris flavis, fasciis quatuor nigris, anteriore punctis constante.

Herbst Arch. *Schönh. Syn.* 3. 493. 62.

Mas: Tibiis posticis bidentatis. *Schönh. loc. cit.*

L. Calcarata. Fabr. Payk. Dej. Cat. p. 112.

Femina: Tibiis posticis muticis; segmentis tribus primis ventralibus luteis, basi plus minusve nigris. *Schönh. l. c.*

L. sub-spinosa. Fabr. Oliv. Payk.

Habitat in floribus pratorum silvestrium passim.

L. 4-fasciata longior, sed angustior. Caput magnum, ovatum, nigrum, subtilissime confertim punctulatum, tenue pubescens, in-aequale, fronte antice canaliculata, ore luteo-vario; oculi magni brunnei, anguste emarginati. Antennae maris longitudine corporis, feminae breviores, articulis 1 et 2, baseos totis nigris, reliquis basi luteis, apice nigris. Thorax elongatus, antrorsum valde angustatus, juxta apicem transversim impressus, lateribus pone medium compres-

pressus, unde in medio marginis protuberantia tuberculiformis exstat; basi bi-sinuatus, angulis productis acutis; supra convexus, confertim subtiliter ruguloso-punctatus, in medio obsolete canaliculatus, totus niger, griseo-pubescens. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris prominulis, thorace quadruplo longiora, apicem versus valde angustata, apice ipso oblique emarginata, angulo exteriore acuminato; supra modice convexa, evidenter punctata, pallido-pubescentia, laete flava; ante medium fascia prima nigra macularis, maculis quinque constans, duabus nempe in singulo elytro, et quinta communi in sutura, quae tamen saepe deest, et tunc laterales minores, punctiformes; secunda in medio prope marginem, semi-ovata, interrupta, interdum umbra fusca cum opposita connexa; tertia posterius, lata integra; quarta apicem ipsum occupat. Corpus subtus subtilissime confertim punctulatum, nitidum, tenue pubescens, maris totum nigrum; in femina segmenta tria anteriora ventris flava, basi plus minusve nigra; tertium tamen saepe nigrum, macula tantum laterali flava utrinque. Pedes quatuor anteriores flavi, tibiarum apice tarsisque nigris; postici nigri, femoribus tibiisque basi flavis; tarsi in femina flavo-nigroque variegati; tibiae posticae maris interne dentibus duobus armatae, uno in medio, altero versus apicem; tibiae feminae simplices.

Obs. Varietas feminae, Schönh. l. c. var. b, seu Leptura Sinuata Fabr. S. El. 2. 363. 55, quoad picturam elytrorum valde diversa, fascia nempe prima nigra integra, ad suturam valde dilatata, utrinque sinuata, fasciaque secunda externe cum tertia confluente, angulosa; in ceteris omnino conveniens; haec vero apud nos non inventa, quantum mihi innotuit.

12. L. attenuata: elongata, angusta, nigra, subtilissime ruguloso-punctata, antennis

tennis extrorsum, pedibus fasciisque quatuor elytrorum luteis.

Mas: Abdomine rufo, apice, interdum etiam basi nigro.

Femina: Abdomine nigro, segmento 2do et 3o basi tantum rufis.

Linn. Fabr. Oliv. Payk. Schönh. Syn. 3. 492. 59.

Habitat in floribus pratorum silvestrium, praesertim in Provinciis borealibus.

L. armatae similis, sed longe minor, praesertim angustior. Caput magnum nigrum, subtilissime confertim punctulatum, ore luteo-variegato; oculi magni prominuli brunnei, anguste emarginati. Antennae longae, inferne nigrae, extrorsum luteo-ferrugineae. Thorax elongatus, antrorsum valde angustatus, fere conicus, intra apicem parum impressus, basi-bi-sinuatus, angulis productis acuminatis; supra convexus, subtilissime confertim rugoso-punctulatus, tenue pubescens, totus niger. Scutellum triangulare nigrum pubescens, vix punctulatum. Elytra thoracis basi parum latiora et illo quadruplo longiora, posterius valde angustata, apice oblique emarginata, angulo exteriore elongato acuminato; supra modice convexa, confertim punctulata, nigra, pallido-pubescentia, fasciis quatuor luteis, sutura nigra interruptis; prima in ipsa basi, latior, inaequalis; secunda ante medium, interne juxta suturam descendens; tertia pone medium, interne utrinque dilatata; quarta intra apicem, transversim ovata. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctulatum, tenue pubescens, ventre maris rufo, apice et interdum etiam basi nigro; venter feminae niger, segmentis 2do et 3tio, basi plus minusve rufis. Pedes valde elongati pallide rufescentes, femoribus tibiisque posticis apice nigris, tarsis omnibus fuscescentibus.

13. L.

13. L. Sex-maculata: brevior nigra pubescens, confertissime punctulata, elytris apice rotundatis flavo-testaceis, limbo fasciisque tribus undatis nigris.

Linn. Payk. *Schönh. Syn.* 3. 491. 57.

Var. *b.* Elytris nigris, fasciis tribus flavis, prima interrupta, reliquis linearibus undatis. *Schönh. l. c. var. b.*

Leptura tri-fasciata Fabr. S. El. 2. 365. 62.

Habitat in floribus pratorum silvestrium, passim.

Praecedentibus brevior, minus angustata, magnitudine et statura L. virgineae similis. Caput oblongum nigrum, confertissime subtiliter punctulatum, tenue pubescens, fronte leviter canaliculata; os piceum; oculi magni brunnei. Antennae longitudine corporis, basi nigrae, extrorsum piceo-ferrugineae. Thorax antice coarctatus, lateribus rotundatus, basi bi-sinuatus, angulis acuminatis, lateraliter productis; supra valde convexus, in medio obsolete canaliculatus, totus niger opacus, confertissime punctulatus, griseo-pubescens. Scutellum sub-triangulare nigrum, subtilissime punctulatum, apice obtusum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, thorace vix quadruplo longiora, posterius sensim paulo angustiora, apice singulatim rotundata, dehiscentia, supra parum convexa, confertim subtiliter ruguloso-punctata, tenue pubescentia, flavo-testacea; ipsa basis media nigra, quae nigredo per callum humeralem arcuatim descendit, ibique cum fascia prima nigra confluit, remanente angulo inferiore humerali flavo; fascia haec prima nigra plerumque constat macula exteriore difformi, aliaque communi ad suturam, jam majore, sinuata, sutura nigra, connexa, jam minore, libera, oblonga; fascia secunda in medio,

dio, undulata, jam latior, suturae connexa, jam minor, abbreviata, suturam non attingens, tertia est nigredo lata apicis, antice undulata. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctulatum, griseo-pubescens. Pedes elongati nigri pubescentes, tarsis piceis, ungulis testaceis.

In var. b, fasciae nigrae elytrorum dilatatae et confluentes, ut elytra potius nigra dicenda; prope medium baseos singuli elytri macula magna sinuata flavo-testacea, aliaque parva sub callo humerali; praeterea fasciae duae angulato-flexuosae ejusdem coloris, jam latiores, jam angustae, priore paulo ante, posteriore pone medium elytri; cetera ut in a, omnia.

Sect. 2. Thorace lateribus rotundato, angulis posticis brevissimis submuticis.

14. L. virens: nigra, confertissime ruguloso-punctata, pube flavo-virescente nitida, subtus densiore, undique vestita, thorace profunde canaliculato, antennis luteo-annulatis.

Linn. Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 482. 24.

Habitat in floribus sat frequens.

E majoribus generis. Caput oblongum nigrum, confertissime punctulatum inaequale, pube densa flavo-virescente nitida tectum, versus os magis nudum, ore piceo, maxillis setosis testaceis; oculi magni brunnei anguste emarginati. Antennae validae, articulis 1 et 2 baseos nigris, flavo-pubescentibus, reliquis basi flavo-testaceis, apice nigris. Thorax sub-ovatus, anterius angustior et juxta apicem constrictus, basi bi-sinuatus, angulis brevissimis, inflexis; supra con-

convexus, inaequalis, in medio profunde canaliculatus, confertim ruguloso-punctatus, niger, pube densa flavo-virescente vestitus. Scutellum semi-ovale, pube densissima flavo-aurea tectum. Elytra antice thoracis basi dimidio fere latiora, humeris elevatis, thorace quintuplo longiora, posterius valde angustata, apice oblique emarginata, angulis parum prominulis; supra parum convexa, nigra confertissime ruguloso-punctata, pube simili uti thorax vestita. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, pube longiore et densiore, magisque nitida, flavescenti-aurea vestitum. Pedes elongati nigri, pube flavo-virescente obducti.

15. L. rubro-testacea: elongata nigra, confertissime punctulata, griseo-pubescens, tibiis tarsisque testaceis, thorace postice retuso, supra plano.

Illig. Dejean. Schönh. Syn. 3. 481. 22.

Mas: Elytris pallide testaceis immaculatis.

L. testacea. Linn. Fabr. Oliv. Panz. De Géer.

Femina: Thorace supra elytrisque rubris immaculatis.

L. rubra. Linn. Fabr. Oliv. De Géer. Panz.

Var. *b*, feminae: vertice maculis duabus ovatis rubris. *Schönh. l. c. var. b.*

Habitat in silvaticis frequens.

Mas: Magnitudo media, valde tamen varians. Caput magnum ovatum nigrum, confertissime punctulatum, griseo-pubescens, fronte verticeque canaliculatis; os testaceo-variegatum. Antennae validae nigrae, fusco-pubescentes, longitudine corporis; medio subserratae. Thorax anterius angustior, juxta api-

cem profunde constrictus, lateribus rotundatus, basi subsinuatus, angulis minutis, parum prominutis; juxta basin transversim depressus vel retusus, supra in disco fere planus, obsolete canaliculatus, confertim rugoso-punctatus, totus niger, pube densa grisea vestitus. Scutellum triangulare acutum nigrum, griseo-pubescens. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, thorace quadruplo longiora, apicem versus valde angustata, apice ipso oblique emarginata, angulo exteriore producto acuto; supra parum convexa, pallide testacea immaculata, confertim punctata, pallido-pubescentia. Corpus subtus nigrum, confertissime punctulatum, pube pallida nitida, in pectore et segmentorum ventralium marginibus densiore, adspersum. Pedes elongati validi, femoribus nigris, tibiis tarsisque testaceis, tibiarum posticarum ut et tarsuum apicibus infuscatis.

Femina plerumque dimidio major, praesertim latior. Antennae corpore breviores. Thorax supra ruber, margine apicis reflexo piceo; intra angulum posticum utrinque foveola impressa, unde ipse angulus magis elevatus et tumidus. Elytra tota rubra immaculata. Tibiae et tarsi rufo-testacei. Cetera ut in mare.

Var. b, differt tantum maculis duabus ovatis rufis in ipso vertice juxta collum.

16. L. tomentosa: brevior nigra, confertim punctata, cinereo-pubescens, elytris pallide testaceis apice nigris, pedibus brevioribus validis.

Fabr. Payk. Oliv. Schönh. Syn. 3. 474. 4.

Habitat in floribus apud nos rarius.

Masculis praecedentis speciei multo brevior, sed latior. Caput latum, versus os angustatum, totum nigrum, confertissime punctulatum, tenue pubescens,

fronte canaliculata; oculi magni brunnei, anguste emarginati. Antennae longitudine fere corporis, crassiusculae, totae nigrae. Thorax antice valde angustatus et juxta apicem transversim impressus, lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-sinuatus, angulis minutis; in medio baseos impressus, supra convexus, confertim sat profunde punctatus, totus niger, pube densa grisea vestitus. Scutellum parvum triangulare nigrum pubescens. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, thorace vix quadruplo longiora, posterius angustata; apice oblique emarginata, angulo exteriore acuminato; supra modice convexa, confertim punctata, pubescentia, pallide testacea, apice late nigro. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctulatum, pube flavo-grisea nitida adspersum. Pedes validi, breviores quam in plerisque hujus generis, toti nigri, tibiis posticis compressis.

17. L. scutellata: latior nigra, parum pubescens, confertim profundius punctata, thorace rotundato, scutello flavo pubescente.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 485. 30.

Habitat in Scania Australi rarius, *Dom. Quensel.*

Inter majores generis, latior, parum attenuata. Caput magnum, saturate nigrum, confertissime punctatum, fronte anguste canaliculata, ore testaceo-variegato, oculi nigro-brunnei, anguste emarginati. Antennae corpore breviores, crassiusculae, totae nigrae. Thorax antice angustior, juxta apicem sat profunde constrictus, lateribus rotundatus, basi sinuatus et depressus, margine ipso baseos et angulorum posticorum pilis luteo-fulvis nitidis ciliato; supra modice convexus, totus niger, confertissime et sat profunde rugoso-

pun-

punctatus, vix pubescens. Scutellum semi-ovale nigrum, pilis densis luteo-fulvis tectum. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis fere rectangulis, posterius minus angustata quam in plerisque, apice oblique emarginata, supra parum convexa, tota nigra, confertissime et antrorsum profunde, posteriora versus subtilius punctata, parum pubescentia. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, subtiliter punctulatum, parum pubescens. Pedes breviusculi validi, toti nigri.

18. L. cincta: elongata sub-depressa nigra, griseo-pubescens; elytris lividis rubrisve, margine apiceque nigris, apice emarginatis.

Schönh. Syn. 3. 477. 15.

Mas: Elytris lividis, margine laterali apiceque nigris, sutura anguste fusca. *Schönh. l. c. mas.*

Femina: Elytris rubris, margine laterali apiceque nigris. *Schönh. l. c. femina. Illig. Mag.* 4. 121. 12.

Var. *b.* feminae: Elytris rubris, plaga magna communi margineque laterali nigris. *Schönh. l. c. var. γ.*

Var. *c.* feminae: Elytris corpore concoloribus, totis nigris. *Schönh. l. c. var. δ.*

Habitat in floribus passim; var. b et c apud nos rarissime occurrunt. *Dom. de Paykull.*

Mas: Statura elongata, angusta L. melanurae, sed

 paulo

paulo major, minus convexa. Caput magnum, rotundatum nigrum, subtiliter punctulatum, griseo pubescens, vertice depresso, fronte obsoletissime canaliculata; os testaceo-varium; oculi magni brunnei, anguste emarginati. Antennae longitudine corporis, totae nigrae. Thorax oblongus, capite cum oculis angustior, intra apicem late et profunde constrictus, lateribus parum rotundatus, basi sinuatus, angulis brevibus rotundatis, intra basin transversim depressus; supra parum convexus, obsoletissime canaliculatus, totus niger, subtiliter punctulatus, pube densiore suberecta grisea adspersus. Scutellum triangulare nigrum pubescens. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis rotundatis, thorace quadruplo longiora, posterius angustata, apice oblique emarginata, angulo exteriore acuminato; supra sub-depressa, livida vel griseo-testacea, profundius et minus crebre quam thorax punctata, parum pubescentia; margo lateralis fere totus ut et apex nigra, sutura anguste fusca. Corpus subtus nigrum, confertissime punctulatum, pube longiore depressa griseo-holosericea vestitum. Pedes elongati nigri pubescentes.

Feminae caput, thorax et scutellum omnino ut in mare, sed antennae corpore breviores. Elytra latiora, posterius minus attenuata, rubra, margine laterali apiceque nigris, sutura vero vix infuscata. Corpus et pedes ut in mare.

Var. b, feminae plerumque major; elytra rubra, margine laterali apiceque nigris, et praeterea in dorso plaga magna communis nigra, antice bifida, postice nigredinem apicis non attingens; cetera ut in a.

Var. c, ut var. b, sed elytra tota nigra immaculata.

19. L. Sanguinolenta: elongata nigra convexior, confertissime punctulata, griseo-pubescens, elytris lividis rubrisve, apice emarginatis.

Mas:

Mas: Elytris lividis, apice nigris.
Femina: Elytris rubris immaculatis.
Linn. Fabr. Oliv. Illig. Panz. Schönh. Syn. 3. 477. 14.

Habitat in floribus pratorum sat frequens.

Praecedenti valde affinis, aegre distinguenda, praesertim mas, qui tamen masculis L. cinctae paulo minor; caput, antennae, thorax, scutellum ut in illo omnino, modo thoracis discus magis convexus, vix ac ne vix canaliculatus. Elytrorum forma et color etiam ut in illo, sed margo exterior posterius tantum nonnihil infuscatus, et sutura omnino immaculata. Corpus et pedes ut in priore.

Femina magis differt, paulo brevior et multo magis convexa; elytra saturatius rubra, omnino immaculata. Cetera ut in femina praecedentis.

20. L. sanguinosa: elongata sub-depressa nigra, confertissime punctulata, parum pubescens, elytris sub-linearibus laete sanguineis, apice rotundatis.

Habitat in floribus rarius.

L. sanguinolentae quidem facie similis, eiusdemque fere magnitudinis, sed multo magis depressa, sublinearis et ut videtur distincta. Caput magnum, rotundatum, versus os angustatum, saturate nigrum confertissime punctulatum, parum pubescens, vertice fere plano, fronte anterius obsolete canaliculata et supra os transversim impressa; oculi prominuli nigro-brunnei, anguste emarginati. Antennae validae, totae nigrae, longitudine corporis. Thorax latitudine media vix longior, juxta apicem late et profunde constrictus, margine alte elevato, reflexo; lateribus nonnihil rotundatus, basi bi-sinuatus, angulis brevibus compressis, rotun-

rotundatis; supra inaequalis, ante medium baseos late et profunde impressus, antrorsum late sed obsolete canaliculatus, totus saturate niger, confertissime punctulatus, vix pubescens. Scutellum parvum triangulare nigrum, obsolete punctulatum. Elytra antice thoracis basi plus quam dimidio latiora, humeris elevatis, fere rectangulis, thorace quintuplo longiora, posterius parum angustata, apice ipso obtuse rotundato integerrimo; supra fere plana vel perparum convexa, laete sanguinea immaculata, sub-micantia, confertim et profundius quam thorax punctata, praesertim anterius. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, pube tenui cinerascente adspersum. Pedes elongati toti nigri, ungulis ferrugineis.

21. L. maculicornis: nigra punctulata, elytris parum angustatis obscure testaceis, apice oblique truncatis fuscis, antennis medio flavo-annulatis.

Fabr. De Géer. Payk. Schönh. Syn. 3. 474. 3.

Habitat in floribus sat frequens.

Longitudo L. melanurae sed latior, minus attenuata. Caput magnum, latum, versus os rotundatum, punctulatum nigrum, parum pubescens, vertice plano, obsolete canaliculato; oculi magni brunnei, anguste emarginati. Antennae in utroque sexu longitudine fere corporis, validae, nigrae, articulis mediis, 3—6 vel 7, basi annulo pallido cinctis. Thorax sub-ovalis, antice angustior et juxta apicem constrictus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, angulis brevibus rotundatis; supra convexus, aequalis, totus niger, confertim punctulatus, tenue pubescens. Scutellum parvum triangulare nigrum, obsolete punctulatum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis fere rectangulis, thorace quadruplo longiora, apicem versus parum angustata, apice ipso introrsum obli-

oblique truncato; supra fere plana, confertim profundius punctata, parce pubescentia, livida vel obscure testacea, apice ipso margineque laterali fuscis. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, cinereo-pubescens. Pedes mediocres, toti nigri.

22. L. strigilata: brevis nigra, griseo-pubescens, thorace-canaliculato parcius punctulato, elytris luride testaceis, vitta humerali nigro-fusca.

Fabr. Payk. Schönh. Syn. 3. 476. 11.

Var. *b.* Elytris vitta humerali destitutis. *Payk. Schönh. l. c. var. β.*

Habitat in floribus sat frequens.

Praecedente paulo minor, praesertim brevior, magnitudine tamen valde varians. Caput angustum, valde elongatum nigrum, minus crebre punctulatum, fronte inter antennas canaliculata; oculi valde prominuli, vix emarginati. Antennae tenues, totae nigrae, maris longitudine corporis, feminae breviores. Thorax anterius valde angustatus, juxta apicem constrictus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, angulis brevissimis; prope basin depressus, supra convexus, in medio late et profunde canaliculatus, totus niger, subnitidus, parcius punctulatus, pube longiori sub-erecta grisea adspersus. Scutellum triangulare nigrum, vix punctulatum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis rectangulis, thorace vix quadruplo longiora, apicem versus parum angustata, apice ipso truncata, supra parum convexa, confertim evidentius punctata, pube densiore grisea adspersa, obscure testacea, vitta nigro-fusca obliqua, ab humero inchoante, posterius evanescente, apice suturaque anguste infuscatis. Corpus subtus nigrum sub-nitidum,

sub-

subtilissime punctulatum, parcius pubescens. Pedes mediocres, toti nigri.

Var. b, differt tantum elytris pallidioribus immaculatis, absque vitta humerali, et hoc in utroque sexu.

23. L. livida: sub-linearis nigra, profundius punctata, cinereo-pubescens, elytris testaceis immaculatis, tibiis anticis ferrugineis.

Fabr. Oliv. Herbst. Schönh. Syn. 3. 476. 10.

Habitat in Finlandiae floribus rarius. *Dom. Schönh.*

L. laevi paulo brevior, sed latior, profundius punctata, longius pubescens. Caput elongatum, anterius angustatum, nigrum, confertim punctulatum, cinereo-pubescens, fronte inter antennas canaliculata; os testaceo-varium; oculi prominuli brunnei, anguste emarginati. Antennae validae, totae nigrae, maris longitudine corporis, feminae breviores. Thorax sub-ovalis, anterius multo angustior et juxta apicem leviter constrictus, lateribus parum rotundatus, basi bisinuatus, angulis brevissimis sub-rectis; supra valde convexus, pulvinatus, aequalis, totus niger sub-nitidus, confertim profunde punctatus, pube sub-erecta cinerea adspersus. Scutellum parvum triangulare nigrum, apice emarginatum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis rectangulis, thorace quadruplo longiora, posterius nonnihil angustiora, apice singulatim obtuse rotundata vel fere sub-truncata, supra modice convexa, profunde et minus crebre punctata, cinereo-pubescentia, tota pallide testacea immaculata. Corpus subtus nigrum nitidum, obsolete punctulatum, tenue cinereo-pubescens. Pedes mediocres nigri, tibiis anticis ferrugineo-testaceis, mediis tarsisque omnibus fusco-piceis.

24. L. laevis: lineari-elongata angusta nigra, pallido-pubescens, elytris lividis, sutura apiceque nigris, pedibus testaceis.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 475. 8.

Habitat in floribus, praesertim Rubi, sat frequens.

Parva, praecedentibus angustior, fere linearis. Caput rotundatum nigrum, confertim punctulatum, pubescens, fronte canaliculata, ore palpisque testaceis. Oculi prominuli brunnei, interne emarginati. Antennae longitudine fere corporis, fusco-piceae, articulo primo plerumque ferrugineo. Thorax oblongus, antice paulo angustior, lateribus pone medium compressus, basi bi-sinuatus, angulis parvis pilosis; supra convexus, posterius obsolete canaliculatus, totus niger, confertim punctulatus, pube depressa pallida nitida adspersus. Scutellum triangulare nigrum pubescens; vix punctulatum. Elytra antice thoracis basi vix dimidio latiora, humeris elevatis, thorace quintuplo longiora et ultra, sub-linearia, versus apicem parum angustata, apice singulatim rotundata, dehiscentia; supra modice convexa, evidenter crebre punctata, pallido-pubescentia, livida vel obscure testacea, sutura anguste apiceque infuscatis. Corpus subtus nigrum nitidum, punctulatum, pallido-pubescens. Pedes elongati rufo-testacei, femoribus posticis apice nigricantibus.

25. L. Sex-guttata: lineari-elongata nigra, crebre punctulata, cinereo-pubescens, elytro singulo maculis tribus luteis longitudinaliter digestis.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 496. 71.

Var. *b.*

Var. *b.* Elytrorum maculis posterioribus interne confluentibus. *Payk. Schönh. loc. cit. var. β.*

Leptura exclamationis. Fabr. Oliv.

Habitat in Provinciis borealibus. *Dom. Uddman.* In Suecia meridionali. *Dom. de Paykull.* Raro apud nos occurrit.

Longitudo L. melanurae, sed paulo latior, magis linearis. Caput magnum, latum, nigrum, confertissime punctulatum, parce pubescens, vertice plano, fronte inter antennas canaliculata; os testaceo-varium; oculi magni brunnei, anguste emarginati. Antennae longitudine fere corporis, totae nigrae. Thorax oblongus, antrorsum valde angustatus, basi bi-sinuatus, angulis obtusis; in medio baseos impressus, supra convexus, aequalis, totus niger, confertissime punctulatus, pube sub-erecta grisea adspersus. Scutellum semi-ovatum nigrum, pube densa grisea tectum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis rectangulis, thorace quintuplo longiora, sub-linearia, apice ipso truncata, supra parum convexa, profundius confertim punctata, parum pubescentia, nigra sub-nitida, maculis in singulo tribus luteis; prima ovata ad basin interiorem versus scutellum; secunda paulo ante, tertia pone medium disci, majores, sub-transversae. Corpus subtus subtilissime punctulatum, pube tenui depressa cinereo-albida nitente tectum. Pedes mediocres toti nigri, ungulis ferrugineis.

Var. b, in omnibus simillima, modo maculae duae posteriores elytrorum interne confluentes, simul arcum externe apertum formantes.

Obs. Dom. Fabricius L. 4-pustulatam Syst. El. 2. 361. 41, Sueciae incolam esse dicit; testante attamen Dom. de Paykull, qui eandem Fabricio communicavit, Sibiria hujus est insecti patria.

26. L. rufipes: lineari-elongata nigra, cinereo pubescens, confertim punctata, thorace sub-ovali convexo, elytris apice integris, pedibus rufis, basi apiceque nigro fuscis.

Fabr. Schall. Schönh. Syn. 3. 484. 26.

Leptura atra var. pedibus medio rufis. Payk. Fn. Sv. 3. 125. 26.

Var. *b.* Pedibus totis nigris. L. atra. *Payk. l. c. a.*

Habitat in Finlandia rarius. *Dom. de Payk.*

Statura lineari-elongata L. 6-guttatae, sed plerumque paulo major. Caput magnum, porrectum, rotundatum, nigrum, confertim punctatum, pube longa erecta cinerea adspersum, ore angustato piceo; oculi magni brunnei, interne anguste emarginati. Antennae longitudine fere corporis, sub-filiformes, nigrae. Thorax sub-ovatus, anterius multo angustior, truncatus, margine non reflexo, lateribus rotundatus, basi bisinuatus, angulis brevissimis; supra convexus, in medio obsoletissime canaliculatus, totus niger, confertim punctatus, pube longa erecta cinerea adspersus. Scutellum triangulare nigrum, obsolete punctulatum, pube densa depressa cinerea tectum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis rotundatis, thorace quadruplo longiora, posterius parum angustiora, apice sub-truncata, angulo exteriore rotundato, suturali sub-prominulo; supra modice convexa, confertim et profundius rugoso-punctata, praesertim anterius; pube breviori cinerea parcius adspersa, tota nigra, subnitida. Pectus et abdomen nigra, subtilissime punctulata, pube densiore depressa sericeo-nitida tecta. Pedes elongati validi, femoribus clavatis rufis, basi nigris; tibiis basi rufis, apice tarsisque totis nigris, cinereo-pubescentibus.

Var. b,

Var. b, in omnibus simillima, modo paulo minor, pedes toti nigri.

Obs. Specimina ipsa originalia, e museo Paykulliano communicata, lustravi, unde de genuina specie nullum dubium. L. atra Fabr. Oliv. Schönh. huic var. b, quidem primo intuitu similis, abunde tamen distincta; plerumque major, thoracis margo anticus reflexus et ejus anguli postici elongati, acuminati, elytrorum apex quoque emarginatus, angulo exteriore producto, acuminato.

27. L. smaragdula: brevior, nigra, sublinearis, pube depressa virescente undique tecta, thorace gibbo canaliculato, parce punctato.

Fabr. Payk. Schönh. Syn. 3. 483. 25.

Var. *b*, nigra, pube tenuiore cinerea adspersa. *Schönh. l. c. var. β.*

Leptura morio. Fabr. S. El. 2. 365. 65.?

Habitat in Provinciis borealibus, Lapponia, Bottnia, Dalekarlia.

Statura sub-linearis, depressa fere Cantharidis, et C. nigricanti magnitudine aequalis. Caput latum, elongatum, sub-depressum, nigrum, confertim punctulatum, pube griseo-virescente parcius obductum, vertice vix canaliculato, modo inter antennas canalicula brevis; os testaceo variegatum; oculi ovati brunnei, omnino integri. Antennae tenues, filiformes nigrae, longitudine corporis. Thorax latitudine media vix longior, anterius juxta apicem late et profunde transversim impressus vel constrictus, margine alte elevato, lateribus valde rotundato-ampliatus, versus basin iterum angustior, basi bisinuatus, angulis rotundato-ampliatus, versus basin iterum angustior, basi bi-

bisinuatus, angulis rotundatis, et intra basin late et profunde transversim impressus, unde discus superior valde elevatus, fere gibbus, in medio obsolete canaliculatus; totus niger, in medio parcius, versus latera confertim punctulatus, pube densa, sub-depressa virescente undique tectus. Scutellum oblongo-triangulare nigrum, subtilissime punctulatum, pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, thorace quadruplo longiora, posterius parum angustiora, apice sub-truncata vel perparum emarginata, angulo suturali nonnihil prominulo; supra fere plana, confertim punctulata, tota nigra, pube depressa virescente tecta. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, pube depressa laete viridi tectum. Pedes elongati nigri, tenue cinereo-pubescentes.

Var. b, in omnibus simillima, modo pubescentia minus densa et colore cinerea, tam supra quam infra.

28. L. marginata: brevior nigra, sub-linearis, tenue pubescens, vertice thoraceque canaliculatis, elytrorum margine laterali rufo-testaceo.

Naezén Act. Holm. 1794. 271. 6. *Panz. Fn.* 69. *f.* 17.

Leptura smaragdula. Payk. Fn. 3. 118. 20. *var. β. Schönh. Syn.* 3. 483. 25. *var. γ.*

Var. *b.* tibiis etiam rufo-testaceis.

Leptura marginata. Fabr. S. El. 2. 360. 32.

Leptura smaragdula. Schönh. l. c. var. δ et ε.

Var. *c*, ut var. b, sed antennarum articuli inferiores etiam basi rufo testacei. *Schönh. l. c. var. ζ.*

Var. *d.*

Var. *d.* fere tota nigra, elytrorum margine versus basin tantum obscure testaceo. *Schönh. l. c. var. b.*

Leptura morio. Fabr. S. El. 2. 365. 65. *forte.*

Var. *e.* Elytris totis rufescentibus, antennis pedibusque nigris. *Schönh. l. c. var.* η.

Habitat in silvaticis passim; var. e in Lapponia. *Dom. Schönherr.*

Praecedenti quidem valde similis et affinis, attamen specie distincta mihi videtur, plerumque major, latior; caput brevius, in vertice canaliculatum; thorax minus profunde constrictus ejusque discus inde minus gibbus; Elytrorum margo lateralis distincte rufo-testaceus; pubescentia totius corporis per-tenuis cinerea etc. Caput latum, sed minus elongatum minusque versus os angustatum quam in priori, nigrum, subtiliter punctulatum, tenue cinereo-pubescens, vertice fronteque inter antennas canaliculatis. Oculi et antennae ut in priori. Thoracis forma fere eadem, sed ejus latera minus dilatata, impressiones transversales apicis et baseos minus profundae, quare etiam discus minus elevatus; ceterum in medio obsolete canaliculatus, parce punctulatus, totus niger nitidus, pube sub-depressa cinerea parum densa adspersus. Elytra quoad formam ut in praecedenti, evidenter confertim punctata, pube brevi cinerea parce adspersa, nigra nitida, margine laterali fere toto rufo-testaceo, antice latius. Corpus subtus nigrum nitidum, obsolete punctulatum, cinereo-pubescens. Pedes elongati nigri.

Var. b, differt tantum tibiis, aut omnibus, aut posterioribus tantum rufo-testaceis, apice plus minusve infuscatis.

Var. c, ut var. b, sed praeterea antennarum articuli 2 — 6, etiam basi rufo-testacei.

Var. d,

Var. d, differt margine elytrorum versus basin tantum rufo-testaceo, et hoc saepe obscure. Utrum haec, an var. b praecedentis, L. morio Fabricii, aegre dijudicandum.

Var. e, ut a, sed elytra tota rufo-testacea; forte junior, immatura.

29. L. femorata: brevior, nigra, sub-linearis, confertim punctulata, cinereo-pubescens, thorace canaliculato, antennis femoribusque basi rufo-testaceis.

Fabr. Oliv. Payk. Schönh. Syn. 3. 485. 34.

Habitat apud nos rarius, *Dom. de Paykull;* prope Holmiam, *Dom. Schönherr.*

Statura et magnitudo L. marginatae. Caput latum, rotundatum, nigrum, opacum, confertim punctulatum, tenue cinereo-pubescens, vertice plano, fronte inter antennas canaliculata; os testaceum, palpis apice fuscis; oculi ovati prominuli, vix emarginati. Antennae tenues, longitudine fere corporis, articulis 3 vel 4 baseos rufo-testaceis, reliquis fusco-piceis. Thorax anterius multo angustior, juxta apicem constrictus, lateribus rotundatus, posterius coarctatus, basi bi-sinuatus, angulis brevissimis rotundatis; intra basin transversim depressus, disco convexus, pulvinatus, in medio obsolete canaliculatus, totus niger, opacus crebre punctulatus, pube densiori cinerea depressa vestitus. Scutellum triangulare nigrum pubescens, vix punctulatum. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris rotundatis, thorace quadruplo longiora, posterius parum angustata, apice sub-truncata, supra modice convexa, confertim et sat profunde punctata, parum pubescentia, tota nigra, sub-nitida. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, pube cinerea nitida, praesertim in pectore, obductum. Pedes elongati tenues, femoribus rufis, anticis supra macula nigra

gra versus apicem notatis, reliquis apice late nigris; tibiae anticae testaceae, posteriores basi fusco-ferrugineae.

30. L. collaris: brevior nigra, fusco-pubescens, elytris nigro-coerulescentibus, thorace sub-globoso supra, abdomineque toto rubris.

Linn. Fabr. Oliv. Payk. Schönh. Syn. 3. 497. 74.

Var. *b.* thorace toto nigro. *Payk. Schönh. l. c. var. β.*

Habitat in floribus sat frequens; var. *b.* raro occurrit.

Minoribus generis adnumeranda. Caput elongatum, depressum, versus os angustatum, totum nigrum, subnitidum, parce punctulatum, ore testaceo-variegato; oculi ovati integri. Antennae nigrae, longitudine corporis. Thorax anterius angustatus, lateribus rotundatus, basi leviter sinuatus, angulis non prominentibus, supra valde convexus, sub-globosus, parce punctulatus, fusco-pubescens, supra et lateribus saturate ruber, nitidus, subtus in medio niger. Scutellum triangulare nigrum, vix punctulatum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis rectangulis, thorace quadruplo longiora, posterius vix angustata, apice obtuse rotundata, supra parum convexa, sat profunde punctata, fusco-pubescentia, tota nigro-coerulea nitida. Pectus nigrum, obsolete ruguloso punctatum, cinereo-pubescens; abdomen parce punctulatum, totum laete rubrum. Pedes elongati nigri, fusco-pubescentes.

Var. b, in omnibus simillima, modo thorax totus undique niger.

31. L.

31. L. virginea: brevior nigra, supra glabra, thorace canaliculato, lateribus tuberculato, elytris latis coeruleo-violaceis, abdomine luteo-rufescente.

Linn. Fabr. Oliv. Payk. Schönh. Syn. 3. 497. 75.

Habitat in floribus, locis humentibus, passim.

Praecedenti plerumque duplo major. Caput oblongum, sub-depressum, nigrum, sub-nitidum, confertim rugoso-punctatum, ore pubescente; oculi ovati brunnei integri. Antennae nigrae, longitudine fere corporis. Thorax parvus, intra apicem late et profunde constrictus, margine elevato reflexo, lateribus rotundatus et ante medium tuberculo laterali obtuso armatus, basi bi-sinuatus, angulis non prominulis; supra convexus, in medio sat profunde canaliculatus, totus niger, glaber, nitidus, in disco parce, versus latera crebrius punctatus. Scutellum triangulare depressum nigrum, obsolete punctatum, sub-pubescens. Elytra magna, thoracis basi duplo latiora, humeris valde elevatis rectangulis, thorace fere quintuplo longiora, posterius vix angustiora, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, profunde rugoso-punctata, aut coerulea, aut violacea, aut virescentia, aut ex his coloribus mixta, rarius aenea, limbo violaceo; semper glabra, sub-nitida. Pectus nigrum, obsolete punctulatum, tenue pubescens; abdomen fere laeve; totum testaceum vel luteo-rufum, nitidum. Pedes minus elongati, toti nigri.

Obs. Varietas thorace supra rufo, a Dom. Com. Dejean e Styria et a Dom. Prof. Eschscholtz e Sibiria communicata, apud nos non occurrit, quantum mihi innotuit.

32. L. interrogationis: villosa nigra confertissime punctulata, thorace lateribus tuberculato, elytris attenuatis, flavo nigroque variis.

a) Elytris flavis, singulo vitta discoidali difformi, macula scutellari communi tribusque intramarginalibus nigris.

Linn. Fabr. Oliv. Payk. Schönh. Syn. 3. 490. 52. *except. var.* ζ.

Var. *b*, ut *a*, sed loco maculae communis scutellaris, macula parva ovata in singulo elytro juxta basin scutelli.

Var. *c*, ut *a*, sed vitta discoidalis interrupta, unde exstant in singulo elytro maculae sex vel septem nigrae. *Payk. Schönh. l. c. var.* ε.

Var. *d*, signaturis nigris elytrorum dilatatis, confluentibus, vitta nempe media cum macula scutellari et lateribus connexa. *Payk. Schönh. l. c. var.* β.

Var. *e*, Elytris nigris, sutura posterius, apice, punctis duobus intra marginem humerisque flavis. *Payk. Schönh. l. c. var.* γ.

Var. *f*, Elytris nigris, sutura posterius, apice angulisque humeralibus inferne flavis. *Payk. Schönh. l. c. var.* δ.

Habi-

Habitat in floribus, praesertim Spireae, in Suecia boreali, Lapponia; etiam in Scania ad Esperöd a *Dom. Prof. Fallen* et *Zetterstedt* sat copiose lecta.

Statura L. 4-maculatae, sed plerumque duplo minor. Caput latum, rotundatum, anterius angustatum, totum nigrum, opacum, confertissime punctularum, cinereo-villosum, ore fulvo-ciliato; palporum articulus ultimus crassior quam in prioribus, fere ut in Rhagio; oculi prominuli brunnei, interne late sed parum profunde emarginati. Antennae longitudine corporis totae nigrae. Thorax antice late et profunde transversim impressus, margine apicis alte elevato, rotundato, lateribus utrinque fere in medio, tuberculo sub-acuminato armatus, basi sub-sinuatus, angulis obtusis; intra basin transversim impressus, supra in disco modice convexus, totus niger, griseo-villosus, confertissime punctulatus, relicta linea abbreviata in medio plerumque impunctata. Scutellum triangulare nigrum, rugoso-punctatum, fulvo-pilosum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis rotundatis, thorace quintuplo longiora, posterius angustata, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, crebre punctulata, pube tenui pallida adspersa, laete flava, nigro-maculata; macula prima transversim quadrangula scutellum cingens; secunda pone humerum juxta marginem, oblonga; tertia intra medium marginis, conica; in disco interiori vitta arcuata, interdum postice interrupta, signo Interregationis non dissimilis; margo suturalis anguste nigricans. Corpus subtus nigrum, punctulatum, griseo-pubescens. Pedes elongati nigri tarsis et interdum tibiis fuscis.

Var. b, differt tantum macula scutel'ari in duas parvas ovatas divisa, una in quovis elytro.

In var. c, vitta discoidalis medio interrupta; pars ejus posterior aut maculam liberam constituit, aut cum macula marginali confluit, unde numerus macularum varians.

In var. d, signaturae nigrae dilatatae confluentes; vitta media antice aut cum macula scutellari connexa, aut illi approximata, ut et cum maculis marginalibus confluens; ante apicem fascia lunata lutea, suturae conjuncta, saepe angusta, et ipse apex luteus.

In var. e, color niger dominans; sutura et apex anguste, macula humeralis et duae minores intra-marginales tantum flava supersunt.

In var. f, elytra tota nigra, modo sutura versus apicem anguste et macula parva sub humero flava.

33. L. borealis: angustior, nigra, punctulata, thorace lateribus tuberculato, elytris fascia obliqua baseos, arcu medio maculaque intra apicem, flavis.

Leptura interrogationis var. ζ, Payk. Schönh. Syn. 3. 491.

Habitat in Finlandia. *Dom. Pfeiff. Mus. Dom. Schönherr.*

Affinis quidem L. interrogationis, diversa tamen videtur, longe minor, praesertim angustior, L. melanurae aequalis; praeterea subtilius punctulata, elytrorum signaturae aliae, antennae, tibiae et tarsi fusco-testacei etc. Caput oblongum, anterius angustatum, nigrum, punctulatum, fronte leviter canaliculata, ore testaceo-variegato; oculi brunnei, parum emarginati. Antennae longitudine corporis fusco-testaceae. Thorax oblongus, intra basin et apicem late sed parum profunde constrictus; lateribus rotundatus et tuberculo parvo obtuso armatus, basi bisinuatus, angulis rotundatis, supra convexus, obsoletissime canaliculatus, crebre subtiliter punctulatus, tenue pubescens, totus niger, opacus. Scutellum triangulare acutum nigrum, vix punctulatum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis rotundatis, thorace quintuplo longiora, posterius valde angu-

angustata, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, subtilissime confertim punctulata, tenue pubescentia, nigra, signaturis variis flavis notata; ab humero nempe fascia abbreviata, utrinque emarginata, oblique versus suturam ducta; in medio arcus magnus, apertura extrorsum spectante, nec marginem neque suturam attingens; longe ante apicem, suturae propius, macula mediocris angulata, omnia laete flava. Corpus subtus nigrum, punctulatum; densius cinereo-pubescens. Pedes elongati, femoribus nigris, tibiis tarsisque fusco testaceis.

Obs. Species ultimae, propter tuberculum laterale thoracis, transitum ad familiam sequentem parant.

Fam. 2. Thorace utrinque spina vel tuberculo acuminato armato.

34. L. 4-maculata: nigra opaca, cinereo-pubescens, antennis longitudine corporis, elytris pallidis, maculis quatuor rotundatis nigris.

Linn. Fabr. Oliv. Payk. Schönh. Syn. 3. 488. 45.

Var. *b*, maculis duabus anterioribus elytrorum deficientibus.

Habitat in Finlandiae, Bothniae silvis, etiam in Scania, var. *b*, raro occurrit.

Statura fere L. rubro-testaceae, et magnitudo pari modo variat. Caput oblongum, inaequale, nigrum, opacum, griseo-pubescens, confertim punctatum, oculis prominulis brunneis, interne emarginatis. Antennae longitudine corporis, totae nigrae. Thorax valde inaequalis, juxta apicem late profundissime constrictus, margine apicis alte elevato, rotundato; lateribus rotundatus, utrinque tuberculo acuto armatus, intra basin,

sin iterum profunde transversim impressus, basi sinuatus, angulis rotundatis; supra in disco convexus, profunde canaliculatus, totus niger, opacus, confertissime punctatus, pube decumbente grisea tectus. Scutellum triangulare nigrum, pube densa flavescente tectum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris valde elevatis, rotundatis, thorace quadruplo longiora, posterius valde angustata, apice ipso oblique truncata, supra parum convexa, anterius rude et profunde rugoso-punctata, posterius sensim subtilius et obsoletius punctulata, tota pallida, parum flavescentia, sub-nitida, fere glabra; in singulo disco, ante medium macula rotunda nigra, et paulo pone medium altera, plerumque major, magisque angulosa. Corpus subtus nigrum punctulatum, pube depressa flavescente tectum. Pedes elongati nigri, femoribus punctulatis, pallido-pubescentibus, tibiis tarsisque atroholosericeis.

Var. b, differt tantum defectu maculae anterioris nigrae in quovis elytro.

35. L. Lamed: nigra, sub-nitida, griseo-pubescens, antennis brevioribus, elytris totis rugoso punctatis lividis; vitta humerali obliqua maculaque apicali nigris.

Fabr. Payk. Schönh. Syn. 3. 489. 46. *α. β.*

Cerambyx Lamed. Linn. Syst. 2. 630. 46. *Fn. Su.* 649.

Var. *b*, vitta elytrorum valde dilatata, cum macula apicis confluente, ut margo lateralis suturaque anguste, litura baseos maculaque lateralis tantum livida supersint. *Payk. Schönh. l. c. var. γ.*

Var. *c*, elytris totis nigris. *Payk. Schönh. l. c. var. δ.*

Habi-

Habitat in silvis acerosis passim; var. c, raro occurrit.

Statura et affinitas praecedentis; magnitudo pari modo valde variat. Caput magnum, oblongum, nigrum, sub-nitidum, confertim punctulatum, pube tenui sub-erecta grisea adspersum, fronte verticeque impressis, canaliculatis; oculi brunnei, interne emarginati. Antennae corpore paulo breviores, totae nigrae. Thorax quoad structuram omnino ut ad praecedentem descriptus, totus niger, sed nitidus, subtilius punctulatus, pube tenuiori sub-erecta griseo-flavescente adspersus. Scutellum triangulare nigrum, vix punctulatum, tenue pubescens. Elytrorum forma fere ut in priori, antice tamen adhuc latiora et paulo minus convexa, apice oblique truncata, interdum leviter emarginata, supra modice convexa, undique a basi ad apicem aeque profunde rugoso-punctata, glabra, livida seu pallide testacea; ab ipso angulo humerali vitta nigra inaequalis, oblique versus medium suturae ducta, et intra apicem macula nigra ob-conica, antice emarginata; vitta ista humeralis saepe juxta suturam cum macula posteriore confluit; alia vice vitta haec interne obsoleta et macula apicis parva, evanescens, ut in a, Paykulli. Corpus subtus nigrum punctulatum, pube tenui sub-erecta adspersum. Pedes valde elongati, toti nigri, pubescentes.

In var. b, liturae elytrorum nigrae valde dilatatae, relicto tantum margine exteriori et macula illi contigua in medio pallidis; saepe etiam margo suturalis anguste pallidus, et litura indeterminata ad basin interiorem.

In var. c, elytra tota nigra, immaculata.

36. L. spadicea: nigra, sub-nitida, griseo-pubescens, antennis longitudine corporis, elytris undique rugoso-punctatis brunneo-testaceis.

Payk.

Payk. Fn. 3. 103. 3. *Schönh. Syn.* 3. 489. 47.

Var. *b*, elytris nigris. *Payk. Schönh. l. c. var. β.*

Habitat in silvis rarius.

Praecedenti nimis affinis, aegre distinguenda, plerumque minor, angustior. Caput, oculi, thorax, scutellum, corpus et pedes quoad minimum punctum ut ad praecedentem descripta. Antennae longitudine corporis in utroque sexu, totae nigrae. Elytra basi minus lata, versus apicem magis angustata videntur, quam in priori, uni-colora, aut brunneo-testacea, aut saturatius brunnea, aut brunneo-nigra, rarius omnino nigra, ut in var. b; ceterum ut in priori undique profunde rugoso-punctata, glabra, apice oblique truncata.

37. L. meridiana: elongata, utrinque attenuata, subtilissime punctulata, supra cinereo, subtus aureo vel argenteo sericeo-pubescens, varicolor.

Fabr. Payk. Schönh. Syn. 3. 478. 17.

a) nigra, ore, antennarum basi, elytris, pedum maxima parte abdomineque, maris toto, feminae apice tantum testaceis. *Schönh. l. c. α.*

Var. *b*, omnino ut a in utroque sexu, sed elytrorum sutura et apex late nigricantia. *Schönh. l. c. var. β.*

Var. *c*, nigra, ore, antennarum basi, elytrorum costa anterius, pedum maxima parte

parte anoque testaceis. *Schönh. l. c. var. γ.*

Var. *d*, nigra, ore, femorumque basi intima solis testaceis. *Schönh. loc. cit. var. δ.*

Habitat in floribus pratorum silvestrium passim; var. *c*, rarius apud nos occurrit.

E maximis generis, sed magnitudine valde variat, plerisque magis angustata, praesertim mas. Caput elongatum nigrum, confertim punctulatum, pube depressa cinerea aut flavescente tectum, vertice frontеque profunde canaliculatis, ore palpisque testaceo-variis; oculi sub-globosi brunnei, interne emarginati. Antennae longitudine corporis in utroque sexu, nigrae, articulis primis testaceis, saepe apice nigris. Thorax oblongus, antice angustior, intra basin et apicem transversim profunde impressus, lateribus utrinque tuberculo sub-acuminato armatus, basi bi-sinuatus, angulis rotundatis; supra in disco convexus, profunde canaliculatus, totus niger, confertim punctulatus, pube depressa griseo-flavescente tectus. Scutellum rotundatum nigrum dense flavescenti-pubescens. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis rotundatis, thorace quintuplo longiora, posterius valde angustata, praesertim maris, apice oblique introrsum truncata, supra parum convexa, tota testacea, confertim punctulata, pube depressa grisescente tecta. Thorax subtus et pectus nigra, obsolete punctulata, pube densa, depressa, sericeo-micante, in masculis flavo-aurea, in feminis argenteo-margaritacea; abdomen maris totum testaceum, feminae nigrum, lateribus apiceque plus minusve testaceum, pube simili uti pectus obductum. Pedes valde elongati testacei, genubus, tibiarum apice tarsisque plus minusve nigricantibus.

Var. b, omnino ut a, in utroque sexu, sed elytrorum sutura et apex late nigricantia, et antennarum basis minus testaceo-variegatus.

In

In var. c, elytra nigra, costa humerali tantum testacea; os et antennarum basis testaceo-varia ut in b; abdominis apex testaceus, sesqui-tertio segmento. Feminas tantum ita coloratas vidi.

Var. d, tota nigra, ore solum testaceo-variegato et coxis cum intima basi femorum ejusdem coloris; etiam ex hac varietate feminas tantum vidi.

38. L. cursor: pubescens, thorace inaequali acute spinoso, elytris elevato-costatis, confertim coriaceo-rugulosis, apice acuminatis.

Latr. Gen. Ins. 3. 41. *De Géer. Ins.* 5. 127. 3.

Rhagium cursor. Fabr. Payk. Schönh. Syn. 3. 415. 8.

Mas: totus niger, cinereo-pubescens, ore antennarumque radice ferrugineo-variegatis. *Payk. Schönh. l. c. mas.*

Cerambyx et Rhagium noctis. Linn. Fabr. Thunb.

Femina: major, praesertim latior, nigra, flavescenti-pubescens, ore, antennis, corpore pedibusque ferrugineo-variegatis, elytris rufis, sutura vittaque nigris. *Payk. Schönh. l. c. femina.*

Cerambyx cursor. Linn. Rhagium id. Fabr.

Habitat in silvaticis passim.

Mas L. meridianae feminae magnitudine aequalis, et ejus var. d, facie simillimus. Caput oblongum nigrum, confertim rugoso-punctatum, cinereo-pube-

scens.

scens, vertice fronteque profunde canaliculatis, ore ferrugineo-variegato; oculi magni brunnei, interne late emarginati; ipsa radix antennarum et tuberculum interne adnexum saturate rufo-ferruginea; ceterum antennae nigrae, extrorsum piceae, longitudine corporis. Thorax oblongus, intra basin et apicem late et profunde constrictus, lateribus rotundatus, utrinque spina valida acuminata, nonnihil recurva, armatus, basi bi-sinuatus, angulis rotundatis; supra in disco inaequalis, costis duabus elevatis, canaliculam latam mediam includentibus, in cujus fundo carinula angusta glabra elevata; totus niger, confertim rugoso-punctatus, pube cinerea adspersus. Scutellum triangulare nigrum, dense cinereo-pubescens. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis rotundatis, thorace quintuplo longiora, posterius valde angustata, apice summo suturali acuminato; supra in dorso parum convexa, inaequalia, costata, prima ex humero exeunte magis elevata, fere carinata, interioribus 2. s. 3 in disco, obsoletioribus, abbreviatis; tota nigra, confertissime rugulosa vel coriacea, pilis rigidis cinereis adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pube densiore cinereo-albida, sericeo-micante, tectum. Pedes elongati nigri, cinereo-pubescentes.

Femina multo latior, sed non longior. Caput pube densiore flavescente tectum; os fere totum rufo-ferrugineum, mandibulis piceis. Antennae corpore paulo breviores, ferrugineae, articulis apice sub-fuscis. Thorax supra niger, pube flavescenti adspersus, subtus et lateribus ferrugineo-variegatus. Scutellum pube densa flavescente tectum. Elytra rufa, pube flavescente parcius adspersa; vitta nigra communis, posterius attenuata, in sutura et alia ab humero juxta costam lateralem, intra apicem abbreviata. Pectus nigrum; abdomen lateribus et postice ferrugineum, una cum thorace pube densa, depressa, flavescente, sericeo-micante tectum. Pedes rufescentes, femoribus supra linea lata nigra notatis.

Obs. Dom. Com. Dejean, in Cat. p. 112, species quas-

quasdam a Lepturis separavit, nempe Genera Toxotus et Pachyta. Ex antea descriptis ad Toxotum pertinent Nr. 37, L. meridiana et 38, L. cursor; posteriori, sc. Pachytae adnumerantur: 22, strigilata, 27, smaragdula, 28, marginella, 30, collaris, 31, virginea, 32, interrogationis, 34, 4-maculata, 35, lamed et 36, spadicea; — quo jure, non dijudico. — Palporum structura in pluribus certe diversa, sed non semper stabilis; in L. cursore e. g. art. ult. palporum omnium, praesertim labialium, multo crassior in mare quam in femina etc.

RHAGIUM.

Palpi omnes articulo ultimo crassiori, breviter obconico truncato. Ligula membranacea, biloba, laciniis angustis, divaricatis. Antennae corpore breviores. Caput magnum, pone oculos tumidum. Elytra posterius parum angustata.

1. R. mordax: nigrum, confertim punctatum, flavescenti-pubescens, elytris fasciis duabus ferrugineis abbreviatis, remotis.

Fabr. Panz. Schönh. Syn. 3. 412. 2.

Habitat in silvaticis, passim.

Mas sequentis feminae aequalis, femina duplo major. Caput magnum, latum, sub-quadratum, nigrum, rude punctatum, pube densa depressa griseo-flavescente tectum, pone oculos callo magno denudato fere rectangulo auctum; frons et vertex profunde canaliculata; oculi rotundati brunnei, interne late sed parum profunde emarginati. Antennae corpore fere dimi-

dimidio breviores, crassae, nigrae, pube densa cinerea obductae. Thorax parvus, intra basin et apicem late et profunde constrictus, lateribus utrinque spina valida sub-recurva armatus, basi sinuatus, angulis nullis; supra in disco transversim convexus, in medio obsolete canaliculatus, carinula parva, obsoleta, in fundo canaliculae; totus niger, profunde punctatus, pube densa griseo-flavescente tectus, vitta dorsali media apiceque spinarum magis denudatis. Scutellum parvum rotundatum nigrum, pube densa flavescente tectum. Elytra antice thoracis basi duplo latiora, humeris valde elevatis, thorace quintuplo longiora, posterius minus angustata, apice rotundata, supra modice convexa, anterius confertim et profunde, posterius parce et obsolete punctata, nigra, pube cinereo-flavescente inaequaliter variegata; paulo ante medium singuli elytri fascia flexuosa et pone medium altera lunata, ambae testaceae, interne abbreviatae, suturam non attingentes, saepe obsoletae, praesertim in masculis, in quovis elytro interne lineae duae longitudinales elevatae, et interdum extra illas posterius duae aliae breves, obsoletae. Corpus subtus nigrum, parce punctatum, pube densa flavescente tectum, relictis punctis majusculis sparsis denudatis nigris in pectore et ventre. Pedes breviusculi validi nigri undique pubescentes.

2. R. inquisitor: nigrum, crebre punctatum, cinereo-pubescens, elytris fasciis duabus testaceis approximatis, interjecta macula nigra, glabra.

Fabr. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 412. 3.

Habitat in pratis silvaticis frequens.

Magnitudine valde variat; mas saepe quadruplo minor femina. Caput, antennae, oculi, ut in praecedenti omnino, modo callus pone oculos paulo minor,

nor, magis denudatus, nigrior, et pubescentia plerumque cinerea, rarius flavescens. Thoracis structura, punctura, color, etiam ut in illo, modo dorsum in medio vix denudatum, canalicula et ejus carinula obsoletioribus. Scutellum ut in priori. Elytrorum forma, punctura, color, lineae elevatae et pubescentia ut in praecedenti, sed fasciae testaceae aliter locatae; prior fere in medio angustior, nonnihil obliqua, undulata, altera paulo posterius, latior, sub-transversa, ambae suturam fere attingentes; inter fascias, versus marginem lateralem, macula magna, angulata, glabra, nigra, nitida, quae nota speciem primo intuitu designat. Corpus subtus nigrum, punctatum, dense flavescenti-pubescens, punctis denudatis nigris sparsis, sed minoribus et obsoletioribus quam in priori. Pedes ut in praecedenti.

3. R. indagator: nigrum, obsoletius punctatum, cinereo-pubescens, elytris subtestaceis, fasciis duabus liturisque reticulatis nigris.

Fabr. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 413. 4.

Var. *b*, triplo minor, mas. *Schönh. l. c. var. β.*

Habitat in silvis frequens.

Praecedentibus paulo brevior, ceterum facie simile; magnitudo valde variat. Caput latum sub-quadratum, nigrum, punctatum, pubescens, vertice plano, obsoletius canaliculato; callus pone oculos adhuc minor quam in priore, sed nigrior, magis nudus, quae nigredo per collum et latera thoracis, ad basin elytrorum usque continuatur; oculi oblongi brunnei, vix emarginati. Antennae breves ut in prioribus, sed minus pubescentes, ideoque nigriores, articulis inferioribus basi testaceis. Thorax juxta basin et apicem con-

constrictus, lateribusque spina valida armatus, ut in prioribus, sed in disco supra minus convexus, obsoletius punctatus, niger, margine antico ferrugineo. Scutellum triangulare nigrum, sub-laeve, minus pubescens. Elytra antice thoracis basi duplo latiora, humeris elevatis fere rectangulis, thorace quadruplo longiora, posterius nonnihil angustiora, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, anterius magis profunde, versus apicem obsolete punctata, sordide testacea, pube flavescente variegata, fasciis duabus irregularibus abbreviatis, priore ante, altera longe pone medium, variisque signaturis reticulatis nigris denudatis, in singulo elytro costae tres elevatae, evidentes, duae interiores paralellae, tertia obliqua, ab angulo humerali inchoata, plerumque ante apicem cum secunda connexa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, pube flavescenti tectum, abdomine anterius sub-carinato. Pedes mediocres validi nigri, cinereo-pubescentes, femoribus basi et subtus plus minusve testaceis.

Var. b, magnitudine minori tantum differt.

CERAMBYX.

Palpi filiformes, articulo ultimo ob-conico, apice obtuso vel truncato. Maxilla bifida, lacinia exteriore obtusa. Ligula membranacea, late emarginata, lobis dilatatis. Caput nutans, non vero inflexum. Oculi valde lunati. Thorax saepissime spinosus aut tuberculatus.

1. C. moschatus: lineari-elongatus, depressus, viridis, glaber, antennis cyaneis, elytris obsolete elevato-lineatis.

Linn. Fabr. Oliv. Payk. Schönh. Syn. 3. 348. 1.

Var. *b*,

Var. *b*, supra coerulescens vel violaceus. *Schönh. l. c. var. β.*

Habitat in ligno salicis, passim.

E majoribus; statura elongata, sub-linearis Callidii rustici. Caput oblongum, viridi aureum, nitidum, parce punctatum, fronte verticeque leviter canaliculatis; oculi valde lunati-brunnei. Antennae cyaneae, extrorsum nigricantes, maris corpore dimidio, feminae parum longiores. Thorax anterius paulo angustior, juxta apicem late constrictus, lateribus utrinque spina valida armatus, basi sub-truncatus, supra inaequalis, ante basin tuberculis tribus, transversim positis, medio minore, aliisque duobus difformibus, obsoletioribus, anterius notatus; viridis, coerulescenti-et cupreo-micans, nitidus, confertim et profunde rugoso-punctatus, glaber. Scutellum triangulare concolor, rugoso-punctatum. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris elevatis rectangulis, thorace fere sextuplo longiora, sub-linearia, apice suturali acuminata, supra fere plana, confertissime ruguloso-coriacea, saturate viridia, parum nitida, glabra; in singulo lineae tres elevatae, valde obsoletae. Corpus subtus viridi-aureo-et cupreo-splendens, parce punctulatum, tenue pubescens. Pedes mediocres, femoribus coeruleo-virentibus, tibiis compressis tarsisque coeruleis vel cyaneis.

Var. b, differt tantum colore paginae superioris magis coeruleo vel violaceo.

2. C. alpinus: lineari-elongatus, depressus coerulescenti-griseus, thorace spinula supra-marginali utrinque, elytris fascia media maculisque quatuor holosericeo-atris.

Linn. Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 358. 50.

Habi-

Habitat in fagetis Blekingiae, Scaniae, rarius.

Statura et longitudo praecedentis, sed paulo latior. Caput breve, nigrum, obsolete punctulatum, parum pubescens, fronte retusa, verticeque tenue canaliculatis; mandibulae maris externe dente valido armatae; oculi brunnei. Antennae maris corpore dimidio, feminae parum longiores, nigrae, articulis 3—11, pube subtilissima coerulescente tectis, inferioribus apice dense atro-villosis. Thorax transversus, antice subrotundatus, basi truncatus, ciliis flavo-aureis nitidis ornatus; lateribus rotundatis muticis, sed supra marginem lateralem utrinque spina brevi erecta, acuminata armatus; supra fere planus, aequalis, niger, obsolete rugulosus, pube rariori cinereo-coerulescenti adspersus; in medio marginis antici macula semi-orbicularis atro-holosericea. Scutellum semi-orbiculatum nigrum, sub-laeve. Elytra thoracis medio paulo latiora, et illo quintuplo longiora, linearia, apice singulatim obtuse rotundata, supra fere plana, antice evidentius granulata, posterius subtilissime punctulata, nigra, pube subtilissima cinereo-coerulescente omnino tecta; ante medium cujusvis elytri macula transversa, conica, holosericeo-atra; in medio alia ovata ejusdem coloris, cum apposita fasciam fere constituens, et intra apicem punctum parvum, saepe minutum, atrum. Corpus subtus nigrum, crebre punctulatum, pectore densius, ventre parcius cinereo-pubescentibus. Pedes mediocres nigri, cinereo-pubescentes, tarsis pube coerulescenti obductis, spongiis densis cinereis.

3. C. heros: oblongus, convexus, posterius attenuatus, niger, thorace rugoso glabro, utrinque spinoso, elytris apice piceis subspinosis.

Fabr. Oliv. Panz. Schönh. Syn. 3. 356. 41.

Habitat in silvis Scaniae, *Dom. Prof. Fal-*

lén; in Oelandia, *Dom. Marklin;* raro apud nos occurrit.

Maximus nostratum in hac familia. Caput rotundatum, nigrum, inaequale, crebre ruguloso-punctatum, fronte verticeque profunde canaliculatis; oculi magni nigro-brunnei. Antennae maris corpore dimidio, interdum duplo longiores, extrorsum valde attenuatae; in femina corpore parum longiores, extrorsum compressae, in utroque nigrae, pube tenuissima cinerea adspersae. Thorax antice angustior, constrictus, lateribus in medio latior, spina angulari valida armatus, supra convexus, rugis complicatis valde inaequalis, totus niger, nitidus, glaber. Scutellum triangulare nigrum opacum, pube cinerea depressa tectum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace fere quintuplo longiora, apicem versus attenuata, apice ipso singulatim rotundata, cum acumine parvo interne e sutura elevata exeunte, praesertim in masculis conspicuo; supra convexa, anterius sat profunde, posteriora versus sensim subtilius ruguloso-coriacea, nigro-picea, subopaca, apicem versus dilutius piceo-testacea; pube subtilissima cinerascente adspersa. Corpus subtus nigrum, nitidum, parce punctulatum et pubescens. Pedes elongati validi nigri, femoribus parum, tibiis tarsisque densius cinereo-pubescentibus.

4. C. cerdo: oblongus niger, thorace transversim rugoso, glabro, utrinque spinoso, elytris concoloribus apice attenuatis muticis.

Linn. Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 355. 40.

Habitat in Suecia meridionali rarius.

Praecedenti quidem affinis, sed quadruplo minor, magis linearis, minus convexus, unicolor. Caput, oculi,

oculi, antennae ut ad praecedentem descripta, modo antennarum articuli 8 — 11, apice interiore magis acuminati, sub-spinosi. Thoracis structura fere eadem, sed rugae dorsales magis regulares, omnes fere transversim dispositae; ceterum totus niger, glaber, nitidus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, cinereo-pubescens. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, fere rectangulis, thorace quintuplo longiora, a basi ultra medium sub-linearia, dein nonnihil attenuata, simul sumta sub-acuminata, supra parum convexa, undique evidenter rugoso-coriacea, antrorsum fortius; tota nigra, parum nitida; apicem versus pube subtilissima cinerea adspersa. Corpus subtus nigrum, pectore magis opaco, confertius punctato, densius pubescente; ventre nitido, parum punctulato, parce pubescente. Pedes mediocres nigri, cinereo-pubescentes.

L A M I A.

Palporum articulus ultimus apice acuminatus. Maxilla bifida, palpis dimidio brevior. Ligula cordata bifida, laciniis obtusis, conniventibus. Oculi valde lunati, antennarum basin externe et lateribus cingentes. Caput verticaliter deflexum. Thorax plerumque spinosus.

1. L. sutor: convexa, nigra, supra pallido-irrorata, elytris aequalibus undique punctatis, scutello macula cordata pallida.

Mas: antennis corpore duplo longioribus et ultra, totisque nigris, elytris minus pallido-irroratis.

Femina: antennis corpore dimidio longioribus, articulis basi cinereis apice nigris, elytris confertius pallido-variegatis.

Fabr. Payk. Schönh. Syn. 3. 384. 310.

Cerambyx sutor, Linn. Oliv. etc.

Habitat in silvis acerosis frequens.

Magnitudo media, at variabilis. Caput nigrum, confertim ruguloso-punctatum, pallido-pubescens, inter antennas profunde posterius leviter canaliculatum, oculi nigro-brunnei. Antennae maris longissimae, totae nigrae, scabrae. Thorax brevis transversus, basi apiceque truncatus, lateribus spina crassa acuminata armatus, supra parum convexus, intra basin apicemque transversim impressus et rugosus, in disco ruguloso-punctatus, totus niger, pilis brevibus rigidis flavescenti-cinereis maculatim plus minusve variegatus. Scutellum breve rotundatum nigrum, pube densa flavescente tectum, relicta linea media nuda, nigra. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis rectangulis, thorace quadruplo longiora, apicem versus parum angustata, apice simultaneae obtuse rotundata, supra convexa, aequalia, anterius confertissime et profunde rugoso-punctata, apicem versus parcius et minus rude, evidenter tamen, punctata, nigra, pube brevissima depressa flavescente, albida et fusca maculatim variegata; in singulo elytro lineae duae aut tres elevatae at obsoletissimae. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, pube longiore cinerea adspersum. Pedes elongati validi, dense cinereo-pubescentes, tibiis omnibus arcuatis, secundi paris externe dente obtuso piloso armatis.

Femina differt antennis brevioribus, articulis basi cinereo-annulatis, et corpore supra crebrius pallido-variegato.

2. L. sartor: convexa nigra, scutello toto dense flavo-piloso, elytris fusco-sub-aeneis, posterius obsoletissime punctulatis, dorso impressis.

Mas: antennis longissimis, totis nigris, elytris immaculatis, posterius attenuatis.

Femina: antennis mediocribus cinereo-fasciatis, elytris sub-linearibus pallido-variegatis.

Fabr. Panz. Schönh. Syn. 3. 385. 111.

Habitat in silvis acerosis, minus frequens.

Praecedenti similis et valde affinis, vere tamen distincta, plerumque duplo major, elytra apicem versus fere impunctata, maris posterius attenuata etc. Caput, antennae, thorax ut in praecedenti, sed minus pubescentia, vix variegata. Scutellum totum vellere denso depresso flavescente tectum. Elytrorum forma etiam fere ut in illa, modo maris posterius magis angustata, supra minus convexa, sub-inaequalia, nempe ante medium transversim obsolete impressa, anterius confertim et profunde rugoso-punctata, versus apicem leviter et obsoletissime punctulata, fusco-subaenea, pube brevi depressa grisea, apicem versus densiore adspersa, in masculis vero non variegata. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, cinereo-pubescens. Pedes ut in priori, modo minus pubescentes.
Femina differt: antennis brevioribus cinereo-annulatis, elytrisque sub-linearibus albido-variegatis.

3. L. aedilis: brevior, depressa, brunnea, dense griseo-pubescens, thorace punctis quatuor flavo-pilosis, elytris fasciis duabus fuscis.

Mas:

Mas: antennis corpore quadruplo longioribus et ultra, segmento abdominis ultimo brevi emarginato.

Femina: antennis corpore duplo longioribus et ultra, abdominis segmento anali elongato conico, stylo exserto crasso.

Fabr. Payk. Schönh. Syn. 3. 373. 48.

Cerambyx aedilis Linn. et plurium.

Habitat in ligno Pini et Abietis frequens.

Magnitudo valde variat in utroque sexu. Caput brevissimum, fusco-brunneum, punctatum, pube densa, depressa cinerea vestitum, fronte obsolete canaliculata; oculi nigro-brunnei. Antennae longissimae, maris saepe corpore quintuplo longiores, feminae duplo tantum; articulis inferne brunneis, dense cinereo-pubescentibus, apice nigris; articuli exteriores successive longiores in masculis. Thorax brevissimus transversus, basi apiceque truncatus, lateribus utrinque spina valida armatus, supra depressus, fusco-brunneus, cinereo pubescens; crebre rugoso-punctatus, ante medium puncta quatuor flavo-pilosa in linea transversali posita. Scutellum breve rotundatum, concolor, densius pubescens, medio canaliculatum. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris rectangulis, thorace quadruplo longiora, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, supra depressa, inaequalia, dilutius brunnea, pube densa, depressa, cinerea obducta, anterius evidenter punctata, apicem versus sub-laevia; ante medium fascia valde obsoleta, ab humero versus suturam obliqua et pone medium altera, magis transversa, abbreviata, ambae obscuriores, irregulares; praeterea puncta parva in disco sparsa, e pilis nigro-fuscis fasciculatis. Corpus subtus ferrugineum, parce punctatum, pube densa, depressa, cinereo-albida, nitida tectum. Pedes mediocres brun-

nei,

nei, dense cinereo-pubescentes, femoribus clavatis, tarsis fuscis. Segmentum anale feminae elongatum conicum; stylo exserto cylindrico nigro.

4. L. grisea: longior, sub-depressa, nigro-brunnea, dense cinereo-pubescens, thorace punctis quatuor flavo pilosis, elytris sub-linearibus, fascia, maculis punctisque denudatis brunneis.

Mas: antennis corpore triplo longioribus, abdominis segmento anali brevi emarginato.

Femina: antennis corpore duplo longioribus, abdominis segmento anali elongato conico, stylo exserto crasso.

Schönh. Syn. 3. 375. 49.

Cerambyx griseus Fabr. Payk. Panz.

Habitat in silvis passim.

Praecedenti similis, sed multo minor, praesertim angustior. Caput breve nigro-brunneum punctulatum, cinereo-pubescens, fronte tota canaliculata; oculi nigro-brunnei. Antennae maris corpore triplo, feminae duplo longiores, extrorsum valde tenues, articulis basi ferrugineis, cinereo-pubescentibus, apice nigro fuscis; in antennis maris articuli exteriores successive longiores ut in L. aedili. Thorax brevis, basi apiceque truncatus, lateribus pone medium spina parva, acuta armatus, supra parum convexus, brunneus, subtiliter punctatus, pube depressa cinerea inaequaliter adspersus; ante medium puncta quatuor flavo-pilosa; transversim posita. Scutellum semi-ovale brunneum, dense cinereo-pubescens. Elytra antice tho-

thoracis basi dimidio latiora; humeris rectangulis, thorace quintuplo longiora, sub-linearia, apice singulatim obtuse rotundata, supra sub-depressa, brunnea, pube cinerea tecta, relicta paulo pone medium fascia lata, maculis difformibus versus basin punctisque plurimis undique sparsis denudatis brunneis. Corpus subtus obscurius, fere nigrum, parce punctatum, pube cinereo-sericea nitida tectum, punctis sparsis nudis, praesertim versus latera notatum; segmentum anale maris breve, emarginatum, feminae elongatum, conicum, stylo exserto cylindrico truncato. Pedes mediocres ferruginei, femoribus crassis, clavatis, clava obscuriore; tibiae etiam saepe apice nigro-pilosae.

5. L. nebulosa: brevior, nigra, cinereo-pubescens, antennis pedibusque ferrugineo-variis, elytris convexioribus brunneis, cinereo-variegatis, apice attenuatis.

Schönh. Syn. 3. 375. 53.

Cerambyx nebulosus, *Linn. Fabr. Payk. etc.*

Var. *b*, major, pedibus nigris, tibiis annulo ferrugineo cinctis.

Var. *c*, triplo minor, elytris nigrioribus, pedibus ut in var. *b*.

Habitat in silvaticis passim; var. *b*, in Finlandia, *Mus. Dom. Schönherr*; var. *c*, in Westrogothia ad Sparrsäter; id.

Praecedente multo minor, praesertim brevior, magis convexa. Caput breve nigrum, vix punctulatum, pube tenui depressa cinerea obductum, fronte tota canaliculata, ore labroque ferrugineis, fusco variegatis; oculi nigro-brunnei. Antennae corpore dimidio longiores et ultra, articulis basi ferrugineis cinereo-

reo-pubescentibus, apice nigro-fuscis. Thorax brevis transversus, basi apiceque truncatus, lateribus pone medium spina brevi acuta armatus, supra in disco convexus, ante basin et apicem leviter constrictus, niger, parce punctulatus, pube tenui depressa cinerea, ad latera et subtus densiore, obductus, margine summo antico, saepe etiam postico, ferrugineis. Scutellum semi-ovale nigrum, cinereo-pubescens. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris rectangulis, thorace quintuplo longiora, apicem versus angustata, singulatim rotundata, supra modice convexa, anterius crebre, apicem versus parcius punctata, lineolisque nonnullis elevatis obsoletis notata, dorso brunnea, lateribus et apice dilutius testacea, pube depressa cinereo-albida variegata, antice maculas, in medio fasciam formante, apiceque late albido, interjectis punctis parvis fuscis sparsis, ad suturam et apicem crebrioribus. Corpus subtus nigrum, vix punctulatum, pube cinereo-sericea nitida undique obductum. Pedes mediocres cinereo pubescentes, femoribus crasse clavatis nigris, basi ferrugineis, tibiis fuscis, jam basi, jam in medio, rarius totis ferrugineis, tarsis piceis.

Var. b, duplo major; pedes nigri, femoribus posticis tantum basi ferrugineis; tibiae omnes annulo medio ferrugineo, cinereo-pubescente, cinctae; ceterum omnino ut a.

Var. c, triplo minor a, L. fasciculari aequalis; elytra obscuriora, fere nigra, lateribus postice et apice tantum fusco-testacea, anterius minus cinereo-variegata; pedum color ut in var. b, ceterum simillima, vix distinguenda.

6. L. punctulata: brevior, nigra, opaca, elytris apice truncatis, fascia media apiceque albido-pubescentibus, punctis paucis majoribus nigris adspersis.

Schönh.

Schönh. Syn. 3. 376. 54.
Cerambyx punctulatus, *Payk. Fn.* 3. 57. 5.
Habitat in silvis rarissime. *Dom.* de *Payk.* et *Schönh.*

Magnitudo proxime praecedentis, cui similis et affinis, tamen vere distincta. Caput breve nigrum, vix punctulatum, parum cinereo-pubescens, fronte obsolete canaliculata, ore piceo; oculi nigro-brunnei. Antennae corpore dimidio longiores et ultra, nigrae, articulis basi annulo cinereo-pubescente cinctis. Thorax brevis transversus, basi apiceque truncatus, lateribus paulo pone medium spina brevi valida, parum acuminata, armatus, supra in disco nonnihil convexus; totus niger, opacus, parce et obsolete punctatus, pube tenui cinerea perparum variegatus. Scutellum breve, semi-rotundatum, atrum, parum pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis sub-rectangulis, thorace quadruplo longiora, posterius angustiora, apice ipso oblique truncata, supra modice convexa, aequalia, antice confertim, apicem versus parcius obsolete punctata, nigra, opaca; in medio fascia lata, utrinque sinuata, e pube depressa albida, punctis paucis majoribus rotundis nigris, praesertim versus suturam notata, et apex pari modo late albido-pubescens, nigro punctatus. Corpus subtus nigrum, vix punctulatum, pube tenui depressa cinereo-sericea, nitida adspersum. Pedes mediocres nigri, parce cinereo-pubescentes, femoribus crassis clavatis, tibiis annulo medio cinereo-pubescente cinctis.

7. L. fennica: longior, convexa, nigra, densius cinereo-pubescens, elytris sub-linearibus apice rotundatis, fascia media abbreviata apiceque sub-ferrugineis, dense cinereo-villosis.

Schönh.

Schönh. Syn. 3. 376. 55.

Cerambyx fennicus, *Payk. Fn.* 3. 58. 6.

Habitat in Finlandia rarissime, *Dom.* de *Paykull*; in Kinnakulle Westrogothiae, *Dom. Boheman.*

Longitudo L. griseae, sed latior, magis convexa, facie fere Saperdae. Caput brevissimum, retractum, nigrum, subtiliter punctulatum, pube longiore grisea tectum, fronte inter antennas impressa et canaliculata, ore testaceo-variegato; oculi brunnei. Antennae corpore longiores, nigrae, articulo primo crasso, clavato, immaculato, sequentibus basi annulo cinereo-pubescente cinctis, subtus pilis longis fuscis hirtis. Thorax brevis transversus, basi apiceque truncatus, elevato-marginatus, lateribus paulo pone medium spina valida acuta adscendente utrinque armatus, supra modice convexus, niger, confertim punctulatus, pube longiore densa grisea tectus. Scutellum semi-rotundatum nigrum, dense griseo-pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis sub-rectangulis, thorace fere sextuplo longiora, ultra medium sub-linearia, dein angustata, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, anterius confertim evidenter punctata, apicem versus sub-laevia, nigra, dense griseo-pubescentia; paulo pone medium fascia inaequalis abbreviata, ut et apex late, densius cinereo-villosa, fusco-punctata; pube vero detrita, fascia haec et apex sub-ferruginea. Corpus subtus nigrum, vix punctulatum, pube depressa grisea sub-nitida tectum. Pedes mediocres nigri, cinereo-pubescentes, femoribus crasse clavatis.

8. L. textor: brevior, convexa, nigra, opaca, thorace ruguloso; elytris granulatis, antennis brevioribus crassis.

Fabr.

Fabr. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 370. 30.
Habitat in silvis, praesertim salicetis, frequens.

Latior et crassior reliquis nostris hujus generis. Caput breve nigrum, confertissime rugoso-punctatum, pube fusco-ferruginea adspersum, inter antennas profunde impressum, obsolete canaliculatum; oculi nigro-brunnei. Antennae vix longitudine corporis, crassae, nigrae, extrorsum tenuiores, fuscae. Thorax latitudine brevior, basi apiceque truncatus, lateribus in medio spina valida acuta utrinque armatus, supra in disco transversim convexus, ante basin et apicem constrictus, totus niger, opacus, confertissime rugulosus, fere reticulatus, parce fusco ferrugineo-pubescens. Scutellum semi-ovale nigrum, apice elevatum, pube densa griseo-fusca tectum, medio glabrum. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris sub-rectangulis, thorace vix quadruplo longiora, apice attenuata, rotundata; supra convexa, anterius crebre granulata, granulis globosis nitidis, posterius successive minoribus, apice obsolete subtilius ruguloso punctata, tota nigra, pube tenui fusca vel fusco-ferruginea inaequaliter adspersa. Corpus subtus nigrum, magis nitidum obsolete punctulatum, pube aut grisea aut ferruginea, in pectore et antico ventris densiore, inaequaliter et fasciculatim adspersum. Pedes validi nigri, pube fusco-ferruginea adspersi, tibiis secundi paris externe dente fasciculose armatis.

9. L. curculionoides: brevis, convexa, plumbeo-nigra, fasciculatim lutescenti-pilosa, thorace mutico elytrisque ocellis quatuor atris rotundatis, iride lutea.

Fabr. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 391. 141.
Habitat in Suecia australi rarius; Calmariae, Mo-

Modéer, ad Alingsäsiam Westrogothiae, Pentz.

Statura lata praecedentis, sed triplo minor, brevior. Caput breve, nigrum, obsoletius granulato-punctatum, fronte tota canaliculata; nigrum, sed, uti reliquum corpus, pube subtilissima grisea depressa tectum, unde plumbeum apparet; fasciculis sparsis e pilis longioribus lutescentibus, praecipue in vertice, ornatum, oculi brunnei, postice fere interrupti. Antennae aut corpori aequales aut sesqui-longiores, articulo primo magno nigro, rugoso-punctato, sequentibus obscure ferrugineis, basi cinereo-pubescentibus, subtus longius fusco-pilosis. Thorax latitudine paulo brevior, basi apiceque truncatus, lateribus sub-rotundatus, muticus, supra convexus, aequalis, in medio obsoletissime canaliculatus, sat crebre punctatus, lateribus granulatus, in dorso utrinque ocelli duo sub-ovati, holosericeo-atri, iride lutea cincti, unus post alterum, anteriore majore, et sub ocellis fasciculi plures e pilis luteis. Scutellum semi-ovale nigrum, dense lutescenti-pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris rectangulis, thorace vix quadruplo longiora, apice rotundata, supra convexa, aequalia, anterius crebre granulata, granulis semi-globosis, nitidis, posterius successive obsoletius punctata, plumbeo-nigra, fasciculis plurimis sparsis e pilis lutescentibus, posterius in fascias irregulares aggregatis; paulo ante medium cujusvis elytri ocellus minor holosericeo-ater, postice tantum iride lutea cinctus, et pone medium, sutura propius, alter ocellus, major, completus; inter hunc et oppositum alterius elytri ocellus parvus communis in sutura, minus regularis. Corpus subtus nigrum, evidenter punctatum, pube densa depressa flavescente variegatum. Pedes breviusculi nigri, pube densa flavescente fasciati et variegati, femoribus parum clavatis.

10. L. myops: brevis, convexa, plumbeonigra, fasciculatim lutescenti-pilosa, thorace mutico, maculis quatuor oblongis holosericeo-atris, elytris coecis.

Schönh. Syn. 3. 391. 142. *App. p.* 168. 232.

Habitat in Finlandia. *Mus. Dom. Schönh.*; in Blekingia, *Dom. Marklin.*

Praecedenti simillima et nimis affinis, plerumque dimidio minor, ocellis thoracis magis remotis magisque oblongis, elytris coecis, atro-punctatis, praecipue diversa. Caput, antennae, thoracis structura et punctura ut in priori omnimode, sed loco ocellorum anteriorum linea elongata, arcuata, holosericeo-atra, lateribus utrinque lineolis lutescenti-pilosis cincta, et versus basin duae aliae minores sub-ovatae, ejusdem coloris, etiam utrinque maculis lutescentibus circumdatae. Scutellum ut in priori. Elytrorum forma, granulae et punctura ut in priori; fasciculi luteo-pilosi crebriores, interjectis punctis plurimis parvis holosericeo-atris, sparsis, sed ocelli omnino nulli. Corpus subtus et pedes ut in priori.

11. L. varia: brevior, convexa, nigra, pube cinerea, fusca et ferruginea variegata, thorace spinoso tuberculatoque, elytris truncatis.

Fabr. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 379. 67.

Habitat in silvis passim.

L. aedili dimidio minor, magis convexa. Caput breve, nigrum, evidenter punctatum, pube depressa cinerea, ferruginea fuscaque variegatum, fronte late impressa, vertice obsolete canaliculato; oculi nigro-brunnei. Antennae longitudine corporis, nigrae, arti-

articulis 3—11, basi annulo albido-pubescente cinctis. Thorax brevis, basi apiceque truncatus, lateribus fere in medio utrinque spina valida acuta armatus, supra convexus, inaequalis, tuberculis duabus obtusis notatus, crebre profunde punctatus, pube vari-colore uti caput obductus. Scutellum semi-ovatum nigrum, cinereo-pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris alte elevatis rectangulis, thorace quadruplo longiora, posterius attenuata, apice ipso truncata, supra modice convexa, antice sub-tuberculata, dein sat profunde sed minus crebre punctata, pube varicolore uti thorax tecta, lituris tribus difformibus nigro fuscis evidentioribus in singulo elytro notata; in medio baseos cujusvis elytri costa elevata abbreviata observatur. Corpus subtus nigrum, vix punctulatum, pube depressa cinerea minus densa adspersum; segmentum anale maris brevius, late emarginatum; feminae elongatum conicum. Pedes validi nigri, pube cinereo-albida annulati, femoribus crassis, clavatis.

12. L. modesta: sub-depressa nigra, griseo-pubescens, thorace utrinque uni-spinoso, supra bi-tuberculato, elytris apice oblique truncatis, litura media dentata nigra.

Schönh. Syn. 3. 379. 68. *App.* 164. 226.

Habitat in Finlandia rarissime, *Mus. Dom. Schönh.*

Statura latiuscula fere L. atomariae Fabr. sed paulo minor. Caput nigrum, griseo-pubescens, fronte granulata, vertice leviter impresso; oculi difformes brunnei. Antennae corpore longiores, piceae, griseo-pubescentes, articulis apice fuscis. Thorax brevis, basi apiceque truncatus, in medio laterali utrinque spina valida acuta armatus, supra modice convexus, niger, sat crebre punctatus, griseo-pubescens; paulo ante

ante medium disci tuberculum elevatum validum utrinque. Scutellum sub-triangulare, obtusum, nigrum, griseo-pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace quintuplo longiora, apicem versus paulo angustiora, apice ipso introrsum oblique truncata; supra parum convexa, inaequalia, nigro-picea, hinc inde sub-seriatim punctata, pube densa, depressa, grisea tecta, relicta in singuli elytri disco, paulo pone medium, plaga sinuato-dentata fusco-picea denudata, nec suturam nec marginem attingente. Thorax et pectus subtus nigro-picea, obsolete punctata, griseo-pubescentia, abdomen dilutius rufo-testaceum nitidum, vix punctulatum, parum pubescens. Pedes longiusculi validi ferruginei vel rufo-picei, pubescentes, femoribus crasse clavatis, tibiis annulo griseo-pubescente cinctis.

13. L. fascicularis: fusco-brunnea pubescens variegata, elytris apice obtusis muticis, basi fascia lunata albida, posterius fasciculis elevatis atris.

Schönh. Syn. 3. 376. 58.

Cerambyx fasciculatus, Fabr. Payk. Panz.

Habitat in silvis acerosis sat frequens.

Parva. Caput breve fuscum, vix punctulatum, pube cinerea, fusca et sub-ferruginea variegatum, ore rufescente. Oculi nigro-brunnei. Antennae longitudine corporis, ferrugineae, articulis apice nigro-fuscis, basi annulo albido-pubescente cinctis. Thorax longitudine parum latior, basi apiceque truncatus et leviter constrictus, lateribus pone medium spinula parva acuminata armatus, supra convexus, vix punctulatus, tuberculo obtuso nitido in disco utrinque notatus, dorso nigro-brunneus, lateribus et subtus ferrugineus, undique pube simili uti caput variegatus, pilisque longioribus erectis fuscis adspersus. Scu-

Scutellum semi-ovale demersum nigrum, in medio pallido-pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis rotundatis, thorace quadruplo longiora, posterius nonnihil angustiora, apice singulatim obtusa, cum acumine minuto in angulo suturali; supra convexa, lineolis nonnullis elevatis notata, et juxta illas seriatim punctata, dorso brunnea, lateribus et apice sub-ferruginea, fusco-irrorata; sub angulo humerali oritur fascia albo-pubescens, arcuatim versus suturam ducta, ante medium cum opposita conjuncta, in dorso interiori impressa et ferreo-tincta; pone fasciam, non procul a sutura, fasciculi 3 vel 4, e pilis rigidis atris, in linea longitudinali collocati; praeterea elytra pube depressa varii coloris obducta, et pilis longioribus fuscis sparsis hirta. Pectus et abdomen subtus nigra, vix punctulata, pube cinerea depressa nitida tecta, ano late ferrugineo. Pedes mediocres variegati, femoribus crassis clavatis nigris, basi ferrugineis, tibiis fuscis, basi annuloque medio ferrugineis.

14. L. ovalis: fusco-brunnea pubescens, thorace longiore utrinque obtuse spinoso, elytris apice truncatis, pube griseo-albida tectis, fascia media obliqua abbreviata nigra.

Schönh. Syn. 3. 377. 59. *forte.*

Habitat in silvis acerosis rarius. *Mus. Dom. Schönh.* et nostrum.

Statura et affinitas L. fascicularis, sed plus duplo minor, et ut videtur, distincta. Caput breve fusco-brunneum, pube depressa cinereo-albida concolore tectum, fronte canaliculata, ore testaceo; oculi nigri, valde lunati. Antennae corpore longiores, articulis basi testaceis, versus apicem fuscis. Thorax latitudine longior, basi apiceque truncatus, lateribus

vix ampliatus, paulo pone medium spina parva, brevi armatus, supra in medio transversim convexus; brunneus, obsolete punctatus, pube depressa cinereo-albida concolore tectus, pilisque longioribus erectis fuscis adspersus. Scutellum parvum, semi-ovale, brunneum, parum pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis fere rectangulis, thorace quadruplo longiora, pone medium angustata, apice truncata, supra parum convexa, nigro-brunnea, rude striatim punctata, pube cinereo-albida, depressa, tecta, relicta fascia denudata obliqua, abbreviata, in margine pone humerum inchoata et in medio disci desinente, nigro-brunnea; in apice fasciae, fasciculus e pilis atris, et alter paulo posterius. Corpus subtus nigrum, subnitidum, subtilius coriaceum, pube multo tenuiori adspersum, quam in priori. Femora clavata nigra, basi apiceque testacea; tibiae et tarsi testaceo fuscoque variegati.

15. L. hispida: fusco-brunnea pubescens, variegata, elytris apice bi-dentatis, antice late albo-pubescentibus, posterius atro-fasciculatis.

Schönh. Syn. 3. 377. 60.

Cerambyx hispidus, *Fabr. Payk.*

Habitat in silvaticis rarius.

Statura, magnitudo et summa affinitas L. fascicularis. Caput omnino ut in illo, modo minus pubescens et variegatum. Antennae dilutius ferrugineae, articulis apice parum infuscatis, inferioribus tribus basi concoloribus, nec albo-annulatis. Thoracis structura eadem, sed tubercula dorsalia elevatiora, sub-acuminata; color nigro-brunneus, pubescentia minus variegata et pili erecti vix ulli. Scutellum breve rotundatum planum, nec immersum, totum albido-pubescens. Elytrorum forma fere eadem, sed apex acute biden-

bidentatus, dente exteriore, longiore, validiore; basis elytrorum supra, ad tertiam longitudinis partem, pube lacteo-alba tecta; ceterum costae elevatae, fasciculi pilosi atri etc., ut in supra dicta. Corpus et pedes etiam ut in illa.

16. L. pilosa: fusco-brunnea pubescens, elytris antice late albido-pubescentibus, apice unidentatis, thoracis tuberculis dorsalibus acuminatis.

Schönh. Syn. 3. 378. 61.

Cerambyx pilosus, *Fabr.*

Habitat in silvaticis, praesertim coryletis, rarius.

Praecedentibus simillima et valde affinis, plerumque paulo minor. Structura partium fere eadem, pubescentia vero capitis et thoracis vix variegata, sed unicolor, obscure cinerea, absque pilis erectis; tubercula in disco thoracis magis acuminata quam in L. fasciculari. Scutellum et elytra ut in L. hispida omnino, modo in elytrorum apice spina tantum unica, exterior nempe, quae elongata, acuta; angulus vero suturalis rectus, omnino muticus. Corpus et pedes ut in L. hispida.

17. L. balteata: fusco-brunnea, pilosa, thoracis spina laterali parva reclinata, elytris apice integris, cinereo-pubescentibus, fasciis duabus denudatis, anteriore obsoleta.

Schönh. Syn. 3. 378. 64.

Cerambyx balteatus, *Fabr.* — *balteus*, *Linn.* — *crinitus*, *Panz.*

Var. b, tota ferruginea, antennis pedibusque pallide testaceis. *Schönh.* l. c. var. *β.*

Cerambyx lusitanicus, *Linn. Oliv.*

Habitat in silvaticis, apud nos rarius; prope Holmiam, *Dom. Schönherr*; ad *Esperöd Scaniae*, *Dom. Prof. Fallén.*

Parva, praecedenti aequalis. Caput breve, fusco-brunneum, punctulatum, in medio leviter canaliculatum, pube tenui cinerea depressa, pilisque longioribus erectis fuscis adspersum, ore toto testaceo; oculi nigro-brunnei. Antennae longitudine corporis, ferrugineae, pilis longis fuscis, praesertim subtus, ciliatae. Thorax brevis, basi apiceque truncatus, lateribus rotundatus, pone medium spinula parva acuta, retrorsum inclinata, utrinque armatus, supra parum convexus, aequalis, fusco-brunneus, crebre punctulatus, pubescens et pilosus. Scutellum parvum, rotundatum, brunneum, dense cinereo-pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris sub-rectangulis, thorace quadruplo longiora, posterius angustiora, apice rotundata, integerrima, supra convexa, dilutius brunnea, minus crebre sed paulo fortius quam thorax punctata, pilis longis erectis fuscis undique adspersa, pubescentia tenui depressa cinerea fasciatim obducta; ante medium fascia, juxta marginem lateralem lata, interius plerumque obsoleta, et paulo pone medium alia latior, utrinque sinuata, fere transversa, ambae denudatae, brunneae. Corpus subtus brunneum, vix punctulatum, pube tenui depressa cinerea adspersum. Pedes mediocres, pubescentes, femoribus sub-clavatis brunneis, basi, tibiis tarsisque ferrugineis.

Var. b, simillima, modo pallidior, aut saturatius aut dilutius ferruginea, pedibus pallide testaceis immaculatis, certe modo junior, immatura.

Obs. Pubescentia cinerea elytrorum saepe detrita, unde facies mutatur, et inde descriptiones aucto-

rum

rum variantes; fascia posterior denudata plerumque constans.

Obs. In familia cerambycum, ut in multis aliis, plurima Genera nova ab Entomologis recentioribus proposita sunt, pleraque, ut videtur, secundum diversum habitum assumta, nec characteribus fixis adhuc distincta, quantum mihi innotuit. Insecta hujus familiae, in Suecia indigena, minus numerosa, ideoque hae distinctiones minus necessariae; indicare tamen oportet, quibus Generibus in Catalogo Dom. Comitis Dejean, pagg. 505—507, species antea descriptae adnumerantur, nempe:

Cerambyx.	1. *moschatus* . . .	*Cerambyx.*
	2. *alpinus*	*Callichroma.*
	3. *Heros.* 4. *Cerdo* .	*Hamatichaerus.*
Lamia.	1. *Sutor.* 2. *Sartor* .	*Monochamus.*
	3. *Aedilis.* 4. *grisea*	*Acanthourius.*
	8. *Textor.* 9. *Curculionoides.*	
	10. *Myops*	*Lamia.*
	5. *nebulosa.* 6. *punctulata.*	
	7. *Fennica.* 11. *varia.* 12. *modesta.*	
	13. *fascicularis.* 14. *ovalis.*	
	15. *hispida.* 16. *pilosa.*	
	17. *balteata* . . .	*Pogonocherus.*

CALLIDIUM.

Palpi sub-aequales, articulo ultimo crassiore ob-conico, truncato. Maxilla brevissima, bifida, vix primum articulum palporum superans. Ligula brevis, cordata, bifida, laciniis angustioribus divaricatis. Antennae plerumque corpore breviores. Thorax rotundatus, muticus. Corpus sub-lineare, plerumque depressum.

1. C. bajulus: fusco-piceum, densius pubescens, thorace villoso nigro, tuberculis duobus dorsalibus glabris, antennis brevibus obscure ferrugineis.

Fabr. Payk. Schönh. Syn. 3. 440. 2.

Var. b, elytris pallidis.

Habitat in ligno Pini et Abietis, passim.

Magnitudo valde variat; mares saepe triplo minores feminis. Caput parvum, nutans, nigro-piceum, crebre rugoso-punctatum, cinereo-pubescens, fronte leviter canaliculata; oculi brunnei, in vivis metallico-nitentes, sat profunde sed non late emarginati. Antennae vix dimidio corpore longiores, fusco-ferrugineae. Thorax latitudine brevior, basi apiceque leviter emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, supra depressus, totus niger, crebre rugoso punctatus, praesertim versus latera, villositate densa erecta cinereo-albida tectus; in medio dorsi utrinque tuberculum elevatum, glabrum, politum, et saepe lineola ejusmodi in medio; subtus thorax maris crebre et profunde punctatus, feminae vero laevis, nitidus, in utroque pubescens. Scutellum semi-ovale nigrum, parce punctulatum et pubescens. Elytra thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis, thorace quadruplo longiora, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, supra depressa, picea vel fusco-castanea, rarius nigra, confertim rugoso-punctata, fere reticulata, pube tenui cinerea adspersa; paulo ante medium maculae nonnullae, in strigam transversam collocatae, e pilis densioribus cinereo-albidis depressis; in singuli elytri medio linea elevata, obsoleta. Corpus subtus castaneum, magis nitidum, pectore abdomineque subtiliter punctulatis, tenue pubescentibus; segmentum anale maris breve, rotundatum; feminae conicum elongatum, stylo saepe exserto, compresso, articulato. Pedes mediocres pilosi, femoribus crasse clavatis

tis piceis, plerumque basi, tibiis tarsisque dilutius ferrugineis.

Var. b, in ceteris simillima, sed elytra tota pallida, unicolora, et hoc in utroque sexu.

2. C. affine: fusco-ferrugineum, parum pubescens, thorace foveolis duabus pone tubercula dorsalia impresso, antennis dimidio corpore longioribus rufo-ferrugineis.

Hummel Essais Ent. 4. 63. 5.

Habitat in silvis rarius; in Finlandia, *Dom. Wasastjerna et Savenius;* in Westrogothia, auctor.

C. bajulo valde affine, sed minimis ejus adhuc minus, parum pubescens. Caput majusculum, fusco-ferrugineum, inaequale, rugoso-punctatum, parce pubescens, fronte leviter canaliculata; oculi magni glaucescentes, profunde sed non late emarginati. Antennae rufo-ferrugineae, dimidio corpore longiores. Thorax longitudine parum latior, basi apiceque truncatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, supra parum convexus, versus latera rugoso-punctatus et subpubescens, in disco glaber, nitidus, fusco-ferrugineus; paulo ante medium utrinque tuberculum elevatum, nitidum, cui posterius adjecta foveola impressa, interdum magna, profunda, in aliis minor, obsoletior. Scutellum semi-ovale concolor, obsolete punctatum, apice deflexum. Elytra thoracis medio vix latiora, humeris elevatis fere rectangulis, thorace vix quadruplo longiora, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, dilutius testacea, antice profunde, apice subtilius rugoso-punctata, pilis depressis cinereo-albidis parce adspersa. Corpus subtus fusco-testaceum, thorace profunde punctato ut in masculis C. bajuli;

pectus

pectus et venter subtiliter punctulata, magis nitida, parce pubescentia. Pedes elongati validi, femoribus crasse clavatis fusco-ferrugineis, tibiis tarsisque dilutioribus.

Masculos tantum hujus speciei vidi.

3. C. variabile: lineari-elongatum, tenue pubescens, antennis longitudine corporis, thorace obsolete tuberculato, elytris subtiliter punctulatis.

A. Rufo-ferrugineum, thorace immaculato, elytris violaceis, vertice, pectore femorumque clava nigris.

Schönh. Syn. 3. 442. 5. *a.*

Callidium fennicum, Fabr. Panz.

Var. b, rufo-ferrugineum, thorace plus minusve nigro-maculato, elytris violaceis, vertice, pectore, abdominis basi femorumque clava nigris.

Schönh. l. c. var. β.

Cerambyx fennicus, Linn. syst. 2. 636. 77. *Fn. Sv.* 674.

Var. c, nigrum, elytris violaceis, ore, antennis, ano, femorum basi, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis.

Callidium variabile mas, var. Payk. Fn. 3. 89. *not.*

Var. d, thorace rufo-testaceo, elytris testa-

staceis apice violaceis, femoribus fuscis, vertice aut nigro aut rufo-testaceo.

Schönh. l. c. var. γ.

Var. e, omnino ut var. d, sed femora tota rufo-testacea.

Schönh. l. c. var. δ. Payk. l. c. femina.

Callidium praeustum, Fabr. S. El. 341. 45.

Var. f, omnino ut var. e, sed elytra tota testacea.

Schönh. l. c. var. ε. Payk. l. c. var. β. feminae.

Callidium testaceum. Fabr. Cerambyx id. Linn.

Var. g, thorace elytrisque testaceis immaculatis, vertice femorumque clava nigris. *Schönh.* l. c. var. ζ.

Var. h, nigrum, ore, elytris abdomineque testaceis, antennis pedibusque piceis. *Schönh.* l. c. var. η.

Callidium luridum, Payk. Fn. 3. 87. 8.

Habitat in silvaticis passim.

Magnitudo valde variat; C. bajulo semper angustius, sed vix brevius; color maxime variabilis. Caput depressum, nutans, supra postice nigrum, obsolete punctulatum, fronte leviter canaliculata; antice et subtus testaceum; mandibulae valde arcuatae, apice nigricantes; oculi brunnei. Antennae longitudine fere corporis, rufo-ferrugineae, articulis inferioribus saepe apice superne infuscatis. Thorax latitudine paulo brevior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, supra sub-depressus, inaequalis, tuberculis plerumque tribus obsoletis notatus, subtiliter parce pun-

punctulatus, pube rariore sub-erecta adspersus; in a totus supra et subtus rufo-testaceus immaculatus, subnitidus. Scutellum semi-ovale nigrum, obsolete punctulatum. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace quintuplo longiora, sub-linearia, apice obtuse rotundata, supra perparum convexa, subtiliter punctulata, pube tenui, sub-erecta adspersa, violacea, sub-nitida, margine summo laterali et apicis interdum sub-ferrugineis. Alae longae fuscescentes. Pectus nigrum, subtiliter punctulatum, parce cinereo-pubescens; abdomen vix punctulatum, tenue pubescens, nitidum, aut totum testaceum, aut basi et lateribus nonnihil infuscatum. Pedes mediocres rufo-testacei, pubescentes, femoribus, praesertim posticis valde elongatis, omnibus crasse clavatis, clava nigra:

In var. b, thoracis discus aut totus niger, aut nigro-maculatus; abdomen antice nigrum, apice testaceum, alias ut a.

In var. c, thorax totus niger, abdomen ut in b; cetera ut in a.

In var. d, thorax totus rufus immaculatus; vertex aut rufo-testaceus aut nigro fuscus; elytra rufo-testacea, apice plus minusve violacea; femorum clava nigro-fusca; cetera ut in a.

In var. e, femora tota rufo-testacea; cetera ut in var. d.

Var. f, omnino ut var. e, modo apex elytrorum concolor, immaculatus.

Var. g, ut var. f, sed vertex capitis et clava femorum fusco-nigra.

In var. h, vertex capitis late niger; antennae piceae vel fusco-ferrugineae; thorax totus supra et infra niger. Scutellum nigrum. Elytra tota testacea; pectus nigrum; abdomen testaceum, basi parum infuscatum; femorum clava nigra; illorum basis ut et tibiae et tarsi fusco-ferruginei; cetera omnino ut in prioribus, quare non distincta species. Foveolae impressae in disco thoracis, etiam in aliis varietatibus obser-

observantur, plus minusve evidentes; typos ipsos e Musaeo Paykulliano consului.

4. C. clavipes: depressum, nigrum, opacum, sub-pubescens, confertim rugoso-punctatum, antennis longitudine corporis, femoribus longis crasse clavatis.

Fabr. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 445. 12.

Habitat in silvis, domibus, apud nos rarius.

Statura fere C. violacei, sed paulo longius; magnitudo valde variat. Caput nigrum, confertissime punctulatum, obsolete canaliculatum, ore piceo; oculi brunnei. Antennae longitudine corporis, basi crassae, totae nigrae, pubescentes, subtus hirtae. Thorax longitudine multo brevior, basi apiceque truncatus, lateribus valde rotundato-compliatus, fere angulatus, supra depressus, confertissime rugoso-punctatus, niger, opacus, tenue pubescens. Scutellum parvum, semi-ovale, nigrum, vix punctulatum. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris rectangulis, thorace quintuplo longiora, sub-linearia, apice rotundata, supra fere plana, antice evidentius, versus posteriora subtiliter confertissime punctata, tota nigra, opaca, vix pubescentia. Pectus nigrum, sub-opacum, confertius punctulatum, tenue pubescens; abdomen magis nitidum, parcius punctatum. Pedes nigri, femoribus elongatis, crasse clavatis.

5. C. femoratum: depressum nigrum opacum, sub-pubescens, confertim ruguloso-punctatum, antennis longitudine corporis, femoribus longis, crasse clavatis, rufis.

Fabr. Panz. Schönh. Syn. 3. 446. 16.

Cerambyx femoratus, Linn. De Géer.

Habi-

Habitat in silvaticis Sueciae meridionalis, rarius.

Statura et summa affinitas praecedentis, minimisque ejus magnitudine aequale. Caput, antennae, thorax, scutellum, elytra ut in praecedenti omnino, modo os dilutius piceum, antennae extrorsum et elytra versus apicem sub-picea; elytra etiam apice subacuminata, dehiscentia. Pectus et abdomen ut in priori. Pedum structura etiam omnino eadem, sed femorum clava laete rubra, vel sanguinea, apice ipso nigro; tibiae anticae et tarsi omnes piceae.

6. C. sanguineum: breve, depressum, nigrum, supra pube densa depressa sanguinea tectum, thorace lateribus angulato.

Fabr. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 452. 47.

Habitat in silvis, apud nos rarius; in ligno caeso quercus prope Alingsäsiam Westrogothiae semel copiose legi.

Statura brevis, lata, depressa C. violacei, et minoribus ejus aequale. Caput parvum, rotundatum, nigrum, crebre punctulatum, inter antennas canaliculatum, fronte pilis depressis sanguineis tecta; oculi brunnei, profunde emarginati. Antennae maris longitudine fere corporis, feminae paulo breviores, nigro-piceae, parum pilosae. Thorax brevis transversus, basi apiceque truncatus, lateribus rotundatus, paulo pone medium angulo acuminato armatus, supra inaequalis, antice posticeque constrictus, totus niger, crebre punctulatus, pube longiore depressa sanguinea nitida, vario modo contorta tectus, remanente linea media sub-laevi nuda nigra; subtus niger, punctatus, parce rufo-pubescens, margine antico densius ciliato. Scutellum semi-ovale nigrum, sanguineo-pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, et illo

qua-

quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, supra depressa, confertim obsolete punctulata, pallida, pube longa, densa depressa sanguinea nitida omnino tecta. Pectus et abdomen nigra, nitida, subtiliter punctulata, parum pubescentia, ventris lateribus anoque densius sanguineo-pilosis. Pedes longiusculi, femoribus crasse clavatis, nigris, nitidis, tibiis tarsisque piceis, rufescenti-pilosis.

7. C. violaceum: latius, depressum, supra violaceum, confertim rugoso-punctatum, antennis corpore brevioribus, thorace postice angustiore.

Fabr. Payk. Schönh. Syn. 3. 445. 14.

Cerambyx violaceus, Linn. De Géer.

Var. *b*, elytris aeneo-violaceis.

Habitat in ligno pini et abietis; saepe in domibus, frequens; var. *b*. rarius occurrit.

Magnitudo valde variat; mares saepe feminis quadruplo minores; statura latior et brevior quam praecedentium. Caput parvum, nutans, crebre punctatum, cinereo-pubescens, fronte et vertice leviter canaliculatis, coerulescentibus, ore fusco-testaceo; oculi brunnei. Antennae maris parum, feminae corpore multo breviores, sub-pilosae, articulis quatuor primis nigro-coerulescentibus, reliquis piceis. Thorax brevissimus, antice latior, sub-emarginatus, lateribus valde rotundato ampliatus, posterius angustior, basi truncatus, supra depressus, confertissime ruguloso-punctatus, pube sub-erecta fusca adspersus, aut coeruleus, aut purpurascenti-violaceus, opacus. Scutellum semi-ovale, thoraci concolor, obsolete punctulatum. Elytra thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace quintuplo longiora, sub-linearia, apice obtuse rotundata, supra depressa, inae-

inaequalia crebre punctata, posterius confertius coriacea, tenue pubescentia, aut coeruleo- aut purpureo-violacea, magis quam thorax nitida. Pectus nigro-coerulescens, opacum, confertim punctulatum, pubescens; abdomen nigro-piceum, magis nitidum, parcius punctulatum. Pedes longiusculi, validi, fusco-pubescentes, coerulei, femoribus minus crasse clavatis, posticis valde elongatis.

Var. b, differt tantum colore aeneo-purpurascente nitido.

3. C. dilatatum: latius, depressum, supra virescenti-aeneum, thorace subtilissime coriaceo, elytris rude reticulato-rugosis, postice latioribus.

Payk. Schönh. Syn. 3. 448. 23.

Callidium variabile, Fabr. Oliv. Panz.

Habitat in silvaticis, domibus, passim.

Statura lata C. violacei, et mediocribus ejus magnitudine aequale. Caput depressum, rotundatum, subtilissime coriaceo-punctulatum, leviter canaliculatum, tenue pubescens, virescenti-aeneum, interdum cupreo-tinctum, ore piceo; oculi brunnei. Antennae maris corpore parum, feminae multo breviores, sub-pilosae, articulo primo magno, clavato, plerumque nigro, sequentibus obscure ferrugineis, apice fuscis. Thorax brevissimus, antice sub-emarginatus, margine in medio elevato, reflexo, lateribus valde dilatato-ampliatus, posterius paulo angustior, basi truncatus, supra depressus, marginibus tumidis; confertissime subtiliter coriaceus, tenue pubescens, totus virescenti-aeneus, sub-opacus. Scutellum semiovale, viridi-aeneum, nitidum, obsolete punctulatum. Elytra antice thoracis basi vix dimidio latiora, humeris carinato-elevatis, rotundatis, thorace quintuplo longiora et ultra, pone basin et iterum pone me-

dium ampliata, apice obtuse rotundata, supra depressa, inaequalia, flexilia, costis nonnullis longitudinalibus elevatis notata, versus basin subtilius punctata, posterius rugis elevatis irregulariter reticulata, vix pubescentia, viridi-aenea, magis nitida. Corpus subtus piceum, saepe dilutius fusco-testaceum, subtiliter punctulatum, tenue pubescens, abdomine magis nitido. Pedes longiusculi pubescentes, aut picei, aut fusco-testacei, femoribus clavatis, posticis valde elongatis.

9. C. coriaceum: lineari-elongatum, subdepressum, confertim punctatum, cinereopubescens, supra fusco-aeneum, elytris postice pallidioribus, femoribus clavatis subviolaceis.

Payk. Schönh. Syn. 3. 448. 24.

Habitat in silvaticis rarius, in Finlandia, Lapponia.

Statura elongata, angustior C. variabilis, et magnitudo pari modo varians. Caput rotundatum, confertim rugoso-punctatum, obsolete canaliculatum, cinereo-pubescens, nigro-aeneum, ore piceo. Palporum articulus ultimus valde dilatatus, sub-securiformis; oculi brunnei. Antennae longitudine fere corporis, sub-pilosae, basi nigrae, extrorsum fuscae. Thorax brevis, antice latior, sub-emarginatus, margine in medio elevato, reflexo, lateribus rotundato-ampliatus, posterius angustior, basi truncatus, supra depressus, versus margines confertissime, in disco minus crebre sed multo profundius rugoso-punctatus, callo medio, et saepe alio laterali utrinque laevibus; totus fusco-virescens vel olivaceus, pube longiore erecta cinerea adspersus. Scutellum semi-ovale, thoraci concolor, sub-laeve. Elytra thoracis basi fere duplo latiora, humeris rotundatis, thorace quintuplo longiora, linea-

ria

ria, apice obtuse rotundata, supra depressa, anterius virescenti-olivacea, apicem versus pallescentia. Corpus subtus jam dilutius, jam saturatius fusco-testaceum, subtilissime punctulatum, cinereo-pubescens, abdomine nitido. Pedes longiusculi pilosi, femoribus elongatis clavatis nigro-violaceis, tibiis tarsisque fusco-ferrugineis.

10. C. striatum: elongatum, convexum, nigrum, opacum, subtilissime punctulatum, elytris obsolete multi-striatis, antennis brevibus.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 455. 57.

Var. b, minor, elytris fusco-testaceis. *Schönh.* l. c. var. *β.*

Callidium agreste, *Fabr. S. El.* 2. 338. 27.

Habitat in silvis acerosis frequens; var. b, rarius occurrit.

Reliquis magis convexum, statura Tenebrionis molitoris; magnitudo valde variat. Caput rotundatum nigrum, opacum, crebre subtilissime punctulatum, fronte plus minusve impressa, obsolete canaliculata; oculi nigro-brunnei. Antennae vix dimidio corpore longiores, crassiusculae, nigrae, apice piceae. Thorax brevis, antice latior, sub-emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, posterius angustior, basi truncatus, supra modice convexus, inaequalis, canalicula nempe media, foveolisque plerumque quinque impressus, una ante scutellum et duo in disco utrinque, saepe tamen obsoletis; praeterea confertissime subtiliter punctulatus, tenue pubescens, totus niger, opacus. Scutellum semi-ovale, nigrum, punctulatum. Elytra thoracis basi vix dimidio latiora, humeris rotundatis, thorace quintuplo longiora, linearia,

ria, apice obtuse rotundata, supra convexa, striis in singulo 5 vel 6 elevatis, saepe obsoletis, notata, interstitiis transversim sub-rugulosis, superficie tota praeterea confertissime punctulata; tota nigra, opaca, vix pubescentia. Corpus subtus nigrum vel nigro-piceum, magis nitidum, tenue punctulatum et pubescens. Pedes breviusculi nigri, pubescentes, femoribus compressis, non clavatis, tarsis piceis.

Var. b, differt tantum colore elytrorum pallidiore, fusco-testaceo. Occurrit etiam magnitudine duplo aut triplo minori.

11. C. rusticum: elongatum, sub-depressum, fusco-testaceum opacum, subtilissime punctulatum, thorace foveolato, elytris lineis tribus elevatis, antennis brevibus.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 449. 30.

Habitat in silvis frequens.

Statura valde elongata; magnitudo nimis variabilis; maximi pollicares et ultra, alii gradatim usque ad sextuplo minores; color etiam dissimilis, aut fusco testaceus, aut dilutius ferrugineus. Caput breve, opacum, confertim punctulatum, tenue pubescens, fronte profunde canaliculata; oculi glaucescentes, saepe argenteo-micantes, leviter emarginati. Antennae corpore multo breviores, basi crassae, fuscae, extrorsum attenuatae, dilutiores. Thorax brevis, fusco-testaceus, basi apiceque truncatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, tumidus, supra in disco depressus, inaequalis, canalicula nempe media, saepe obsoleta, foveola transversa juxta basin et apicem, aliaque sub-arcuata in disco utrinque impressus; superficies tota confertissime punctulata, tenue pubescens. Scutellum semi-ovale, fuscum, subtilissime punctulatum, pubescens. Elytra thoracis basi fere dimidio latiora, humeris rotundatis, thorace sextuplo longiora, linearia, apice obtuse rotundata, supra sub-depressa, pallidius

fusca, saepe testacea, confertissime punctata, punctis minutis et majoribus mixtis, praesertim anterius; in singuli elytri disco lineae duae elevatae, et tertia exterior, pone callum humeralem. Corpus subtus dilutius fusco-testaceum, sub-nitidum, confertissime punctulatum, tenue pubescens. Pedes breviusculi, fusco-testacei, pubescentes, femoribus brevibus compressis, non clavatis.

12. C. luridum: brevius, sub-depressum, subtilissime punctulatum, thorace nigro nitido, sub-canaliculato, elytris opacis, elevato-lineatis, femoribus brevibus clavatis.

a) elytris luride testaceis, antennis pedibusque ferrugineis, femoribus nigris vel piceis.

Fabr. Panz. Schönh. Syn. 3. 453. 51.

Cerambyx castaneus, Linn. De Géer.

Callidium castaneum, Payk. Fn. 3. 86. 7.

Var. b, omnino ut a, sed femora etiam ferruginea.

Var. c, elytris nigro-fuscis, vel nigris, opacis, pedibus rufo-ferrugineis, aut totis, aut tibiis tarsisque obscurioribus. *Schönh.* l. c. var. *β.*

Callidium fulcratum, Fabr. Oliv.

Callidium aulicum, var. β. Payk. Fn. 3. 82. 3.

Var. d, omnino ut var. c, sed pedes toti nigro picei. *Schönh.* l. c. var. *γ.*

Calli-

Callidium aulicum, *Fabr. Payk. Panz.*

Var. e, ut var. d, sed duplo aut triplo minus, foveis lateralibus thoracis solito majoribus.

Callidium impressum, *Payk. Fn.* 3. 84. 5. *Schönh. Syn.* 3. 453. 52.

Habitat sub cortice truncorum pini et abietis in silvis ubique frequens.

Species polymorpha, magnitudine, colore, impressionibus thoracis etc., valde variabilis; majores C. striato aequales, alii gradatim triplo, quadruplo minores et ultra. Caput majusculum, rotundatum, nigrum, nitidum, in medio parcius, pone oculos confertim punctulatum, fronte inter antennas profunde, posterius obsolete canaliculata; os ferrugineum, mandibulis valde arcuatis nigris; oculi brunnei, profunde emarginati. Antennae corpore multo breviores, basi crassae, extrorsum attenuatae, totae fusco-ferrugineae, pubescentes. Thoracis structura non semper exacte eadem, plerumque latitudine medii dimidio, saepe vero vix tertia parte brevior, praesertim in minoribus, forte masculis; basi apiceque truncatus, margine reflexo, lateribus rotundato-ampliatus, posterius angustior, supra sub-depressus, inaequalis, in medio obsolete canaliculatus, et in disco utrinque foveolis duabus impressis, saepe obsoletis, posterioribus tamen plerumque evidentioribus, interdum magnis profundis; in disco rarius, versus latera et subtus confertim punctulatus, totus niger, nitidus, tenuissime pubescens; in utroque latere subtus linea irregularis rufo-ferruginea, quae tamen saepe obsoleta, et in var. c, d, e semper deest. Scutellum oblongum, nigrum, nitidum, vix punctulatum, apice elevatum, rotundatum. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace quadruplo longiora, sub-linearia, apice obtuse rotundata, supra sub-depressa, omnium

subtilissime punctulata, singulo lineis 2 vel 3 subelevatis, obsoletis, pube tenui, depressa, pallescente, versus basin densiore, adspersa, tota luride testacea. Pectus nigro-piceum punctulatum, tenue pubescens; abdomen magis nitidum, basi rufo-piceum, apicem versus dilutius testaceum. Pedes breviusculi, validi, femoribus crasse clavatis, nigro-piceis, basi, tibiis tarsisque ferrugineis.

Var. b, in omnibus simillima, modo femora dilutiora, tota rufo-ferruginea.

In var. c, elytra aut nigra, opaca, aut fusca vel umbrina, angulo humerali saepe fusco-testaceo; antennae basi obscure piceae; linea nulla rufa in thorace subtus. Pedes rufo-ferruginei, aut toti, aut femora solum, tibiis tarsisque obscurioribus; cetera ut in var. b, omnia.

Var. d, ut var. c, omnino, modo femora nigra vel nigro-picea; tibiae et tarsi aut nigro- aut rufo-picei.

Var. e, specimen pygmaeum varietatis d, foveolis posterioribus thoracis majoribus, profundius impressis. Specimina originalia e Musaeo Paykulliano accuratissime lustravi, quare de identitate convictus sum.

13. C. fuscum: longius angustum, nigrum, thorace confertim ruguloso-punctato, subopaco, canaliculato, limbo ferrugineo, elytris luride testaceis, elevato-lineatis.

Fabr. S. El. 2. 342. 50. *Schönh. Syn.* 3. 454. 53.

Callidium triste, *Panz. Fn.* 70. *f.* 11.

Var. b, majus, thorace utrinque foveola evidentiore impressa notato.

Payk. Fn. 3. 86. *Not. sub C. castaneo.*

Habitat cum praecedente passim.

Prae-

Praecedentis a et b, simillimum et valde affine, distinctum tamen videtur statura longiore et angustiore, thorace crebre punctato, opaco, antice posticeque ferrugineo-marginato etc. Caput nigrum, subnitidum; os, oculi et antennae ut in priori omnino, modo punctura frontis crebrior. Thorax quoad structuram fere ut in priori, sed paulo angustior, in disco evidentius impressus et canaliculatus, undique confertim ruguloso-punctatus, densius cinereo-pubescens, niger, opacus, margine ipso antico et postico ferrugineis, cum lineis laterum inferiorum ejusdem coloris confluentibus. Scutelli forma ut in priori, piceum, punctulatum, apice plerumque testaceum. Elytra thoracis basi dimidio latiora, et illo fere quadruplo longiora, linearia, apice obtuse rotundata, supra subdepressa, pari modo ac in priori punctulata et elevato-lineata, luride testacea, opaca, fascia lata baseos pallidiore e pube densa, depressa. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, subtiliter punctulatum, tenue pubescens, abdomine plus minusve testaceo-maculato, praesertim versus apicem. Pedes breviusculi, validi, pallido-pubescentes, femoribus rufo-piceis, minus quam in priori incrassatis, tibiis tarsisque ferrugineis.

Var. b, differt tantum magnitudine majori, antennis basi obscurioribus, et thorace pone medium fovea satis magna utrinque impresso.

14. C. alni: brevius, sub-depressum, nigrum, elytrorum basi, antennis tibiisque ferrugineis, elytris fasciis duabus arcuatis albis.

Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 458. 70.

Leptura alni, *Linn. Syst.* 2. 639. 19.

Clytus alni, *Fabr. S. El.* 2. 354. 38.

Habitat in pratis silvaticis, apud nos rarius.

Facies

Facies quodammodo Clyti mystici, sed sextuplo minus et ultra. Caput parvum, rotundatum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum, tenue pubescens, ore rufo-piceo; oculi emarginati brunnei. Antennae corpore paulo breviores, sub-filiformes, totae rufo-ferrugineae, pubescentes. Thorax sub-transversus, apiceque truncatus, marginibus reflexis, lateribus rotundato-ampliatus, supra modice convexus, niger, sub-nitidus, confertim punctulatus, tenue pubescens. Scutellum triangulare nigrum, punctatum, dense cinereo-pubescens. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris elevatis rectangulis, thorace quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, supra sub-depressa, versus basin evidenter, posterius obsolete confertim punctata, tenue pubescentia, antice ad tertiam fere partem ferruginea, dein nigra; paulo ante medium fascia angusta lunata, ad suturam abbreviata, in singulo elytro, et pone medium altera, paulo latior, integra, arcuata, ambae albidae, e pube depressa, densa. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, parce punctulatum, tenue pubescens. Pedes longiusculi ferruginei pubescentes, femoribus basi angustis, extrorsum crasse clavatis, clava plerumque nigra vel picea.

15. C. undatum: longius, nigrum, profunde punctatum, pallido-pilosum, elytris, fasciis duabus undatis margineque laterali albis.

a) fasciis elytrorum aut latioribus aut angustioribus, cum margine laterali albo connexis.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 456. 65. α, β.

Var. b, fascia anteriore elytrorum deficiente. *Schönh.* l. c. var. γ.

Var.

Var. c, fasciis elytrorum dilatatis, in fasciam unicam latam, medio litura flexuosa nigra notatam, confluentibus.

Var. d, fasciis elytrorum abbreviatis, a margine laterali discretis, nec suturam attingentibus.

Var. e, loco fasciarum puncta vel liturae parvae tantum exstant; magnitudo etiam saepe duplo minor. *Schönh.* l. c. var. δ, ε.

Habitat in silvaticis, sepibus, domibus, frequens; varietates vero rarius occurrunt; var. b, in Ostrogothia capta a *Dom. Zetterstedt*; var. c, in Blekingia, *Dom. Marklin*; var. d, e, in Uplandia, Westrogothia.

Magnitudo variat; corpus totum pilis longis, erectis, pallide cinereis, parum dense adspersum. Caput majusculum, nigrum, opacum, confertim punctatum, pallido villosum, fronte non canaliculata; oculi nigro-brunnei, profunde emarginati. Antennae maris longitudine corporis, totae ferrugineae; feminae breviores, basi nigro-piceae. Thorax latitudine medii parum brevior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, posterius angustior, supra depressus, crebre ruguloso-punctatus, totus niger, opacus, cinereo-villosus; in medio dorsi ante scutellum linea, et in disco utrinque tubercula duo sub-elevata, nigra, glabra, nitida. Scutellum semi-ovale, nigrum, dense cinereo pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris rotundatis, thorace fere quintuplo longiora, sub-linearia, apice rotundata, supra subdepressa, minus crebre sed profundius quam thorax punctata, parcius cinereo-villosa, nigra, nitida, margine

gine laterali toto albido; in disco fasciae duae albae, flexuoso-undulatae, jam latiores, jam magis angustae, margini albo connexae, ad suturam vero plerumque interruptae, prior paulo ante, posterior pone medium. Corpus subtus nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum, longius et densius cinereo-villosum. Pedes elongati, villosi, maris ferruginei, femoribus crassius clavatis, apice nigris; feminae femoribus minus crassis fere totis nigris, tibiis tarsisque piceo-ferrugineis.

Varietates b, c, d, ut in diagnosibus indicatum, differunt.

Var. e, saepe duplo minor, et loco fasciarum puncta aut liturae parvae albidae, forma variantes, observantur.

16. C. muricatum: lineari-elongatum, angustum, depressum, fusco-piceum, griseo pubescens; antennis 12 articulatis pedibusque pallide ferrugineis, thorace oblongo, lateribus muricato.

Schönh. Syn. 3. 458. 71. *App.* 193. 271.

Habitat in silvaticis rarissime; in Westmannia, *Dom. Crug*; in Westrogothia, *Dom. Odhner*; in Ostrogothia, *Dom. Zetterstedt.*

Longitudo fere Clyti mystici, sed angustius, thorace valde elongato a reliquis hujus generis diversum, supra fere planum. Caput breve, nigro-piceum, confertim punctulatum, griseo-pubescens, fronte convexa, non canaliculata; mandibulae breves, nigro-piceae; palpi breves, lineares, pallide ferruginei, apice truncati; oculi brunnei, parum emarginati. Antennae corpore multo breviores, ferrugineae, cinereo-pilosae et pubescentes, 12-articulatae, articulo primo crassiore obconico; secundo dimidio breviore; 3, 4, primo longitudine aequales, sed tenuiores, etiam ob-conici; sequentes lon-

longiores, sub-aequales, fere lineares vel cylindrici; ultimus parvus, breviter ovatus. Thorax latitudine multo longior, basi apiceque truncatus, angulis rotundatis, lateribus leviter ampliatus, supra perparum convexus, in disco subtiliter punctatus, versus latera et antice tuberculis acutis confertim muricatus, nigro-piceus, opacus, plaga centrali et lateribus interdum ferrugineis; in medio dorsi carinula obsoleta sub-laevis nitidior; subtus laevis, nitidus, nigro-piceus, in medio rufescens. Scutellum semi-ovale, piceum. Elytra thoracis medio parum latiora, humeris elevatis, sub-rectangulis, thorace plus triplo longiora, linearia, apice rotundata, supra perparum convexa, confertissime subtiliter ruguloso-punctata, pube tenui adspersa, lineisque in singulo duabus elevatis, obsoletis, notata, aut fusco-picea, aut dilutius fusco-ferruginea, opaca. Alae fusco-hyalinae. Corpus subtus piceo-ferrugineum, parce pubescens, subtiliter punctulatum. Pedes breviusculi pallide ferruginei, pubescentes, femoribus crassiusculis compressis, non vero clavatis.

Obs. Insectum singulare, forte proprii generis; Saperda bicolor, Oliv. Ent. 4. 68. 32. 41. Tab. 3. f. 25, huic affinis videtur. — Species sequentes etiam a Callidiis recedunt, et a Dom. Comite Dejean in genus: Obrium adnumeratae, Cat. p. 110; quando vero characteres earum nondum stabiliti, illas heic afferam.

17. C. pygmaeum: lineari-elongatum, angustum, depressum, fusco-brunneum, opacum, cinereo-pubescens, antennis 12-articulatis longitudine corporis, femoribus arcuatis, clavatis.

Fabr. Fallén. Schönh. Syn. 3. 450. 35.

Obrium pygmaeum, Dej. Cat. p. 111.

Var. b, duplo minus, totum pallide testa-

staceum, antennis pedibusque dilutioribus.

Habitat in Scania ad Esperöd, *Dom. Prof. Fallén.*

Parvum, vix Bronte flavipede majus, statura lineari, thorace elongato antennisque 12-articulatis, C. muricato propinquum. Caput porrectum brunneum, subtilissime ruguloso-punctatum, fronte depressa, inter antennas anguste canaliculata; os ferrugineum; oculi brunnei, late emarginati. Antennae longitudine corporis, setaceae, ferrugineae, pubescentes et pilosae, 12-articulatae, articulo primo magno, crasso, obconico; secundo parvo brevi; tertio et quarto longitudine primi, sed basi angusti, extrorsum crassiores; reliquis sensim angustioribus, sub-cylindricis, elongatis, ultimo breviore sub-acuminato. Thorax latitudine plus quam dimidio longior, basi apiceque truncatus, reflexo-marginatus, lateribus perparum rotundatus, supra depressus, inaequalis, subtiliter punctulatus, in medio canaliculatus, totus brunneus, opacus, pube tenui depressa cinerea adspersus. Scutellum oblongum brunneum, apice rotundatum. Elytra thoracis basi paulo latiora, humeris fere rectangulis, thorace vix triplo longiora, linearia, apice singulatim rotundata, supra depressa, fusco-brunnea, opaca, subtilissime coriacea, punctisque paulo majoribus vagis adspersa, cinereo-pubescentia. Corpus subtus dilutius rufo-brunneum, magis nitidum, pubescens, pectore confertim, abdomine parcius punctulatis. Pedes longiusculi rufo-ferruginei, pubescentes, femoribus arcuatis, clavatis.

Var. b, differt tantum magnitudine minori et colore pallidiore, ut in diagnosi indicatum.

Obs. Callidium pusillum, Fabr. Panz. Rossi, Schönh. Syn. 3. 450. 36, huic simile et affine, sed differt praecipue thorace multo breviore, magis rotundato.

18. C.

18. C. **cantharinum**: rufo-ferrugineum, sub-pubescens, antennis pedibusque piceis, thorace oblongo, utrinque uni-tuberculato, femoribus crasse clavatis.

Stenochorus cantharinus, *Schönh. Syn.* 3. 409. 49.

Saperda ferruginea, *Fabr. Payk. Panz.*

Obrium ferrugineum, *Dej. Cat. p.* 110.

Habitat in ligno Populi tremulae passim, minus frequens.

Statura et fere color C. variabilis, var. d, e, sed minus. Caput thorace latius, depressum, nutans, rufo-ferrugineum, nitidum, parce punctulatum, fronte ante antennas transversim impressa, mandibulis apice nigris; oculi magni, nigri, valde emarginati. Antennae longitudine fere corporis, setaceae, pubescentes et pilosae, basi nigro-piceae, extrorsum dilutiores. Thorax elongatus, basi apiceque sub-truncatus, longe intra basin et apicem transversim profunde impressus vel constrictus, lateribus utrinque tuberculo magno, rotundato armatus, supra in disco modice convexus, totus saturate rufo-ferrugineus, nitidus, parce subtiliter punctulatus, pube rariore sub-erecta pallida adspersus. Scutellum ovale, concolor, pallido-pubescens. Elytra thoracis basi duplo latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace vix quadruplo longiora, sub-linearia, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, dilutius testacea, nitida, confertim et sat profunde punctata, pube pallida decumbente adspersa. Corpus subtus saturatius rufo-ferrugineum, nitidum, vix punctulatum, parce pallido-pubescens. Pedes elongati, tenues, rufo-picei, longius pallido-pubescentes, femoribus basi angustis, sub-testaceis, extrorsum crasse clavatis nigro-piceis.

Quoniam genus hujus Insecti dubium, instrumenta ciba-

cibaria describere idoneum censui: Palpi quatuor inaequales, filiformes: maxillares longiores et crassiores, 4-articulati, primo longiore, arcuato, basi angusto, apice dilatato, maxillae dorso adnexo; 2, 3, brevibus, crassis, aequalibus, perfoliatis; 4° reliquis longiore, sub-cylindrico, apicem versus nonnihil angustiore, sub-truncato. Palpi labiales minores, tenuiores, sub ligulae medio inserti, 3-articulati, primo longo, angusto, cylindrico; secundo brevi, obconico, tertio iterum longiore, sub-cylindrico, extrorsum paulo angustiore, sub-truncato. Mandibula brevis, lata, cornea, arcuata, acuta, edentula. Maxilla brevis, lata, coriacea, bifida, laciniis arcuatis, acutis, ciliatis, exteriore paulo longiore. Ligula cordata, membranacea, bifida, laciniis divaricatis, apice rotundatis. Labium breve, latum, coriaceum, apice leviter bi-emarginatum. Labrum sub-coriaceum quadratum, apice truncatum.

19. C. brunneum: testaceo-ferrugineum, sub-pubescens, antennis concoloribus, pedibus dilutius testaceis, thorace oblongo, utrinque tuberculato, femoribus crasse clavatis.

Obrium brunneum, *Dej. Cat. p.* 110.
Saperda brunnea, *Fabr. Payk. Panz.*
Stenochorus brunneus, *Schönh. Syn.* 3. 410. 50.
Habitat in Suecia meridionali rarius.

Statura, formatio partium, punctura et pubescentia ut in praecedenti, cui simillimum et valde affine, sed triplo minus, colore antennarum et pedum praecipue distinctum. Caput thorace multo latius, saturate ferrugineum, nitidum, subtilissime et crebrius quam in priori punctulatum, fronte ante antennas foveolis duabus sat profundis, paribus, impressa; oculi nigri,

nigri, valde lunati. Antennae longitudine corporis, setaceae, pubescentes et pilosae, totae ferrugineae. Thorax valde elongatus, angustus, basi apiceque truncatus, intra basin et apicem leviter transversim impressus, lateribus utrinque tuberculo parvo, obtuso, armatus, supra parum convexus, sub-inaequalis, totus saturate ferrugineus, sub-nitidus, sat crebre punctulatus, tenue pallido-pubescens. Scutellum ovale, concolor, pubescens. Elytra thoracis basi duplo latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace vix quadruplo longiora, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, dilutius testacea, sub-nitida, confertim et sat profunde punctata, tenue pallido-pubescentia. Corpus subtus magis nitidum, vix punctulatum, parum pubescens, pectore ferrugineo, abdomine saturatius brunneo. Pedes elongati, pubescentes, toti pallidius testacei, femoribus crasse clavatis.

CLYTUS.

Palpi sub-aequales, articulo ultimo crasso, obtrigono. Maxilla bifida, lacinia exteriore longitudine fere palporum. Antennae filiformes, corpore breviores. Thorax inermis, globoso-sub-orbiculatus.

1. C. liciatus: niger, obscurus, thorace rugoso-punctato, lineis quatuor interruptis, elytris macula fasciaque postica flexuosa albido-pubescentibus.

Schönh. Syn. 3. 461. 10.

Cerambyx liciatus, *Linn. Syst.* 2. 636. 78.

Callidium Hafniense, *Fabr. Payk. Panz.*

Var. b, maculis elytrorum parvis et fascia posti-

postica angusta, tenui. *Schönh.* l. c. var. *β.*

Clytus atomarius, *Fabr. S. El.* 2. 346. 6.

Habitat in silvaticis, praesertim in truncis Populi tremulae, passim.

Magnitudo valde variat; maximi Cl. detrito aequales, alii usque ad quadruplo minores. Caput rotundatum, nigrum, obsolete punctulatum, fronte carinula media elevata glabra, utrinque linea e pube densa cinereo-flavescente cincta; oculi brunnei, sat profunde sed anguste emarginati. Antennae corpore fere dimidio breviores, sub-filiformes, brunneae, cinereo-pubescentes. Thorax transversus, basi apiceque truncatus, anguste marginatus, lateribus valde dilatato-ampliatus, supra convexus, confertissime rugoso-punctatus, fere reticulatus, totus niger, subtus et lateribus pube rigida depressa cinerea vel flavescente adspersus, quae in linea laterali fere integra utrinque et duabus dorsalibus, basin non attingentibus, saepe interruptis, magis condensata. Scutellum breve, semi-orbiculare, nigrum, vix punctulatum, tenue pubescens. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, thorace quadruplo longiora, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, subtiliter coriaceo-punctulata, nigro-fusca, opaca, pilis rigidis depressis albidis adspersa, in anteriore parte maculas, pone medium fasciam valde arcuatam formantibus, jam latiorem et determinatam, jam interruptam et obsoletam. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, confertim punctulatum, cinereo-pubescens, praesertim ad margines segmentorum. Pedes nigri vel picei, pubescentes, postici valde elongati, femoribus arcuatis, modice clavatis.

Var. b, differt tantum signaturis pilosis elytrorum paucioribus, angustioribus, non confluentibus.

2. C. detritus: niger, obscurus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, thorace flavo-fasciato, elytris fasciis quinque flavis subrectis, anticis duabus remotis, interruptis.

Fabr. Schönh. Syn. 3. 468. 31.

Callidium detritum, *Oliv. Payk. Panz.*

Habitat in pratis silvaticis passim.

Reliquis nostris hujus generis major, sed variat etiam minor. Caput parvum, rotundatum, nigrum, punctulatum, pube densa, depressa, laete flava tectum, relicta fascia nuda nigra verticis inter oculos; frons inter antennas elevata, canaliculata; os rufo-ferrugineum, mandibulis apice nigris; oculi brunnei; sat profunde emarginati. Antennae corpore breviores, validae, fusco-ferrugineae, pilosae. Thorax latus, transversus, basi apiceque sub-truncatus, anguste reflexo-marginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, supra convexus, pulvinatus, totus niger, crebre sed obsolete punctulatus, fusco-pubescens; intra apicem fascia lata, recta, et in medio alia angusta, arcuata, e pube depressa, laete flava. Scutellum semi-orbiculare nigrum, fusco-pubescens. Elytra antice vix latitudine medii thoracis, humeris rotundatis, thorace quadruplo longiora, posterius angustata, apice oblique truncata, supra convexa, subtilissime confertim punctulata, anterius saturate nigra, fusco-pubescentia, apicem versus brunnea; juxta basin striga angusta et paulo ante medium altera latior, ambae abbreviatae, nec suturam nec marginem attingentes, e pube depressa, laete flava; pone medium fascia tertia flava arcuata, integra, ad suturam dilatata, posterius fascia nigra terminata; apex totus dein flavo-pubescens, litura externe abbreviata nigro-brunnea divisus; margo lateralis et sutura, praesertim antice, plerumque ferruginea. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, dense flavo-pubescens. Pedes elongati, validi,

satu-

saturate ferruginei, pubescentes, femoribus arcuatis, modice clavatis.

3. C. arcuatus: niger, obscurus, antennis pedibusque ferrugineis, elytris punctis baseos, fasciis tribus disci, lineolaque obliqua apicis flavo-pubescentibus.

Fabr. Schönh. Syn. 3. 462. 12.

Callidium arcuatum, Oliv. Payk. Panz.

Habitat in pratis silvaticis passim.

Statura praecedentis, sed dimidio minor. Caput, oculi, os, antennae omnino ut in priori, modo mandibulae totae piceae. Thoracis structura, color et fascia flava juxta apicem etiam ut in illo, sed loco fasciae mediae flavae, lineola obliqua abbreviata utrinque, in fovea impressa locata; subtus, versus basin femorum anticorum, punctum distinctum flavum. Scutellum semi-orbiculare nigrum, dense flavo-pubescens. Elytra quoad formam fere ut in priori, sed apice singulatim rotundata, dehiscentia, supra convexa, subtilissime coriacea, tota nigra, pube atra depressa tecta; sub humero linea angularis flava; supra callum humeralem lineola conica transversa, et paulo posterius juxta suturam macula ovata flava in singulo elytro; dein litura transversa flexuoso-arcuata, abbreviata, nec suturam nec marginem attingens; pone medium fasciae duae angustae, arcuatae, ad suturam confluentes, sed externe abbreviatae, et in ipso apice linea marginalis flava; omnis flavedo e pube depressa laete sulphurea oritur. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pectore maculis, abdomine fasciis flavo-pubescentibus ornatis. Pedes longiusculi rufo-ferruginei, femoribus arcuatis, clavatis, clava plerumque in medio nigro-picea.

4. C. arietis: niger, obscurus, thorace subglo-

globoso, fascia antica integra, elytris quatuor flavis, secunda arcuata, pone scutellum oppositae juncta.

Schönh. Syn. 3. 464. 13.

Leptura arietis, Linn. Callidium id. Oliv. Payk. Panz.

Clytus Gazella, Fabr. S. El. 2. 348. 10.

Var. b, fasciis thoracis et elytrorum scutelloque albis.

Habitat in floribus pratorum silvestrium passim; var. b, in Scania rarius, *Dom. Zetterstedt.*

Feminae majores C. arcuato longitudine aequales, sed angustiores; masculi saepe quadruplo minores et ultra. Caput rotundatum nigrum, crebre ruguloso-punctatum, pube erecta cinerea adspersum, ore piceo; versus os lineola flava utrinque e pube depressa; oculi brunnei, anguste emarginati. Antennae vix dimidio corpore longiores, crassiusculae, filiformes, nigro-fuscae; articulis 2—6, dilutius ferrugineis. Thorax sub-globosus, basi apiceque truncatus, lateribus aequaliter rotundatus, supra pulvinatus, aequalis, crebre punctulatus, saturate niger, pube erecta cinerea adspersus; in ipso margine antico fascia lata integra, et in margine postico alia angusta, in medio plerumque interrupta, ut et subtus macula juxta insertionem pedum anticorum, e pube depressa laete flava vel citrina. Scutellum semi-orbiculatum nigrum, pube densa citrina tectum. Elytra thoracis medio paulo latiora, humeris rotundatis, thorace triplo longiora, posterius parum angustata, apice oblique truncata, supra modice convexa, saturate nigra, creberrime punctulata vel coriacea, antice et lateribus

pube rariore erecta cinerea, in disco pube subtili depressa nigra adspersa; paulo pone humerum striga parva transversa, utrinque abbreviata, in singulo elytro; intra medium marginis fascia latior, antrorsum versus suturam arcuatim adscendens, longe infra scutellum cum opposita alterius elytri conjuncta; pone medium fascia tertia, retrorsum arcuata, marginem lateralem non attingens, et in ipso apice quarta, terminalis, omnes e pube depressa laete flava seu citrina. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, crebre punctulatum, pube erecta cinerea adspersum, maculis duabus ad latera pectoris utrinque, fasciisque quatuor latis ad margines segmentorum ventralium, e pube depressa citrina. Pedes valde elongati, postici praesertim toto corpore longiores, rufo-ferruginei, pubescentes, femoribus, saltem anterioribus, nigro-piceis.

Var. b, omni puncto simillima, modo signaturae paginae superioris, quae in a, citrinae, in hac albae; fasciae vero abdominis et maculae pectoris flavae ut in a.

5. C. Antilope: niger obscurus, thorace latiore sub-angulato, rugoso, interrupte flavo-fasciato, elytris fasciis quatuor flavis, secunda arcuata, scutellum attingente.

Zetterstedt Act. Holm. 1818. 257. 11. *Schönh. Syn.* 3. 465. 14.

Habitat in Finlandia, *Dom. Schönherr*; in Scania, *Dom. Zetterstedt.*

Magnitudo, statura et summa similitudo praecedentis, vere tamen distinctus. Caput ut in praecedente, sed pubescentia brevior, sub-depressa. Antennae similiter constructae, sed totae ferrugineae. Thorax latior, praesertim in femina, lateribus magis ampliatus, versus basin sub-angulatus, supra minus convexus, fortius rugoso-punctatus; fascia flava apicis

cis in medio late interrupta, et loco fasciae baseos, macula tantum flava utrinque. Scutellum ut in priori. Elytrorum forma eadem, sed fasciae intermediae flavae aliter constructae; secunda nempe ad scutellum usque arcuatim assurgit, ibique saepe dilatata ad basin usque elytrorum extenditur; fascia tertia angustior, praesertim in masculis, minusque arcuata ad suturam nonnihil dilatata. Corpus et pedes ut in priori.

Obs. Specimen majus, femineum, e Germania missum, in fronte gerit lineas duas longitudinales, elevatas, utrinque conniventes, linea flava pilosa cinctas; individua parva masculina, etiam e Germania, sub nomine Cl. t e n u i s, missa.

6. C. p l e b e j u s: niger, obscurus, thorace oblongo, immaculato, elytris macula humerali, litura arcuata scutellum attingente, fascia posteriore apiceque albido-pilosis.

Fabr. Schönh. Syn. 3. 466. 21.

Callidium plebejum, *Oliv. Payk. Panz.*

Habitat in Suecia meridionali rarissime, *Dom. de Paykull.*

Individuis minoribus masculinis C. a r i e t i s aequalis et statura similis; signaturae elytrorum fere ut in C. a n t i l o p e, colore excepto. Caput rotundatum nigrum, crebre punctulatum, tenue pubescens, ore piceo; oculi brunnei, parum emarginati. Antennae dimidio corpore parum longiores, nigrae, apice fuscae. Thorax latitudine longior, basi apiceque truncatus, anguste reflexo-marginatus, lateribus rotundatus, supra valde convexus, pulvinatus, subtiliter ruguloso-punctatus, totus niger, immaculatus, pube tenui depressa cinerea adspersus. Scutellum semi-orbiculare nigrum, dense albido-pubescens. Elytra latitudine medii thoracis, humeris rotundatis, thorace vix triplo longiora, apice oblique truncata, angulo exteriore sub-

 acumi-

acuminato; supra modice convexa, subtiliter coriacea, nigra, obscura, signaturis e pube albida, depressa, notata, nempe: macula ovata juxta humerum; arcus e basi interiore juxta scutellum et suturae basin ductus, dein extrorsum flexus, in medio elytri desinens; fascia pone medium, ad suturam dilatata et alia latior in ipso apice. Corpus subtus nigrum, punctulatum, densius cinereo-pubescens. Pedes elongati, femoribus arcuatis nigris, parum incrassatis, tibiis tarsisque fusco-piceis.

7. C. verbasci: angustior, niger, pube flavo-virescente tectus, thorace maculis tribus, elytris lunula fasciisque duabus denudatis nigris.

Fabr. Schönh. Syn. 3. 469. 38.

Callidium verbasci, Oliv. Payk. Panz.

Habitat in Uplandia, Blekingia, rarius.

Praecedentibus longior, sed angustior, linearis. Caput oblongum, nigrum, punctulatum, pube depressa flavo-virescente adspersum, oculis brunneis, profunde emarginatis. Antennae dimidio corpore paulo longiores, tenues, nigrae, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine multo longior, basi apiceque truncatus, anguste reflexo-marginatus, lateribus rotundatus, supra valde convexus, pulvinatus, subtiliter coriaceo-punctulatus, niger, pube depressa flavo-virescente tectus, relicta macula magna sub-didyma in medio disci, denudata, nigra, cum puncto parvo, distincto, utrinque. Scutellum semi-orbiculare nigrum, dense flavo-virescenti-pubescens. Elytra thoracis medio vix latiora, humeris rotundatis, thorace triplo longiora, apice oblique truncata, supra modice convexa, crebre coriaceo-punctata, nigra, pube simili uti thorax tecta; in ipso callo humerali macula oblonga, denudata nigra, et interius versus suturam lunula ejusmodi, sinu extrorsum spe-

spectante; in medio fascia, externe latior, utrinque abbreviata, et intra apicem alia latior, suturam non attingens, itidem nigrae, denudatae. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pube depressa flavo-virescente tectum. Pedes elongati, tenues, parce cinereo-pubescentes, nigri, tarsis piceis.

8. C. ornatus: brevior, niger, pube flavescente tectus, thorace fascia, elytris annulo baseos fasciisque duabus denudatis nigris.

Fabr. Schönh. Syn. 3. 469. 39.

Callidium ornatum, *Oliv. Panz.*

Var. b, fascia thoracis obsoletiore, bis interrupta. *Schönh.* l. c. var. *β*. forte mas.

Leptura verbasci, *Linn. Syst.* 2. 640. 22.

Habitat in pratis silvaticis, apud nos rarissime, in Kinnakulle Westrogothiae a *Dom. Hollberg* lectus.

C. verbasci similis et affinis, sed paulo brevior et latior, signaturis denudatis aliter constructis, pubescentia flava, parum virescente tectus. Caput, oculi, antennae ceterum ut in priori. Thorax paulo brevior, alias ejusdem structurae et loco macularum, fascia media denudata, nigra, utrinque arcuatim attenuata, abbreviata. Scutellum ut in priori. Elytra paulo breviora et indumentum magis flavescens, alias quoad formam et puncturam ut in priori; juxta basin annulus magnus denudatus niger, externe tantum apertus; in medio fascia lata continua, ad marginem et suturam anterius acuminato-dilatata, et intra apicem altera, etiam integra, interne angustior, itidem denudatae, nigrae. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pube densa, depressa, flava, parum virescente tectum. Pedes

Pedes elongati, tenues, femoribus nigris, virescenti-pubescentibus, tibiis tarsisque fusco-piceis.

Var. b, differt tantum fascia denudata thoracis obsoleta, interrupta, in tres maculas divisa, quarum media minor, oblonga, laterales arcuatae, extrorsum abbreviatae.

9. C. mysticus: lineari-elongatus, niger, elytris basi rufis, medio strigis tribus arcuatis, apiceque late albido-pubescentibus.

Fabr. Schönh. Syn. 3. 471. 44.

Callidium mysticum, Oliv. Payk. Panz.

Var. b, elytris basi concoloribus. *Schönh.* l. c. var. *β*

Habitat in floribus pratorum silvestrium, passim.

Statura lineari-elongata C. arietis, et minoribus ejus sub-aequalis. Caput rotundatum nigrum, punctulatum, pube tenui depressa cinerea adspersum, fronte obsolete canaliculata; oculi brunnei, parum emarginati. Antennae corpore breviores, nigrae, sub-pilosae, articulis basi cinereo-pubescentibus. Thorax latitudine paulo longior, basi apiceque truncatus, anguste reflexo-marginatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, posterius angustior, supra convexus, sub-pulvinatus, subtilissime punctulatus, saturate niger, opacus, pube cinereo-fusca tectus. Scutellum sub-triangulare, nigrum, pube albida tectum. Elytra thoracis basi fere duplo latiora; humeris valde elevatis, rectangulis, thorace fere quadruplo longiora, sub-linearia, apice oblique sub-truncata, supra convexa, antice inaequalia, ibique profundius punctata, apicem versus subtilius et crebrius punctulata, basi indeterminate rufo-ferruginea, dein nigra, sub-nitida; apex late, et in medio strigae tres flexuoso-arcuatae, appro-

approximatae, e pube depressa cinereo-albida, interdum flavescente; striga anterior retrorsum valde arcuata, versus suturam assurgit, vix tamen illam attingit; media suturam ipsam primo sequitur, dein extrorsum flexa, in medio disci desinit; tertia pone medium marginis inchoata, dein antrorsum versus suturam arcuatim ducta, ibique cum opposita alterius elytri et cum media conjuncta. Corpus subtus nigrum, punctulatum, tenue cinereo-pubescens, lineis duabus ad latera pectoris, et 2. s. 3, obliquis ad margines anticos segmentorum ventralium utrinque, e pube condensata albida vel flavescente. Pedes elongati nigri pubescentes, femoribus arcuatis, clavatis, tarsis piceis.

Var. b. plerumque paulo major, elytris etiam basi concoloribus nigris tantum differt.

SAPERDA.

Palpi inaequales, articulo ultimo sub-cylindrico, basi apiceque angustiore. Maxilla brevissima, bifida. Ligula cordata aut integra, aut leviter emarginata. Oculi valde lunati. Caput verticaliter deflexum. Thorax cylindricus, muticus.

1. S. carcharias: nigro-fusca, supra dense griseo-subtus flavescenti-pubescens, undique nigro-punctata, antennis longitudine corporis, elytris apice sub-acuminatis.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 422. 35.

Var. b, etiam supra flavescenti-pubescens.

Habitat in silvaticis frequens, intra truncos Populi tremulae metamorphosin subiens.

Maxima nostratum hujus generis; femina masculo duplo

major, praesertim latior, posterius minus angustata. Caput brevissimum, deflexum, nigrum, profunde punctatum, griseo-pubescens et pilosum, fronte inter antennas profunde canaliculata; oculi magni, brunnei. Antennae longitudine corporis, setaceae, articulo primo magno, ob-conico, nigro, sequentibus sensim angustioribus, basi cinereo-pubescentibus, apice nigris. Thorax parvus, sub-cylindricus, antice truncatus, margine elevato, reflexo, lateribus perparum rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, inaequalis, rude rugoso-punctatus, pubescens. Scutellum semi-ovale nigrum, vix punctulatum, griseo-pubescens. Elytra antice thorace duplo latiora, humeris valde elevatis, rectangulis, thorace sextuplo longiora, apicem versus angustata, praesertim in masculis, apice ipso acumine medio parvo instructa; supra parum convexa, nigra, pube densa depressa grisea tecta, anterius rude et profunde, apicem versus sensim subtilius punctata, punctis omnibus nigris, translucentibus; in medio disci cujusvis elytri macula transversim ovata grisea, e pube magis condensata. Corpus subtus nigrum, crebre punctatum, pube densa, depressa griseo-flavescente vestitum, punctis nigris nudis translucentibus. Pedes longiusculi, validi, nigri, pube flavescente vestiti.

Var. b, differt tantum pubescentia totius corporis undique flavo-ferruginea.

2. S. scalaris: nigra, sub-nitida, elytris linea suturali dentata punctisque lateralibus flavo-pubescentibus.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 423. 37.

Habitat in silvaticis passim, praesertim Populetis.

Magnitudo media, sed variabilis. Caput thorace fere latius, sed breve, nigrum, punctatum, pube depressa

pressa flavo-virescente tectum, pilisque erectis fuscis adspersum; oculi brunnei. Antennae longitudine corporis, setaceae, nigrae, articulis plerisque basi albido-pubescentibus. Thorax parvus, brevis, angustus, apice truncatus, basi bi-sinuatus, longe intra basin et apicem profunde constrictus, unde latera etiam inaequalia, supra in disco parum convexus, crebre punctatus, niger, subtus et lateribus pube densa flavo-virescente, plaga magna dorsali quadrata nigra nitida denudata, punctoque laterali obsoleto fusco utrinque. Scutellum sub-quadrangulum, nigrum, dense flavo-pubescens. Elytra thoracis basi duplo latiora, humeris valde elevatis, rectangulis, thorace quintuplo longiora, posterius nonnihil angustiora, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, crebre et sat profunde punctata, nigra, sub-nitida, signaturis variis e pube depressa flavo-virescente pulchre decorata; sutura nempe tota flava, utrinque ramulos sex emittens, primo incurvo, secundo transverso, tertio apice adscendente, quarto brevi rotundato, quinto difformi, macula adnexa aucto, sexto apicis, recurvo, et praeterea maculae 5 vel 6 intra-marginales, irregulares flavae. Corpus subtus nigrum, vix punctulatum, pube flavo-virescente tectum. Pedes mediocres nigri, pubescentes, femoribus simplicibus.

Obs. Color pubescentiae variat, aut laete flavus, aut flavo-virescens.

3. S. tremulae: nigra, pube subtilissima depressa coeruleo-virescente undique tecta, thorace elytroque singulo punctis quatuor holosericeo-atris.

Fabr. Panz. Schönh. Syn. 3. 434. 94.

Var. b, puncto quarto elytrorum obsoleto aut deficiente, *Payk. Fn.* 3. 76. 8.

Habitat in truncis Populi tremulae rarius.

Mag-

Magnitudo et statura fere praecedentis. Caput thorace latius, breve, nigrum, concinne punctulatum, pube subtilissima depressa laete viridi et sub-coerulescente omnino tectum, pilisque longioribus erectis sub-fuscis adspersum, linea tenui impressa ab ore ad thoracem usque canaliculatum; oculi nigro-brunnei. Antennae longitudine corporis, setaceae, nigrae, sub-pubescentes. Thorax parvus, cylindricus, antice truncatus, basi sub-sinuatus, supra valde convexus, aequalis, niger, concinne punctulatus, indumento simili uti caput tectus; paulo pone medium disci utrinque macula ovata et in utriusque lateris medio punctum rotundatum, omnia atro-holosericea. Scutellum semi-ovale, thoraci concolor. Elytrorum forma ut ad praecedentem descripta, supra parum convexa, nigra, antice paulo profundius, apicem versus sensim subtilius, concinne punctulata, pube magis coerulescente tecta; in singulo puncta quatuor atro-holosericea, in serie recta longitudinali collocata, quorum tertium plerumque majus, interdum angulatum. Corpus subtus nigrum, vix punctulatum, pube simili ut supra, vel magis virescente omnino tectum. Pedes mediocres nigri, pube virescente tecti, femoribus simplicibus, tarsis latis, subtus pallido-spongiosis.

Var. b, differt tantum puncto quarto singuli elytri aut obsoleto aut nullo.

Obs. S. punctata auctorum, Schönh. Syn. 3. 434. 95. huic magnitudine, statura, colore, indumento simillima, sed differt thorace elytrisque punctis pluribus nigris, aliter dispositis, et abdomine subtus utrinque nigro-punctato; haec apud nos non occurrit, quantum mihi innotuit.

4. S. Seydlii: nigra, pube longiore depressa flavo-virescente tecta, thorace maculis octo oblongis, elytro singulo, quinque atro-holosericeis, rotundis.

Fabr.

Fabr. Schönh. Syn. 3. 435. 96.

Saperda punctata, *Payk. Fn.* 3. 76. 7.

Habitat in truncis Populi tremulae, rarius.

Magnitudo, statura et affinitas praecedentis, sed pubescentia longior et puncta atra plura, aliter disposita. Caput thorace latius, breve, nigrum, punctatum, pube longiore depressa flavescente tectum, fronte anguste et obsolete canaliculata; oculi brunnei. Antennae longitudine corporis, setaceae, nigrae, articulis plerisque basi cinereo-pubescentibus. Thorax parvus, sub-cylindricus, antice truncatus, basi sub-sinuatus, intra basin et apicem leviter constrictus, supra parum convexus, niger, parce punctatus, pube depressa flavescente tectus; in dorso maculae octo atro-holosericeae, oblongae, in series duas transversales dispositae, quarum interiores paulo majores, ovatae; in medio disci etiam saepe linea angusta denudata, nigra. Scutellum sub-triangulare, apice truncatum, nigrum, dense flavo-pubescens. Elytrorum forma omnino ut in prioribus, nigra, subtilius punctata, pube adhuc paulo longiore, depressa, flavo-virescente tecta; in singulo elytro series dorsalis e punctis quinque majusculis atro-holosericeis; intra medium marginis lineola longitudinalis, et sub linea, paulo anterius, punctum parvum ejusdem coloris; callus humeralis plerumque denudatus niger. Corpus subtus nigrum, vix punctulatum, pube longiore depressa flavo-virescente omnino tectum. Pedes ut in priori omnino.

5. S. populnea: nigra, villosa, profunde rugoso-punctata, thorace lineis, elytris punctis plurimis flavescenti-pubescentibus.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 433. 93.

Var. b, dimidio minor, supra magis glabra, thoracis lineis elytrorumque punctis niveis.

Saper-

Saperda salicis, *Zetterstedt Act. Holm.* 1818. 258. 13.

Habitat in Populo tremula sat frequens; var. b, in Salice viminali Scaniae capta, etiam alibi obvia.

Prioribus minor et magnitudine varians. Caput latitudine thoracis, convexum, nigrum, sat profunde punctatum, pube depressa flavescente, in ambitu oculorum condensata, pilisque longioribus erectis fuscis adspersum; oculi nigro-brunnei. Antennae corpore paulo breviores, setaceae, nigrae, articulis plerisque albido-pubescentibus. Thorax cylindricus, antice truncatus, basi sub-sinuatus, supra modice convexus, crebre et sat profunde punctatus, niger, linea utrinque laterali lata et in medio tertia, angusta, saepe obsoleta, e pube condensata albida, ferrugineo-tincta. Scutellum semi-orbiculare nigrum, pallido pubescens. Elytra antice thorace duplo latiora, humeris elevatis rectangulis, thorace fere quintuplo longiora, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, dehiscentia, supra parum convexa, undique crebre et profunde rugoso-punctata, nigra, sub-nitida, pilis erectis fusco-cinereis adspersa; in singulo elytro maculae 4 vel 5, variae magnitudinis et figurae, longitudinaliter dispositae, e pube depressa, condensata albida vel flavescente, quarum media major, transversim ovata. Corpus subtus nigrum, punctatum, pube densa, depressa, flavescente, interdum ferrugineo-tincta, tectum. Pedes breviusculi validi nigri, cinereo-pubescentes.

Var. b, secundum diagnosin solum diversa, minime specie distincta.

6. S. oculata: lineari-elongata, angusta, luteo-testacea, capite, antennis, elytris punctisque duobus thoracis nigris.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 424. 43.

Var.

Var. b, thorace immaculato, *Schönh.* l. c. var. *β*.

Habitat in Salice, Populo, passim; var. b. in Finlandia rarissime, *Mus. Dom. Schönherr.*

S. scalari multo longior, sed non latior. Caput latitudine thoracis, atrum, crebre et profunde punctatum, in medio frontis canaliculatum, pube sub-erecta fusca adspersum, labro palpisque luteo-testaceis; oculi nigro-brunnei, valde lunati. Antennae vix longitudine corporis, setaceae, totae nigrae. Thorax parvus, brevis, cylindricus, antice truncatus, basi sub-sinuatus, supra modice convexus, inaequalis, obsolete punctatus, undique luteo-testaceus, opacus, pube sub-erecta concolore adspersus; in medio disci utrinque punctum rotundatum, nigrum, nitidum, glabrum. Scutellum parvum semi-ovale, luteo-testaceum, pubescens. Elytra antice thorace latiora, humeris sub-rectangulis, thorace sextuplo longiora, posterius angustiora, apice oblique truncata, emarginata, supra in dorso depressa, profunde et in disco sub-seriatim punctata, tota nigra, pube densa, depressa cinerea tecta. Corpus totum subtus luteo-testaceum, subtiliter obsolete punctulatum, pubescentia tenui depressa pallida nitida adspersum. Pedes breviusculi pallidi, toti lutei.

Var. b, differt tantum thorace immaculato.

7. S. linearis: lineari-elongata, angusta, nigra palpis pedibusque totis pallide luteis, elytris in disco profunde punctato-striatis.

Fabr. Panz. Schönh. Syn. 3. 426. 52.

Var. b, elytris margine exteriore baseos luteo.

luteo. *Schönh.* l. c. var. β. *Zetterstedt* Act. Holm. 1818. 258. 12. Mas.

Habitat in pratis silvaticis, praesertim Coryletis, rarius.

Praecedente duplo minor et ultra, angustior, linearis. Caput thorace latius, saturate nigrum, obscurum, confertim punctatum, fusco-pubescens, fronte obsolete canaliculata; labrum fusco-testaceum; palpi pallide lutei. Antennae corpore paulo breviores, setaceae, totae nigrae, sub-pilosae. Thorax parvus, brevis, angustus, antice truncatus, basi sub-sinuatus, intra basin et apicem leviter constrictus, supra in disco convexus, crebre punctatus, totus niger, pube suberecta fusca adspersus. Scutellum parvum, sub-triangulare, nigrum, pubescens. Elytra antice thorace paulo latiora, humeris fere rectangulis, thorace sextuplo longiora, fere linearia, vel posterius perparum angustiora, apice oblique retuso-emarginata, supra in dorso plana, saturate nigra, parce fusco-pubescentia, profunde punctata, punctis disci in strias sat regulares digestis, ad latera vero et versus apicem vagis, inordinatis, minoribus; ipse margo scutellum ambiens, ut et margo exterior sub humero, interdum obscure testacei. Corpus subtus saturate nigrum, magis nitidum, punctulatum, tenue cinereo-pubescens. Pedes breviusculi validi; toti pallide lutescentes.

Var. b, paulo minor, angulo ipso elytrorum sub humero linea brevi flava notato; certe Mas.

8. S. nigripes; lineari-elongata, angusta, nigra, thorace linea laterali albido-pubescente utrinque, elytris nigro-coerulescentibus, profunde punctatis.

Fabr. Payk. Schönh. Syn. 3. 427. 53.

Habi-

Habitat in Dalekarlia, *Dom. Fröberg;* in Scania, *Dom. Prof. Fallén.*

Statura elongata, angusta, S. linearis, sed adhuc duplo minor et ultra, S. cylindrica tamen major, longior. Caput thorace latius, breve, nigrum, punctulatum, pube longiore cinereo-albida, supra os condensata, adspersum, fronte late impressa; oculi magni nigro-brunnei, anguste emarginati. Antennae longitudine fere corporis, setaceae, nigrae, sub-pilosae. Thorax parvus, brevis, antice truncatus, basi sub-sinuatus, intra basin et apicem transversim impressus, supra in disco convexus, totus niger, confertim punctulatus, pube longiore sub-erecta cinerea adspersus, et ad utrumque latus linea longitudinali e pube brevi depressa condensata albida notatus. Scutellum semi-ovale, nigrum, punctatum, dense albido-pubescens. Elytra thorace fere duplo latiora, humeris sub-rectangulis, thorace sextuplo longiora, posterius parum angustata, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, nigro-coerulescentia, sub-nitida, confertim et profunde vage punctata, anterius sub-rugosa, pube sub-erecta fusco-cinerea parce adspersa. Corpus subtus nigrum, coerulescenti-micans, vix punctulatum, cinereo-pubescens. Pedes mediocres nigri, cinereo-pubescentes, femoribus simplicibus.

Obs. S. nigricornis auctorum, Schönh. Syn. 3. 432. 88. huic similis, sed minor, praesertim brevior; thorax lineis tribus albido-pubescentibus, dorsali evidentiore, ornatus; elytra magis depressa, nigra, subtilius punctata. Sed haec apud nos non occurrit.

9. S. cylindrica: brevior nigra, subtiliter punctulata, thorace linea media scutelloque albido-pubescentibus, pedibus anticis luteis.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 427. 55.

Habi-

Habitat in Populo, Salice, Corylo, sat frequens.

Praecedentibus minor, praesertim brevior. Caput thorace latius, convexum, nigrum, confertim punctatum, pilis erectis fuscis adspersum, et in altero sexu pube densa depressa albida in antico frontis supra os tectum. Oculi nigro-brunnei, valde lunati. Antennae longitudine corporis, nigrae, sub-pilosae, extrorsum fusco-pubescentes. Thorax parvus, cylindricus, antice truncatus, basi sub-sinuatus, supra modice convexus, niger, confertim punctatus, fusco-pilosus; in medio dorsi linea longitudinalis angusta, ante scutellum in maculam cordatam dilatata, e pube depressa albida. Scutellum semi-orbiculare nigrum, dense albido-pubescens. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis rectangulis, thorace quadruplo longiora, posterius nonnihil angustiora, apice oblique sub-truncata, supra depressa, confertim et paulo profundius punctata, nigra, pube subtilissima cinerascente obducta, unde nigro-coerulescentia apparent; in singuli elytri medio linea elevata, abbreviata, et alia exterior pone humerum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pube densiore cinereo-albida depressa tectum. Pedes breviusculi, primi paris lutei, femoribus basi nigris, tarsis fuscis; reliqui toti nigri.

10. S. praeusta: brevior, nigra, villosa, elytris testaceis apice nigris, pedibus testaceis, femoribus quatuor posterioribus nigris.

Fabr. Oliv. Payk. Schönh. Syn. 3. 437. 118.

Habitat in pratis silvaticis sat frequens.

Minima nostratum hujus generis, Cantharide testacea plerumque minor. Caput thorace fere latius, breve, nigrum, punctulatum, villositate longa erecta fusca tectum, fronte leviter canaliculata; oculi nigro-

nigro-brunnei. Antennae vix longitudine corporis, crassiusculae, sub-filiformes, nigrae, fusco-pilosae. Thorax parvus, antice truncatus, basi sub-sinuatus, intra basin et apicem transversim profunde constrictus, supra in disco convexus, totus niger, subtilissime punctulatus, fusco villosus. Scutellum sub-triangulare nigrum, fusco-villosum. Elytra thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis rectangulis, thorace quintuplo longiora, linearia, apice sub-truncata, supra parum convexa, confertim et evidentius aequaliter punctata, pube longiore pallida decumbente adspersa, testacea, apice ipso nigra. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pube sub-erecta cinerascente adspersum. Pedes breviusculi, simplices, pallido-pubescentes, testacei, femoribus quatuor posterioribus nigris.

PRIONUS.

Palpi articulo ultimo ob-conico, truncato. Maxilla brevis cylindrica, simplex, pilosa. Ligula brevissima, bifida, laciniis divaricatis, pilosis. Antennae setaceae, interdum serratae. Corpus sub-depressum. Thorax transversus, lateribus plerumque dentatus vel spinosus.

1. P. faber: sub-depressus, nigro-piceus, thorace lato utrinque crenulato, elytris coriaceis, antennis simplicibus.

Mas: Thorace subtilissime punctulato, plaga dorsali sub-elevata, nitida utrinque, lateribus evidenter crenulato, vix spinoso.

Femina: Thorace profunde rugoso-puncta-

ctato, lateribus obsolete crenulato, utrinque spina parva armato.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 336. 7.

Habitat in Gottlandia, Blekingia, rarius.

Magnitudo variat, Priono coriario longior, sed plerumque angustior. Caput crassum, rotundatum, nigrum, profunde punctatum, fronte valde inaequali, canaliculata et bis profunde impressa; mandibulae crassissimae, nigrae, profunde punctatae; oculi nigro-brunnei, valde elongati, perparum emarginati. Antennae setaceae, simplices, scabrae, nigro-piceae, maris longitudine corporis, feminae breviores. Thorax brevis, transversus, latitudine fere baseos elytrorum, basi apiceque leviter emarginatus, lateribus angulisque omnibus rotundatus, margine laterali maris inaequaliter crenulato, et interdum spinula parva pone medium armato; supra parum convexus, confertissime punctulatus, nigro-piceus, opacus; versus medium disci utrinque plaga sub-elevata, irregularis, nigrior, nitida, sub-laevis, punctis tantum paucis majoribus adspersa; subtus concolor, subtilissime punctulatus. Scutellum semi-orbiculare piceum, parce punctatum. Elytra antice vix latitudine thoracis, humeris rotundatis, versus medium ampliata, posterius angustiora, thorace quintuplo longiora, apice ipso singulatim rotundata, angulo suturali spina longiore acuta armato; supra parum convexa, dilutius picea vel brunnea, opaca, confertim ruguloso-punctata vel coriacea. Pectus nigro-piceum, subtilissime rugulosum, dense cinereo pubescens; abdomen saturatius nigro-piceum, nitidum, evidentius punctatum, parcius pubescens. Pedes mediocres, simplices, nigro-picei, antici maris longiores, femoribus crassis, scabris; tarsi omnes fusco-picei, dilatati, spongiis densis sub-ferrugineis.

Femina plerumque saturatius nigro-picea, etiam in elytris; thorax convexior, undique rude rugoso-punctatus, inaequalis, lateribus obsolete crenulatus, sed

sed pone medium utrinque spina majore acuta armatus. Spinula in angulo interiore apicis elytrorum parva, brevis. Pedes antici reliquis breviores, tenuiores. Cetera ut in mare.

2. P. coriarius: convexior, nigro-piceus, thorace brevissimo, utrinque acute trispinoso, elytris rugoso-punctatis, obsolete elevato-lineatis, antennis serratis.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 339. 20.

Habitat in silvis passim.

Magnitudo variat; mas plerumque minor, brevior, quam femina. Caput rotundatum, nigrum, confertim punctatum, fronte leviter canaliculata; labrum piceum fulvo-ciliatum; oculi elongati brunnei, profunde emarginati. Antennae in utroque sexu 12-articulatae, maris corpore paulo, feminae dimidio breviores, crassae, setaceae, articulis ob-conicis, latere inferno longe productis, unde lateraliter inspectae acute serratae apparent, praesertim in masculis. Thorax brevissimus, longitudine plus duplo latior, antice late emarginatus, basi bi-sinuatus, ciliis densis luteo-fulvis ornatus, in utroque latere spinis tribus magnis, inaequalibus, compressis armatus; supra modice convexus, inaequalis, nigro-piceus, in mare confertim et sat profunde rugoso-punctatus, in femina parcius et subtilius punctulatus, praesertim in disco. Scutellum semi-orbiculatum piceum, parce punctulatum. Elytra ampla, antice thorace multo latiora, humeris rotundatis, posterius angustata, thorace sextuplo longiora et ultra, apice singulatim rotundata, angulo suturali sub-mucronato; supra modice convexa, nigro-picea, glabra, confertim ruguloso-punctata, singulo lineis tribus longitudinalibus, valde obsoletis. Pectus fusco-piceum, punctulatum, dense cinereo-pubescens; abdomen piceo-ferrugineum, nitidum, punctulatum, tenue

pubescens. Pedes elongati, validi, nigro-picei, femoribus tibiisque compressis, punctato-rugosis, tarsis dilatatis, fusco-ferrugineis, subtus dense fulvescenti-spongiosis.

3. P. depsarius: angustior, convexus, nigro-piceus, corpore subtus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, thorace villoso, utrinque uni-spinoso, elytris elevato-striatis.

Fabr. Oliv. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 337. 9.

Habitat sub cortice truncorum Pini, rarius.

P. coriario dimidio angustior, sed parum brevior. Caput rotundatum, supra nigro-piceum, punctatum, fronte ad verticem usque canaliculata; os et palpi rufo-ferruginei, mandibulis apice nigris; oculi magni, elongati brunnei, parum emarginati. Antennae corpore paulo breviores, setaceae, simplices, totae rufo-ferrugineae. Thorax parvus, brevissimus, antice sub-truncatus, basi bi-sinuatus, lateribus in medio productus, spina acuta armatus; supra modice convexus, inaequalis, piceus, confertissime ruguloso-punctatus, pube longa erecta pallide fusca tectus. Scutellum semi orbiculatum piceum, punctulatum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, thorace octuplo longiora, posterius parum angustiora, apice rotundata, angulo suturali prominulo, acuto; supra modice convexa, confertim ruguloso punctata, picea, striis plurimis, in singulo 7 vel 8 elevatis, plerisque tamen valde obsoletis. Corpus totum subtus rufo-ferrugineum, pectore punctulato, opaco, pube densa, sub-erecta pallida tecto; abdomen nitidum, parcius punctulatum, pube tenui depressa adspersum. Pedes mediocres, simplices, saturate rufi, femoribus pallido-pubescentibus.

SPON-

SPONDYLIS.

Palpi articulo ultimo obconico, apice truncato; maxillares 5-articulati, labiales articulis tribus. Maxilla brevissima, bifida, laciniis rectis, acutis, interiore parva, pilosa. Ligula coriacea, cordata, trifida, lacinia media parva, acuminata, lateralibus dilatatis, rotundatis, seta rigida spiniformi armatis. Antennae breves, compressae, moniliformes. Corpus convexum. Thorax sub-orbiculatus, immarginatus. Tarsorum articulus ultimus seu unguicularis ad basin articulo parvo, distincto instructus.

1. S. buprestoides: niger, immaculatus, confertim inaequaliter punctatus, elytro singulo lineis duabus elevatis, pedibus brevibus, simplicibus.

Fabr. S. El. 2. 376. 1. *Latr. Gen. Ins.* 3. 29. 1. *Payk. Fn.* 3. 138. 1. *Panz. Fn.* 44. 19.

Attelabus buprestoides, *Linn. Syst.* 2. 621. 13. *Fn. Sv.* 644.

Cerambyx maxillosus, *De Géer Ins.* 5. 84. 21. *Pl.* 3. *f.* 21. 22.

Habitat in ligno Pini et Abietis sat frequens.

Statura convexa fere Callidii striati, sed plerumque major, magnitudo tamen valde variat. Caput majusculum, latitudine fere thoracis, totum nigrum, crebre punctatum, inter antennas striga transversa et in

in fronte canalicula obsoletiore exaratum; mandibulae magnae, crassae, arcuatae, acutae; oculi parvi, oblongi, nigro-brunnei, modice emarginati. Antennae vix longitudine thoracis cum capite, compressae, nigrae, articulis apice truncatis, unde utrinque sub-serratae videntur; articulus ultimus conicus, sub-acuminatus. Thorax antice latior, truncatus, lateribus rotundatus, immarginatus, basi etiam truncatus, supra modice convexus, crebre punctatus, totus niger, antice posticeque pilis luteo-fulvis ciliatus. Scutellum sub-triangulare, obtusum, nigrum, punctatum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris sub-rectangulis, thorace plus triplo longiora, apice simultaneae rotundata, supra convexa, anterius punctis majoribus, apicem versus sensim minoribus, confertissimis, profundis, perforata, tota nigra; in singuli disco lineae duae elevatae, posterius abbreviatae, et interdum rudimentum tertiae, pone humerum. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, pube cinereo-pallescente adspersum. Pedes breviusculi, validi, nigri, pubescentes, tibiis externe crenulatis; ad basin articuli unguicularis tarsuum, articulus parvus, inter lobos articuli tertii occultatus, magis tamen perspicuus, quam in plerisque.

BRONTES.

Palpi sub-aequales, filiformes, articulo ultimo sub-conico, acutiusculo. Maxilla brevis, bifida, lacinia exteriore lata, rotundata; interiore angusta, acuminata. Ligula brevis, lata et late emarginata. Antennae filiformes, longitudine fere corporis. Corpus depressum, fere planum.

1. B. flavipes: nigro-piceus, opacus, punctatissimus, antennis pedibusque rufescentibus,

tibus, thorace lateribus denticulato, angulo antico producto.

Fabr. Panz. Schönh. Syn. 3. 57. 2.

Var. b, corpore toto pallide testaceo. *Payk. Schönh.* l. c. var. b.

Habitat sub cortice arborum emortuarum, praesertim Quercuum, passim.

Corpus parvum, valde depressum, ut in Cucujis. Caput breve, latum, nigrum, punctatum, inaequale, fronte bis longitudinaliter impressa, ore toto labroque rufo-ferrugineis; mandibulae maris externe processu corniformi, arcuato, acuto, mandibula ipsa longiore illamque mentiente instructae; oculi globosi nigri. Antennae longitudine corporis, crassiusculae, filiformes, pilosae, ferrugineae, extrorsum saepe fuscescentes, articulo primo longissimo, arcuato, extrorsum crassiore. Thorax transversus, basi apiceque truncatus, antice latior, angulis productis, bidentatis, marginibus lateralibus confertim denticulatis; supra depressus, inaequalis, niger, opacus, crebre coriaceo-punctulatus. Scutellum breve, transversum, nigrum, opacum, punctatum. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris rotundatis, thorace sextuplo longiora, apice obtuse rotundata, supra in dorso plana, prope marginem carina elevata, margini paralella, instructa, disco regulariter punctato-striata, interstitiis obsolete sub-punctatis; tota nigra, opaca, pilis minutis, rigidis, seriatis scabra. Corpus subtus nigro-piceum, magis nitidum, subtiliter punctulatum, ano dilutiore. Pedes breviusculi, validi, toti rufo-ferruginei, femoribus medio incrassatis.

Var. b, colore dilutiore tantum differt, immatura.

MOLOR-

MOLORCHUS.

Palpi sub-filiformes, apice truncati. Maxilla bifida, laciniis sub-aequalibus, arcuatis, acutis. Ligula cordata, bifida, laciniis rotundatis. Corpus elongatum, angustum. Elytra brevissima, apice rotundata.

1. M. abbreviatus: niger, pubescens, elytris marginatis ferrugineis immaculatis, ore, antennarum basi pedibusque rufo-ferrugineis, antennis corpore brevioribus.

Fabr. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 498. 1.

Necydalis major, Linn. Oliv.

Habitat in truncis cariosis Betulae albae, rarius.

Magnus, longitudine Callidii rustici majoris, sed multo angustior. Caput latitudine thoracis, nutans nigrum, fusco-pubescens, fronte profunde canaliculata; labrum et os rufo-ferruginea, mandibulis nigris; oculi oblongi, brunnei, late emarginati. Antennae corpore multo breviores, sub-filiformes, maris nigrae, basi rufo-ferrugineae, feminae totae rufo-ferrugineae. Thorax latitudine longior, basi apiceque sub-truncatus, longe intra basin et apicem transversim profunde impressus, lateribus in medio tuberculo parvo, obtuso armatus, supra in disco convexus, sat profunde canaliculatus, totus niger, nitidus, parce punctulatus, pube pallescente, subtus et lateribus densiore, adspersus. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, pallido-pubescens. Elytra antice thorace multo latiora, humeris valde elevatis, rotundatis, thorace vix longiora, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, undique reflexo-marginata, tota rufo-ferruginea, pallido-pubescentia, rugoso-punctata, versus

sus suturam longitudinaliter impressa, ibique pube aureo-fulgida ornata. Alae membranaceae, abdomine breviores, fusco-testaceae. Pectus nigrum, sub-opacum, confertim punctatum, pallido-pubescens. Abdomen reliquo corpore longius, basi apiceque attenuatum, nigrum sub-nitidum, subtilissime punctulatum, āntice plus minusve ferrugineum, praesertim in masculis. Pedes rufo-ferruginei pallido-pubescentes, femoribus crasse clavatis, posticis longissimis, clava femorum plerumque nigra, praesertim posticorum.

2. M. dimidiatus: niger, pubescens, elytris testaceis, lineola obliqua alba, antennis ferrugineis, corpore longioribus.

Fabr. Payk. Panz. Schönh. Syn. 3. 499. 2.

Necydalis minor, Linn. Oliv.

Habitat in saepibus, floribus, sat frequens.

Statura praecedentis, sed multoties minor. Caput latitudine thoracis, nigrum, tenue pubescens, punctulatum, fronte impressa, obsolete canaliculata, os testaceum, mandibulis piceis; oculi nigro-brunnei, late et profunde emarginati. Antennae tenues, pubescentes, setaceae, maris corpore multo longiores, 12-articulatae, feminae parum vel vix corpore longiores, articulis undecim, in utrisque obscure testaceae. Thorax latitudine multo longior, basi apiceque sub-truncatus, intra basin et apicem transversim impressus, lateribus utrinque tuberculo parvo armatus, supra parum convexus, inaequalis, totus niger, obsolete punctulatus, pube tenui erecta pallida adspersus. Scutellum triangulare nigrum, dense cinereo-pubescens. Elytra antice thorace latiora, humeris elevatis rectangulis, thorace non longiora, posterius angustata, apice singulatim rotundata, supra depressa, evidenter punctata, parum pubescentia, anterius testacea, apicem versus infuscata; paulo pone medium singuli elytri

linea obliqua, abbreviata, elevata, alba, distincta. Alae corpore multo longiores, hyalinae, aureo-micantes. Corpus subtus nigrum, nitidum, punctulatum, segmentis anterioribus abdominis utrinque linea marginali albo-pubescente notatis. Pedes elongati fusco-testacei, pubescentes, femoribus basi tenuibus, extrorsum crasse clavatis, clava plerumque picea.

3. M. umbellatarum: niger, pubescens, elytris brunneo-testaceis, immaculatis, antennis corpore longioribus fuscis.

Fabr. Payk. Schönh. Syn. 3. 500. 3.

Necydalis umbellatarum, Linn. Oliv.

Habitat in umbellatis Scaniae passim.

Statura et summa affinitas M. dimidiati, sed minor, et elytra absque lineola alba. Caput, os, oculi, ut in praecedenti omnino; antennae maris corpore paulo longiores, feminae vero breviores, paulo crassiores quam in priori, et magis fuscae. Thorax et scutellum omnino ut in priori. Elytrorum forma et punctura eadem, sed color magis obscurus, fusco-brunneus, disco antico pallidiore; lineola alba praecedentis speciei omnino deest. Corpus subtus dilutius piceum, punctulatum, pubescens, abdominis lateribus immaculatis. Pedes quoad structuram ut in priori, fusco-testacei, longius pubescentes, femorum clava plerumque obscurius picea.

CLASSIS I.

SECTIO IV.

TRIMERI.

Tarsi omnes articulis tribus.

LATRIDIUS.

Obs. Dom. Latreille, in Gen. Ins. Tom. 3. p. 18, *et Com. Dejean in Cat. p.* 102, *hoc Genus ad Familiam Xylophagorum in Sectione Tetramerorum referunt; teste vero accuratissimo Müllero in Illig. Mag.* 4. *p.* 218, *tarsi omnes tantum Triarticulati, et quando etiam mihi visi tales, heic desribendum genus putavi.*

Palpi maxillares articulo ultimo crassiusculo, conico, acuminato. Instrumenta cibaria interiora minuta, occultata, adhuc non descripta. Antennae thorace paulo longiores, medio tenues, articulo basilari ultimisque tribus magnis, distantibus. Tarsi elongati, tenues, evidenter tri-articulati. Corpus oblongum, minus convexum, capite thoraceque elytris angustioribus.

1. Thorace immarginato, vix angulato.

1. L. pubescens: fusco-ferrugineus, longius pubescens, thorace longiore, subcor-

cordato, lateribus crenato, fovea majore postica impresso, elytris confertim punctato-striatis, transversim rugulosis.

Illig. in litt. teste Dom. Schüppel.

Latridius fenestralis, Dej. Cat. p. 102.

Dermestes fenestralis, Payk. Fn. 1. 297. 26.

——— *longicornis, Hbst. Arch.* 4. 23. 15. *Tab.* 20. *f.* 8. *Panz. Fn.* 23. *f.* 10.

Latridius serratus, Latr. Gen. Ins. 3. 18. 1. *forte.*

Habitat in domibus, fenestris, muris, praesertim in quisquiliis ad parietes horreorum; etiam in segete, gramine, sub cortice arborum, ubique vulgaris.

Inter majores generis; color variat, jam fusco-brunneus, jam fusco-ferrugineus, jam dilutius testaceus. Caput transversum, obsolete punctatum, pubescens, ante oculos angustatum, ore obtuse rotundato; oculi laterales, prominuli, aut nigri, aut viridi-micantes. Antennae thorace longiores, pubescentes, ferrugineae, extrorsum plerumque obscuriores, articulo primo crasso, clavato, secundo sequentibus majore, oblongo, 3—8 elongatis, angustis, cylindricis, 9, 10 crassis, perfoliatis, distantibus, ultimo adhuc majore, sub-globoso. Thorax sub-cordatus, latitudine antica fere longior, basi apiceque truncatus, lateribus paulo ante medium rotundato-ampliatus, posterius multo angustior, utrinque obsoletius denticulatus vel crenatus; supra parum convexus, confertim ruguloso-punctatus, pilis longiusculis griseis depressis vestitus; ante medium baseos fovea magna rotundata impressus. Scutellum parvum, breve, transversum, truncatum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, versus medium

dium ampliata, apice rotundata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, pilis longiusculis griseis reclinatis dense adspersa, confertissime punctato-striata, interstitiis nempe omnibus etiam seriato-punctatis, unde striae ita congestae, ut aegre discerni possint, praesertim cum elytra, perpendiculariter inspecta, crebre transversim rugulosa appareant, praecipue versus basin. Corpus subtus magis nitidum, tenue pubescens, aut nigro-piceum totum, aut rufo-ferrugineum, pectore ventrisque antico saturatius piceis; rarius totum pallidum. Pedes tenues rufo-ferruginei; tarsis dilutioribus.

Obs. Synonymia Specierum hujus generis aegre extricanda, ob characteres et descriptiones auctorum per-breves, insufficientes; quae de hac specie supra attuli, certiora mihi videntur; Cl. Hbst. eam cum longicorni suo confudisse videtur, et thoracem denticulatum non observasse; Corticaria punctulata, Marsh. Ent. Br. 1. 109. 8. etiam huc pertinet, teste Dom. Kirby.

2. L. crenulatus: fusco-piceus, longius pubescens, thorace breviore rotundato, lateribus obsoletius crenulato, elytris confertim punctato-striatis, transversim subrugosis.

Dom. Schüppel in litteris.

Habitat in quisquiliis, gramine et sub cortice arborum, passim.

Praecedenti valde similis et affinis, sed minor, thorax brevior et aliter constructus. Color variat, aut fusco-piceus, fere niger, aut fusco-ferrugineus, aut testaceus. Capitis antennarumque structura ut ad praecedentem descripta. Thorax latitudine brevior, basi apiceque truncatus, lateribus fere aequaliter rotundatus, poste-

posterius vix angustatus, obsoletius crenulatus, supra parum convexus, sat crebre punctulatus, pilis longioribus depressis griseis adspersus, ante medium baseos foveola jam majore, jam minore impressus. Scutellum ut in priori. Elytrorum forma, punctura et pubescentia etiam ut in illo, sed rugulae transversales minus perspicuae. Corpus et pedes ut in praecedenti.

3. L. denticulatus: fusco-piceus, brevius pubescens; thorace breviori rotundato, lateribus obsoletius crenato, elytris simpliciter punctato-striatis, interstitiis vix rugulosis.

Dom. Schüppel in litteris.

Habitat sub cortice arborum emortuarum et in quisquiliis passim, minus frequens.

Statura, magnitudo et color fere praecedentis, sed pubescentia brevior, minus densa; interstitiis striarum in elytris impunctatis praecipue distinctus. Caput et antennae ut in priori. Thorax etiam ut in illo, lateribus aequaliter rotundatus, obsoletius crenulatus, supra parum convexus, confertim punctulatus, tenue pubescens, foveola postica rotunda impressus. Scutellum ut in prioribus. Elytrorum forma fere eadem, supra modice convexa, parce et breviter pubescentia, singulo striis octo regularibus punctatis notato, interstitiis impunctatis, vix transversim rugulosis. Corpus subtus nigro-piceum, magis nitidum, parce punctulatum et pubescens. Pedes mediocres, toti rufo-testacei.

Variat uti praecedentes colore jam obscuriore jam dilutiore, ut et corpore toto undique pallide testaceo.

4. L. serratus: rufo-ferrugineus, parce pubescens, thorace rotundato, lateribus acute den-

denticulato, elytris confertim punctato-striatis, transversim rugulosis.

Dermestes serratus, *Payk. Fn.* 1. 300. 31.

Corticaria serrata, *Marsh. Ent. Br.* 1. 109. 9.

Habitat in quisquiliis ad domos, horreorum parietes, etiam in arborum truncis, sat frequens.

Praecedente adhuc minor, L. porcato aequalis, plerumque obscure ferrugineus, elytris anoque nigro-fuscis; variat tamen elytris concoloribus, ut et toto corpore pallide testaceo. Caput rufo-ferrugineum, punctulatum, oculis prominulis nigris. Antennae ut in prioribus. Thorax longitudine fere latior, lateribus aequaliter rotundatus, denticulis plurimis (10 vel 12 utrinque), parvis, acutis, armatus, supra anterius modice convexus, ante medium baseos foveo'a majuscula rotunda impressus, plerumque fusco-ferrugineus, confertissime ruguloso-punctatus, pube tenui depressa cinerea parce adspersus. Scutellum brevissimum, transversum. Elytra antice thoracis medio parum latiora, versus medium ampliata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, nigro-picea nitida, parum pubescentia, confertissime punctato-striata, striis nempe octo ordinariis punctatis, et praeterea in singulo interstitio series e punctis paulo minoribus; perpendiculariter inspecta etiam confertissime transversim rugulosa apparent. Corpus subtus rufo-piceum, nitidum, punctulatum et pubescens. Pedes mediocres, toti rufo-testacei.

5. L. longicornis: niger, sub-nitidus, tenue pubescens, antennis pedibusque rufescentibus, thorace longiore, cordato, lateri-

teribus mutico, elytris simpliciter striato-punctatis.

Herbst. Col. 5. 4. 1. *Tab.* 44. *f.* 1.

Latridius ruficornis, Kugell. in Schneid. Mag. 5. 574. 2.

Habitat sub cortice arborum emortuarum, rarius.

Statura et fere magnitudo L. pubescentis, sed abunde distinctus, thoracis lateribus integris, muticis, elytrorum interstitiis impunctatis etc. Caput breve, transversum, nigrum, ante oculos angustatum, ore obtuso, rotundato; oculi laterales nigri, valde prominuli. Antennae a basi ultra medium rufescentes, dein fusco-nigricantes, structura ut in L. pubescente. Thorax antice truncatus, lateribus ante medium valde rotundato-dilatatus, integer, muticus, posterius angustatus, supra modice convexus, niger, sub-nitidus, tenue pubescens, crebre punctulatus; ante medium baseos foveola rotundata impressa, parum profunda, sub-obsoleta. Scutellum parvum, transversum, nigrum. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, versus medium ampliata, thorace quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, supra convexa, nigra, sub-nitida, tenue griseo-pubescentia, singulo striis octo punctatis exarata, interstitiis impunctatis, leviter transversim rugulosis. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore punctulato. Pedes rufo-testacei, femoribus interdum obscurioribus.

Obs. Hunc, secundum Museum C. Herbstii, esse verum ejus L. longicornem, asseveravit Dom. Schüppel.

6. L. foveola: elongatus, nigro-piceus, depressus, glaber, thorace cordato, fovea

pro-

profunda impresso, elytris planis, confertissime punctato-striatis.

Beck. Beytr. 14. 14. *Tab.* 3. *f.* 14.

Habitat sub cortice arborum emortuarum, rarius; in silva Kinnensi Westrogothiae lectus.

Praecedente parum brevior, sed multo angustior, valde depressus; plerumque niger, nitidus, interdum dilutior, piceo-testaceus. Caput majusculum, nitidum, fronte plana, punctulata; oculi magni, granulati, nigri. Antennae longitudine thoracis, structura ut in L. pubescente, ferrugineae, pubescentes, articulo primo et ultimo interdum obscurioribus. Thorax latitudine longior, cordatus, posterius multo angustior, lateribus ante medium ampliatus, dein oblique angustatus, subtiliter denticulatus, supra perparum convexus, niger, nitidus, glaber, punctulatus; longe ante medium baseos fovea magna, rotunda, profunde impressa. Scutellum brevissimum, transversum, nigrum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris prominulis, versus medium nonnihil ampliata, apice rotundata, thorace quadruplo longiora, supra valde depressa, fere plana, nigra vel nigro-picea, nitida, glabra, regulariter striato-punctata, interstitiis seriatim subtilius punctulatis. Corpus subtus nigrum, nitidum, punctulatum. Pedes breviusculi, rufo-ferruginei.

7. L. linearis: elongatus, fusco-ferrugineus, sub-pubescens, thorace cordato, foveola mediocri impresso, elytris convexis, striato-punctatis, transversim rugulosis, interstitiis impunctatis.

Dermestes linearis, *Payk. Fn.* 1. 302. 33.

Habitat sub cortice arborum emortuarum, passim.

Statura elongata praecedentis, sed paulo minor, magis convexus; punctura elytrorum alia etc. Caput punctulatum, oculis prominulis nigris. Antennarum structura ut in prioribus, aut totae ferrugineae, aut apice obscuriores, pubescentes. Thorax oblongus, cordatus, posterius valde angustatus, lateribus subtilissime et obsolete crenulatus, supra parum convexus, crebre punctulatus, tenue pubescens, foveola mediocri ante medium baseos impressus. Scutellum brevissimum, transversum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis rectangulis, versus medium sensim ampliata, apice rotundata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, tenue pubescentia, singulo striis octo punctatis exarata, interstitiis impunctatis, certo situ inspectis transversim rugulosis. Corpus subtus nitidum, punctulatum. Pedes pallide testacei.

8. L. elongatus: sub-linearis, depressus, testaceus, longius pubescens, thorace transverso elytrorum latitudine, elytris pallidioribus, punctato-striatis.

Dom. Schüppel in litteris.

Habitat ad domos, parietes, passim.

Minutus, L. gibboso vix longior, sed paulo latior, praesertim thorax. Caput latum, testaceum, pubescens, fronte plana, punctulata; oculi prominuli, nigri. Antennae totae pallidae, pilosae, structura ut in prioribus. Thorax latitudine brevior, transversim quadrangulus, lateribus fere rectis, versus angulum posticum denticulis 2. s. 3 parvis armatus, supra fere planus, rufo-testaceus opacus, vix punctulatus, pube longiore depressa pallida vestitus et fovea rotundata, ante

ante medium baseos impressus. Scutellum brevissimum, transversum, concolor. Elytra thorace parum latiora, humeris elevatis rectangulis, thorace quadruplo longiora, apice rotundata, supra parum convexa, magis pallida, pube longiore et densiore pallida adspersa, regulariter punctato-striata, interstitiis impunctatis. Corpus totum subtus rufo-testaceum, vix punctulatum. Pedes tenues pallidi vel lutescentes.

9. L. ferrugineus: sub-linearis, castaneus, glaber, capite nigricante, thorace quadrangulo punctatissimo, elytrorum latitudine, elytris pallidioribus, simpliciter striato-punctatis.

Corticaria ferruginea, *Marsh. Ent. Br.* 1. 111. 15. *teste Dom. Kirby.*

Dermestes fenestralis, *Linn. Syst.* 2. 563. 15. *Fn. Sv.* 425. *forte.*

Habitat in domibus, fenestris, parietibus, passim.

Magnitudo, statura et affinitas proxime praecedentis, sed thorax longior, evidenter punctulatus, corpus glabrum et color alius. Caput nigricans vel piceum, fronte sub-convexa, subtilissime punctulata; oculi prominuli nigri. Antennae pallidae, structura ut in prioribus. Thorax fere quadrangulus, longitudine paulo latior, elytris parum angustior, supra perparum convexus, confertissime punctulatus, glaber, fusco-ferrugineus vel castaneus, foveola mediocri intra medium baseos impressus. Scutellum brevissimum, transversum. Elytra thorace parum latiora, humeris elevatis rectangulis, versus medium ampliata, apice rotundata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, dilutius testacea, nitida, glabra, regulariter punctato-striata, interstitiis impunctatis. Corpus sub-

tus rufo-testaceum, vix punctulatum. Pedes tenues pallidiores.

10. L. gibbosus: brevis, convexus, fusco-ferrugineus, thorace angusto, postice rotundato, fovea transversa, arcuata, impresso, elytris striato-punctatis, seriatim pilosis.

Herbst. Col. 5. 5. 2. *Tab.* 44. *f.* 2.

Dermestes gibbosus, *Payk. Fn.* 1. 301. 32.

Corticaria impressa, *Marsh. Ent. Br.* 1. 110. 11. *teste Dom. Kirby.*

Dermestes mitutus, *Fabr. El.* 1. 319. 42. *Sec. Mus. Dom. T. Lund.*

Habitat in plantis et gramine, frondibus arborum, quisquiliis, domibus, ubique frequens.

Minutus, praecedentibus brevior, magis convexus; color paginae superioris aut obscurius fuscus, aut dilutius ferrugineus, sub-nitidus. Caput majusculum, fronte creberrime punctulata; oculi prominuli, nigri. Antennae testaceae, clava nigra aut fusca, structura ut in prioribus. Thorax capite vix latior, latitudine longitudinis, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, basi rotundatus, angulis nullo modo prominulis, supra anterius convexus, undique confertissime punctulatus; paulo pone medium dorsi striga bi-arcuata, impressa, plerumque e tribus foveolis connexis, rarius dis-junctis conflata, media nempe parva, oblonga, adjacente utrinque alia, antrorsum arcuata, marginem thoracis fere attingente, plerumque cum media connexae. Scutellum parvum, breve, transversum. Elytra magna, antice thoracis basi duplo latiora, humeris elevatis, dein ultra medium ampliata, apice

apice obtuse rotundata, supra convexa, striato-punctata, transversim rugulosa, pilis brevissimis cinereis reclinatis, seriatim dispositis, ornata. Corpus subtus nigro-piceum nitidum, parce punctulatum. Pedes toti pallide testacei.

11. L. transversalis: brevis, convexus, fusco-ferrugineus, thorace postice rotundato, fovea recta, transversa impresso, elytris texatis, seriato-pilosis.

Dom. Schüppel in litteris.

Habitat sub cortice arborum emortuarum, rarius.

Praecedenti valde similis et affinis, sed paulo major, fovea thoracis transversa, recta, et elytrorum sculptura alia. Caput, oculi, antennae, omnino ut in priori. Thorax longitudine parum latior, angulis posticis rotundatis, supra antice convexus, intra basin foveolis duabus transversis, fere rectis, in medio connexis, impressus; piceus, tenue punctulatus et pubescens. Scutellum ut in prioribus. Elytrorum forma eadem ac in priori, supra convexa, dilutius fusco-ferruginea, pilis seriatis adspersa; interstitia striarum omnia, 7 vel 8 in singulo elytro, elevata, angusta, rugulis crebris transversis texata. Corpus et pedes ut in priori.

12. L. fusculus: brevis, convexus, fusco-ferrugineus, pubescens, thorace transverso acutangulo, uni-foveolato, elytris striato-punctatis, interstitiis elevatis.

Dom. Megerle von Mühlfeld in litteris.

L. angulatus mihi olim.

Habi-

Habitat in plantis, gramine, arborum frondibus, sat frequens.

Magnitudo et statura L. gibbosi, sed forma thoracis alia; color variat, aut fusco-ferrugineus, aut testaceus, aut pallidus. Caput, oculi, antennae, ut in duobus proxime praecedentibus. Thorax brevis, transversus, lateribus rotundatus, basi truncatus, angulis parvis, acutis, prominulis; supra modice convexus, confertim punctulatus, tenue pubescens; intra medium baseos fovea impressa, sat profunda, transversim ovata. Scutellum ut in prioribus. Elytrorum forma eadem, supra convexa, fusco-testacea, sub-nitida, seriatim tenue pubescentia, regulariter striato-punctata, interstitiis, oblique inspectis, elevatis, angustis. Corpus piceo-testaceum, nitidum, punctulatum. Pedes toti pallidi.

13. L. similatus: brevis, convexus, fusco-ferrugineus, pubescens, thorace transverso, acutangulo, foveis tribus impresso, elytris texatis.

Dom. Schüppel in litteris.

Habitat cum praecedente, minus frequens.

Praecedente paulo minor, ceterum simillimus et valde affinis, foveolis tribus thoracis et textura elytrorum nonnihil diversa, distinctus videtur. Caput, oculi, antennae ut in prioribus. Thoracis structura ut in L. fusculo omnino, sed praeter foveam mediam posticam, utrinque versus marginem alia, aut rotundata, aut oblonga, sat profunda. Scutellum ut in prioribus. Elytrorum forma eadem, supra convexa, fusco-testacea, nitida, seriatim pilosa, ut in L. transversali texata, interstitiis nempe striarum angustis, elevatis, rugulis crebris transversim conjunctis, puncta

cta impressa striarum includentibus. Corpus et pedes ut in prioribus.

Variat etiam corpore nigricante, rarius. Mus. Dom. Schönherr.

2. Thorace angulato, elevato-marginato.

14. L. acuminatus: elongatus, rufo-testaceus, glaber, thorace oblongo-quadrato, bi-costato, elytris amplis, profunde striato-punctatis, apice acuminatis.

Kugellan Schneid. Mag. 5. 575. 6.

Dermestes acuminatus, *Payk. Fn.* 1. 299. 29.

Latridius quadratus, *Herbst. Col.* 5. 8. 6. *Tab.* 44. *f.* 6. *F.*

Tenebrio lardarius, *De Géer Ins.* 5. 45. 7. *Tab.* 2. *f.* 25—31.

Corticaria rugicollis, *Marsh. Ent. Br.* 1. 113. 23.

Habitat in quisquiliis ad domos passim; etiam in frondibus arborum, fruticibus, plantis.

Maximus fere in hoc genere, L. pubescenti longior. Caput porrectum, rufo-testaceum, fronte depressa, inaequali punctulata; oculi prominuli nigri. Antennae thorace paulo longiores, tenues, pallidae, structura ut in prioribus. Thorax latitudine longior, antice emarginatus, angulis lateralibus productis, rotundatis; lateribus ante medium elevato-marginatus, posterius iterum paulo latior, basi truncatus, supra depressus, inaequalis, rufo-testaceus, punctatus; praeter margines elevatos, in medio dorsi costae duae longitudinales paralellae, ab apice ad basin usque productae,

ductae, et intra basin fovea profunda, transversa, a costis in tres areas divisa. Scutellum parvum, semirotundatum, concolor. Elytra ampla, antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, pone humerum ampliata, thorace fere quintuplo longiora, apicem versus valde attenuata, apice elongato, acuminato; supra modice convexa, pallidius testacea, nitida, regulariter et profunde striato-punctata. Corpus subtus saturatius rufo-testaceum, nitidum, vix punctulatum. Pedes longiusculi, tenues, pallide testacei, genubus paulo obscurioribus.

15. L. angusticollis: elongatus, brunneo-testaceus, thorace oblongo-quadrato, bicostato, postice angustiore, elytris profunde striato-punctatis, apice obtusis.

Dom. Schüppel in litteris.

Habitat sub cortice et in frondibus arborum passim.

Praecedenti similis et affinis, sed duplo minor, thorace postice paulo angustiore elytrisque apice obtusis praecipue distinctus; color etiam plerumque obscurior, castaneus, vel brunneo-testaceus. Caput, oculi et antennae ut in priori. Thorax oblongus, antice latior, angulis productis, rotundatis, elevatis, lateribus inaequalibus elevato-marginatis, basi truncatus, supra inaequalis, punctatus, costis duabus elevatis longitudinalibus, foveaque postica transversa, costis divisa, ut in priore. Scutellum ut in priore. Elytra antice thoracis basi duplo latiora, humeris valde elevatis, pone humerum ampliata, apice obtuse rotundata, thorace vix quadruplo longiora, supra convexa, pone basin transversim impressa, regulariter et profunde punctato-striata. Corpus et pedes ut in priori. In junioribus illaesis individuis, elytra pilis quibusdam minutis erectis adspersa videntur.

16. L.

16. L. rugicollis: brevior, brunneo-testaceus, thorace quadrato, dorso bi-costato, elytris striato-punctatis, apice obtusis, interstitiis alternis costato-elevatis.

Ips rugicollis, *Oliv. Ent.* 2. 18. 13. 19. *Pl.* 3. *f.* 19. *a*, *b*.

Habitat sub cortice arborum emortuarum, rarius.

Proxime praecedenti similis et affinis, sed adhuc minor, thorax brevior et elytrorum interstitia alterna elevato-costata. Caput et oculi ut in prioribus. Antennae similiter constructae, testaceae, apice obscuriores. Thorax vix latitudine longior, fere quadratus, angulo antico lateraliter producto, rotundato, non vero ita elevato, ut in prioribus; latera dein recta, elevato-marginata et basis truncata; supra punctatus, inaequalis, in medio costis duabus elevatis longitudinalibus, et intra basin foveolae tres, transversim positae, impressae, costis interstinctae, ut in prioribus. Scutellum ut in antecedentibus. Elytra antice thoracis basi duplo latiora, humeris elevatis, pone basin adhuc magis ampliata, apice rotundata, supra valde convexa, intra basin non impressa, brunneo-testacea, striato-punctata, sutura interstitiisque alternis elevato-costatis, unde striae duae punctorum inter singulas costas videntur. Corpus subtus et pedes ut in prioribus.

17. L. carinatus: elongatus, angustus, fuscus, opacus, antennis pedibusque testaceis, thorace sub-cordato, obsolete bi-costato, elytris striato-punctatis, interstitiis alternis elevatis.

Habi-

Habitat sub cortice arborum emortuarum, rarius.

Minutus, angustus, L. porcato duplo minor, ceterum quoad structuram thoracis et elytrorum praecedentibus similis. Corpus totum supra fuscum, opacum. Caput porrectum, depressum, fusco-piceum, vix punctulatum, ore dilutiore; oculi parvi laterales nigri. Antennae vix longitudine thoracis, totae pallide-testaceae, structura ut in prioribus. Thorax antice latior, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, margine explanato, parum elevato, ante basin constrictus, basi truncatus, supra anterius convexus, inaequalis, rudimentis costarum longitudinalium ut in prioribus, quae vero posterius evanescunt; intra basin fovea transversa impressa continua; totus fuscus, opacus, vix punctulatus. Scutellum parvum, rotundatum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, pone basin ampliata, apice rotundata, supra parum convexa, fusco-picea, interdum dilutiora; regulariter punctato striata, sutura interstitiisque alternis elevatioribus, sub-costatis, striis binis punctorum interjacentibus. Corpus subtus piceum, magis nitidum, vix punctulatum. Pedes mediocres, testacei.

18. L. constrictus: elongatus, pallide testaceus, nitidus, glaber, thorace oblongo, pone medium constricto, elytris profunde striato-punctatis, interstitiis alternis subelevatis.

Var. b, elytris fusco-piceis.

Corticaria ruficollis, Marsh. Ent. Br. 1. 111. 17. *forte.*

Habitat sub cortice arborum emortuarum, praesertim alni, in Westrogothia ad Kafläs rarius lectus.

Minu-

Minutus, praecedente paulo longior, sed angustior, totus pallide testaceus, nitidus, glaber. Caput majusculum, porrectum, sub-quadratum, depressum, subtilissime obsolete punctulatum, oculis lateralibus nigris, prominulis. Antennae thorace breviores, pallide testaceae, structura ut in prioribus. Thorax oblongus, veluti bi-partitus, lobo antico multo majore, antice truncato, latiore, posterius rotundato, semicirculari, strictura profunde incisa circumscripto; parte posteriore brevi, transversa, basi truncata; supra parum convexus, in parte antica canalicula abbreviata impressa notatus, vix punctulatus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris parum prominulis, pone basin versus medium ampliata, apice subacuminata, thorace quintuplo longiora et ultra, supra modice convexa, regulariter et profunde punctato-striata, interstitiis alternis paulo elevatioribus. Corpus subtus pallide testaceum, nitidum, vix punctulatum. Pedes pallide testacei.

Var. b, differt tantum colore elytrorum fusco-piceo.

19. L. hirtus: oblongus niger punctulatissimus, antennis pedibusque piceo-testaceis, thorace quadrato, profunde canaliculato foveolatoque, elytris striato-punctatis, pilis albidis adspersis.

Dom. Schüppel in litteris.

Habitat in Westrogothia, *Dom. Schönherr*; in Scania, *Dom. Zetterstedt*; rarius apud nos occurrit.

Statura fere L. porcati, sed plerumque major, niger, sub-opacus. Caput porrectum, oblongo-quadratum, sub-depressum, nigrum, opacum, confertissime

sime punctulatum, fronte linea impressa, in verticem excurrente, canaliculata; oculi laterales nigri, prominuli. Antennae vix longitudine thoracis, ferrugineae, structura ut in prioribus. Thorax sub-quadratus, antice parum latior, basi apiceque truncatus, lateribus fere rectis, marginibus valde reflexo-elevatis, piloso-ciliatis, supra inaequalis, in medio canalicula profunda, antice latiore, exaratus, et intra basin utrinque fovea magna, profunda, impressus; totus niger, opacus, confertissime punctulatus. Scutellum minutum, transversum, nigrum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris prominulis, versus medium ampliata, apice rotundata, thorace quintuplo longiora, supra posterius convexa, versus basin transversim impressa, tota nigra, sub-nitida, regulariter striato-punctata, pilis rigidis erectis cinereis adspersa. Corpus subtus nigrum vel nigro-piceum, sub-opacum, punctulatum. Pedes rufo-picei, tibiarum basi tarsisque dilutius testaceis.

20. L. rugosus: oblongus niger, ore, antennis pedibusque ferrugineis, thorace lato, brevi, antice sub-angustiore, postice transversim profunde impresso, elytris obsoletius punctato-striatis.

Herbst. Col. 5. 6. 3. *Tab.* 44. *f.* 3. *c*, *C. teste Dom. Schüppel*, *secundum Mus. Herbstii.*

Habitat sub cortice arborum emortuarum, rarius.

Magnitudo et statura L. porcati, a quo tamen abunde differt thorace breviore, antice sub-angustiore, elytris leviter tantum punctato-striatis etc. Caput porrectum nigrum, confertissime punctulatum, ore toto labroque rufo-ferrugineis; oculi laterales prominuli nigri.

nigri. Antennae longitudine thoracis, tenues, ferrugineae, structura ut in prioribus. Thorax latitudine brevior, antice truncatus, collari nullo denudato capiti adnexus, antice fere angustior quam basi, lateribus aequaliter rotundatus, marginatus, basi truncatus, angulis sub-rectis; supra anterius modice convexus; cum rudimento canaliculae longitudinalis obsoleto; intra basin fovea lata transversa profunde impressus; totus niger, opacus, confertim punctulatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris sub-rotundatis, versus medium ampliata, apice rotundata, thorace quintuplo longiora et ultra, supra modice convexa, nigra, magis nitida, regulariter quidem punctato-striata, sed puncta striarum parva, parum profunda, distantia. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, vix punctulatum. Pedes saturate ferruginei.

21. L. sculptilis: oblongus, ferrugineus, thorace brevi, lato, antice sub-angustiori, postice transversim profunde impresso, collari denudato, elytris profundius striato-punctatis.

Dom. Schüppel in litteris.

Ips transversa, *Oliv. Ent.* 2. 18. 14. 20. *Pl.* 3. *f.* 20. *a*, *b*.

Corticaria transversa, *Marsh. Ent. Br.* 1. 109. 10. *teste Dom. Kirby.*

Latridius transversalis, *Dej. Cat. p.* 102. *teste Dom. Schüppel.*

——— *asperatus*, *Dom. Megerle a Mühlfeld in litt.*

Habitat sub cortice arborum emortuarum, pas-

passim; etiam in quisquiliis ad latera horreorum copiosius lectus.

Magnitudo, statura et affinitas praecedentis, sed color alius, collare exsertum, margines thoracis latius explanati, elytra profundius punctato-striata. Caput porrectum, ferrugineum, confertim punctulatum, canalicula frontali impressum; oculi laterales nigri, prominuli. Antennae longitudine thoracis, totae pallide ferrugineae, structura ut in prioribus. Collare inter caput et thoracem denudatum, concolor, punctulatum. Thorax brevissimus, transversus, antice sub-emarginatus, lateribus nonnihil rotundatus, margine late explanato, reflexo, praesertim anterius; basi truncatus, angulis sub-rectis; supra anterius convexus, obsolete canaliculatus, intra basin fovea lata, profunda, transversa impressus, totus ferrugineus, confertim punctulatus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris sub-rotundatis, versus medium ampliata, apice rotundata, thorace quintuplo longiora, supra convexa, dilutius ferruginea, nitida, regulariter punctato-striata, punctis striarum majoribus, magis approximatis, quam in praecedente. Corpus subtus saturatius rufo-piceum, sub-nitidum. Pedes mediocres, dilutius testacei.

22. L. porcatus: oblongus, nigro-piceus, antennis pedibusque rufo-testaceis, thorace sub-cordato, angulis anticis rotundato-ampliatis, elytris nitidis, profunde striato-punctatis.

Herbst. Col. 5. 6. 4. *Tab.* 41. *f.* 4. *d. Kugell. Schneid. Mag.* 5. 575. 7. *Kyber in Germ. Mag.* 2. *p.* 1. *Tab.* 1. *f.* 1—7. *Metam.*

Dermestes porcatus, *Panz. Fn.* 23. *f.* 8.

Dermestes marginatus, *Payk. Fn.* 1. 300. 30.

Tene-

Tenebrio minutus, *Linn. Syst.* 2. 675. 12.
Latridius minutus, *Latr. Gen. Ins.* 3. 18. 2.
Ips minuta, *Oliv. Ent.* 2. 18. 14. 22. *Pl.* 3. *f.* 22. *a*, *b*.
Corticaria pulla, *Marsh. Ent. Br.* 1. 111. 14.

Var. b, corpore toto ferrugineo vel testaceo.

Habitat in domibus, quisquiliis, gramine, ubique vulgaris.

Parvus. Caput porrectum, sub-convexum, nigro-piceum, opacum, crebre punctulatum, ore rufescente; in vertice et fronte linea longitudinalis impressa. Oculi laterales nigri, valde prominuli. Antennae longitudine thoracis, ferrugineae, structura ut in prioribus. Thorax sub-cordatus, antice multo latior, emarginatus, angulis rotundato-ampliatis, lateribus obliquis, sub-rectis, late reflexo-marginatis, basi truncatus, supra in disco convexus, anterius rudimento canaliculae abbreviatae impressus, intra basin transversim impressus, fovea lata, versus angulos utrinque profundiore; nigro-piceus, opacus, punctulatissimus, versus margines saepe dilutior. Scutellum minutum rotundatum nigrum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, versus medium ampliata, apice rotundata, supra modice convexa, in dorso anteriore transversim impressa, nigro-picea, nitida, sutura margineque saepius ferrugineis; regulariter et profunde punctato-striata. Corpus subtus piceum, sub-nitidum, punctulatum. Pedes breviusculi rufo-ferruginei.

Var. b, colore dilutiore tantum differt, aut rufo-ferrugineo, aut testaceo, aut pallido, capite plerumque obscuriore.

23. L. filiformis: lineari-elongatus, angustus, sub-depressus, pallide testaceus, tho-

thorace cordato, postice transversim impresso, elytris linearibus subtiliter punctato-striatis.

Dom. Com. Dejean in litt.

Habitat sub cortice arborum emortuarum rarius; in Smolandia *Dom. Luingh* et *Wetterhall;* in Blekingia, *Aspegrén;* in Westrogothia auctor.

Minutus, angustus, L. constricto similis, sed longior et in elytris adhuc angustior. Caput majusculum, oblongum, depressum, porrectum, crebre punctulatum, ruso-testaceum, oculis parvis lateralibus prominulis, aureo micantibus. Antennae vix longitudine thoracis, pallide testaceae, structura ut in prioribus. Thorax sub-cordatus, latitudine antica brevior, antice multo latior, truncatus, angulis rotundato-ampliatis, lateribus obliquis, sub-rectis, explanato-marginatis, basi truncatus, supra in disco antico convexus, intra basin fovea lata, transversa, versus angulos utrinque profundiore impressus; totus pallide testaceus, subtilissime punctulatus. Scutellum minutum, transversum, concolor. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis, thorace quintuplo longiora, fere linearia, apice rotundata, supra parum convexa, pallidius testacea, subtilissime striato-punctata. Corpus subtus ferrugineum, sub-nitidum, vix punctulatum. Pedes breviusculi, pallidius testacei.

COCCINELLA.

Palpi maxillares magni, articulo ultimo maximo, securiformi. Antennae thorace breviores, capitulo compresso, obconico, apice truncato. Corpus aut hemisphaericum, aut ro-

tundato-ovatum, convexum, marginatum, abdomine subtus plano.

Stirps 1[a]: Cassideae. Thorax brevissimus, lunatus, angulis posticis nullis. Elytra gibbosa, cordata, late marginata, antice pro thorace simultanea emarginata.

1. C. reni-pustulata: compresso-gibba, nigra, elytris pustula disci transverse ovata simplici abdomineque rubris.

Illig. Col. Bor. 1. 474. 42. *Schönh. Syn.* 2. 197. 133.

Habitat in Alno, Salice etc. non infrequens.

Magnitudo fere C. 5-punctulatae. Caput parvum, deflexum, nigrum, antice leviter emarginatum, fronte plana, punctata. Palpi maxillares inferne pallidi; oculi depressi, brunnei. Antennae brevissimae, pallidae, apice pilosae. Thorax brevissimus, postice fere semicirculariter rotundatus, lobis lateralibus antrorsum productis, caput ambientibus, antice pro capite late et profunde angulatim emarginatus, supra in medio convexus, lateribus deplanatus, totus niger, politus, glaber, nitidus, subtilissime punctulatus; in disco saepe, non vero semper, foveolae duae, pares, remotae, impressae observantur. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra ampla, basi simultaneae pro thorace et scutello, late et profunde sinuato-emarginata, lateribus ampliata, apice rotundata, supra valde convexa, fere gibbosa, lateraliter sub-compressa, versus margines deplanata, late marginata, tota nigra, nitida, glabra, in disco subtilissime, versus margines evidentius punctulata; in cujusvis elytri medio macula majuscula rubra, simplex, transversim ovata. Alae lon-

gae, fuscescentes. Pectus nigrum, nitidum, punctulatum; abdomen subtus planum, pallide rufum, confertim punctulatum, in medio baseos infuscatum. Pedes breves, validi, nigri, tarsis dense rufo-spongiosis.

Variat rarius pustula elytrorum parva, minuta.

2. C. bi-pustulata: compresso-gibba, nigra, capite, abdominis limbo, elytrorum fascia media composita abbreviata genubusque rubris.

Linn. Fabr. Illig. Schönh. Syn. 2. 196. 132.

Habitat in silvaticis passim, praesertim in Pini turionibus.

Praecedenti quoad structuram simillima, sed plerumque dimidio, imo duplo minor, et aliter colorata. Caput quoad structuram omnino ut in priori, sed totum, cum palpis et antennis rufo-brunneum; oculi brunnei. Thoracis et scutelli forma, color et omnia ut in priori. Elytra etiam exacte ut in praecedenti, sed loco maculae mediae simplicis rubrae, in singulo elytro fascia, utrinque abbreviata, e punctis tribus conflata, quorum duo interiora plerumque connata, extimum vero separatum. Alae ut in priori. Pectus totum nigrum; abdomen basi et in medio nigrum, segmentorum marginibus pallidis, limbo toto pallide rufo. Pedes nigri, genubus spongiisque rufescentibus.

Obs. E Lusitania individuum obtinui, in ceteris simillimum, sed thoracis anguli antici, corpus totum subtus una cum pedibus rufum, pectoris medio tantum infuscato.

3. C. 4-pustulata: convexa nigra, lunula elytrorum humerali, pustula pone medium limboque postico abdominis rubris.

Linn.

Linn. Illig. De Géer. Rossi. Schneid.

Coccinella 4-verrucata, Fabr. Payk. Herbst. Schönh. Syn. 2. 198. 138.

Var. *b*, color fuscus loco nigri. *Illig. Schönh.* l. c. var. *β*.

Habitat in silvaticis passim.

Statura paulo longior, minus gibba et cordata, quam duarum praecedentium, tamen illis similis, thorace brevissimo, postice rotundato, elytris late marginatis, angulo humerali prominulo etc. Caput parvum, deflexum, nigrum, antice integrum, fronte plana, laevi; oculi depressi, brunnei. Antennae brevissimae, pallidae, apice fuscae. Thorax brevissimus, postice semi-circulariter rotundatus, sed lobi laterales latiores et breviores quam in prioribus; antice late, sed minus profunde emarginatus, supra convexus, totus niger, nitidus, laevis. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra magna, antice simultaneae pro thorace emarginata, eique arcte applicata, angulis humeralibus productis, lateribus ampliata, late reflexo-marginata, apicem versus nonnihil attenuata, supra aequaliter convexa, non gibba, nigra, nitida, in disco subtilissime, versus margines evidentius punctulata; intra humerum cujusvis elytri macula lunata, superne angustata, inferius dilatata et paulo pone medium versus suturam alia parva, transversa, ambae flavo-rufescentes. Corpus subtus nigrum, nitidum, ventris limbo postico jam latius, jam anguste tantum rufescente. Pedes breves, validi, nigri, geniculis spongiisque tarsuum ferrugineis.

Var. b, differt tantum corpore dilutius fusco; macula Elytrorum posterior interdum parva, obsoleta.

Stirps 2[da]: sub-hemisphaericae. Thorax etiam postice, elytris angustior, angulatus. Corpus potius hemisphaericum quam ovatum.

Manip. 1[us] Glabrae.

4. C. ocellata: sub-hemisphaerica nigra, thorace flavo-vario, elytris rubris nigro-marginatis, punctis nigris sub-ocellatis.

a) Punctis elytrorum 16, ocellatis, 1, 3, 3, 1, ultimo lineari saepe deficiente, scutellarique communi, didymo.

Linn. Fabr. Payk. Hbst. Schneid. Schönh. Syn. 2. 182. 88. *var.* ζ, η.

Var. *b*, puncto uno alterove serierum deficiente. *Schönh.* l. c. var. γ, δ, ε.

Var. *c*, puncto humerali sub-ocellato, scutellarique communi nigris, loco reliquorum guttulae pallidae obsoletae. *Schönh.* l. c. var. β.

Var. *d*, coleoptris immaculatis. *Schönh.* l. c. var. α.

Var. *e*, punctis nigris in lineas tres longitudinales singuli elytri confluentibus. *Schönh.* l. c. var. ϑ.

Habitat in fruticibus, plantis, *a*, *b*, frequentius, *c*, *d*, parcius, var. *e*, rarissime occurrit.

Maxi-

Maxima nostratum hujus generis. Caput parvum, deflexum, nigrum, punctatum, maculis duabus ovatis in fronte lunulaque supra os albis; oculi depressi, brunnei. Antennae validiusculae, ferrugineae, apice fuscescentes. Thorax brevis, elytris angustior, postice sub-rotundatus, angulis obtusis, antice late et profunde emarginatus, lateribus rotundatus, supra modice convexus, in disco niger, obsolete punctulatus, margine antico anguste, lateralibus vero late albis, margine tamen ipso nigro, versus basin maculam conicam nigram emittente, interdum cum nigredine disci conjunctam; in plaga nigra versus medium baseos praeterea maculae duae albae, pares. Scutellum parvum triangulare nigrum. Elytra magna, valde convexa, in disco obsolete, versus latera evidentius crebre punctulata, jam saturatius, jam dilutius rubra, margine ipso reflexo semper nigro. In tuberculo humerali macula major oblique transversa nigra; juxta scutellum alia parva ob-conica, rarius cum opposita alterius elytri conjuncta; paulo ante medium striga e maculis tribus, et ad ipsum marginem plerumque quarta dimidiata, cum nigredine marginis connexa; paulo pone medium striga altera, etiam tribus maculis constans et intra apicem macula ultima, plerumque oblonga, oblique transversa, omnes iride pallida cinctae. Corpus subtus nigrum, pectore utrinque macula triangulari alba, segmentorumque ventris marginibus anguste pallidis. Pedes nigri spongiis ferrugineis.

Signaturae nigrae elytrorum diverso modo variant; in var. b, puncta serierum jam media, jam omnia interiora desunt; in var. c, modo punctum humerale et scutellare, eaque parva, nigra exstant; reliquorum loca guttulis pallidis tantum indicata; in var. d, signaturae nigrae omnino nullae et guttulae pallidae valde obsoletae. In var. e, e contrario signaturae nigrae valde dilatatae, confluentes, lineas tres longitudinales abbreviatas in singulo elytro formantes, quarum interior saepe et rarius etiam media abrupta.

5. C.

5. C. oblongo-guttata: sub-hemisphaerica rufo-testacea, thoracis lateribus elytrorumque lineolis guttisque albidis.

Linn. Fabr. Oliv. De Géer. Illig. Herbst. Payk. Schönh. Syn. 2. 193. 119.

Var. *b*, thoracis disco utrinque litura nigra notato, corpore subtus plus minusve infuscato. *Illig. Schönh.* l. c. var. *β*.

Var. *c*, thoracis disco fere toto, capite, corpore subtus pedibusque maxima parte nigris.

Habitat in silvaticis, praesertim in Pini silvestris turionibus, sat frequens; var. *c*, raro occurrit.

Praecedenti paulo minor, ceterum statura similis. Caput parvum, deflexum, punctatum, rufo-ferrugineum, oculis depressis brunneis. Thorax quoad structuram ut in priori, subtiliter punctulatus, in disco rufescens, lateribus late albidis. Scutellum parvum, triangulare, brunneum. Elytrorum forma ut in priori, plerumque pallidius rufescentia, crebre punctulata, linea exteriore fere integra, macula oblonga in disco ante medium, alia ob-conica in basi juxta scutellum, et duabus elongatis juxta suturam, omnibus albidis, notata. Corpus subtus rufo-brunneum, crebre punctatum. Pedes mediocres rufo-testacei.

Var. b, differt thoracis disco utrinque litura nigra inaequali notato, et corpore subtus nonnihil infuscato.

In var. c, thoracis discus fere totus niger, modo ante scutellum rubro tinctus; caput et corpus totum subtus, ut et pedes etiam saturate nigra, tarsis solis ferrugineis.

6. C.

6. C. 16-punctata: sub-hemisphaerica rufescens, capite thoraceque luteis, punctis plurimis nigris, elytris pallidis, punctis 16.

Fabr. Herbst. Panz. Fallén. Schneid.

Coccinella margine-punctata, Illig. Schönh. Syn. 2. 156. 16. *var. β.*

Var. *b*, elytris punctis tantum duobus marginalibus nigris, ceterorum loco guttulae albidae obsoletae. *Fallén.* l. c. var. *β.*

C. margine punctata a, Illig. Schönh. l. c.

Habitat in Scaniae maritimis rarius.

Statura praecedentis, sed paulo minor, C. 16-guttatae aequalis. Caput parvum, deflexum, luteum, punctulatum, fronte plana, punctis plerumque sex nigris, in series duas perpendiculares collocatas, notata; oculi depressi brunnei. Palpi et antennae lutei, interdum apice infuscati. Thorax quoad structuram ut in proxime praecedentibus, supra luteus, punctulatus, punctis undecim nigris notatus, interdum distinctis, saepe vero dilatatis et vario modo confluentibus; ex his quinque in disco posteriori majores, unum majusculum in quovis latere et duo parva interius utrinque. Scutellum parvum triangulare luteum. Elytrorum forma fere ut in prioribus, saturatius luteo-rufescentia, subtilissime punctulata; in singulo puncta octo nigra; primum in tuberculo humerali; dein striga parum ante et altera paulo pone medium, singula e punctis tribus, intermediis minoribus, et demum ultimum posterius, solitarium; puncta haec aut minora, aut magis dilatata, rarius confluentia. Thorax et pectus subtus in medio nigra, ambitu flavo; venter rufescens, in medio saepe infuscatus. Pedes toti rufescentes.

In

In var. b, modo puncta duo marginalia serierum in elytris nigra; loco reliquorum guttulae tantum pallidae obsoletissimae observantur.

Obs. Individua punctis elytrorum omnibus nigris insignita, magis completa videntur, unde denominationem Speciei ex his desumtam retinere aptum censui.

7. C. 16-guttata: sub-hemisphaerica flavo-testacea, pellucida, late marginata, elytris guttulis sedecim albis.

Linn. Fabr. De Géer. Illig. Herbst. Payk. Schönh. Syn. 2. 192. 117.

Habitat in foliis Betulae, Alni, locis umbrosis, passim. Larva nigra, maculis sulphureis.

Statura C. oblongo-punctatae, sed fere dimidio minor, tenera, sub-pellucida, flavo-testacea, supra pallidior. Caput parvum, deflexum, flavo-albidum, punctatum, oculis depressis brunneis. Thorax postice latior, sub-rotundatus, anterius angustior, ibique late, sed parum profunde, nec angulariter emarginatus, supra in disco posteriore modice convexus, saturatius testaceus, versus latera late explanato-marginatus, albido-pellucidus. Scutellum parvum, triangulare, testaceum. Elytra magna, convexa, confertim punctulata, in disco saturatius testacea, lateribus late marginata, pallido-pellucida; in singulo guttae octo albae, quarum quinque in serie juxta suturam, prima in ipsa basi juxta scutellum, penultima paulo magis a sutura remota, ultima prope apicem, obsoletior; tres aliae exterius locatae, quarum prima pone humerum, juxta marginem, media in disco, a margine remota, ultima posterius in ipso margine. Thorax et pectus subtus saturatius testacea, limbo et ventre pallidioribus. Pedes flavo-testacei.

8. C. Tigrina: sub-hemisphaerica, supra nigra, thorace lateribus guttisque tribus, elytro singulo decem albis, 1, 3, 3, 2, 1.

Linn. Fabr. Illig. Hbst. Payk. Schönh. Syn. 2. 202. 161.

Var. *b*, supra rubro-testacea, similiter albo-guttata. *Schönh.* l. c. var. *β*.

Coccinella 20-*guttata*, *Linn. Fabr. De Géer.*

Var. *c*, Trigae posterioris guttis duabus exterioris connatis, et hoc tam in *a* quam *b*; *Illig.* l. c. var. *b*.

Habitat in fruticibus et plantis passim.

Magnitudo et statura fere praecedentis. Caput parvum, deflexum, fronte plana, punctata, posterius nigra, guttis duabus majusculis albis; antica pars capitis, ut et os et antennae testacea. Thorax quoad structuram ut in praecedenti, supra modice convexus, confertim punctulatus, in disco niger, lateribus late sinuatim albus; in medio baseos guttae duae oblongo-ovatae, et anterius in disco tertia, obconica, albae; thorax quoque albus dici queat, litura disci ramosa nigra inscriptus, literam M, magnam mentientem, utrinque ramulum in albedinem marginis emittentem. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, convexa, confertissime evidenter punctata, nigra, guttis in singulo decem albis, quarum prima in medio baseos, ovata; dein triga sub-transversa, gutta exteriore, sub humero locata, majore, difformi; media transversim ovata, nonnihil retracta; intima juxta suturam, paulo anterior, ovata; iterum triga transversa e guttis tribus sub-aequalibus, extimis duabus saepe connatis, var. c; tum duae rotundatae et ultima in ipso apice. Corpus subtus aut piceo-aut testaceo-brunneum, punctatum, ventris limbo dilutiore; in pectore

ctore utrinque macula triangularis alba. Pedes rufo-testacei, externe infuscati.

In var. b, omnia rufo-testacea, quae in a nigra, et pagina inferior magis pallida.

9. C. 14-guttata: sub-hemisphaerica, rufo-testacea, thorace utrinque lunula, elytro singulo guttis septem albidis, 1, 3, 2, 1.

Linn. Fabr. De Géer. Illig. Herbst. Payk. Schönh. Syn. 2. 191. 115.

Habitat in silvaticis sat frequens.

Statura praecedentium, plerumque paulo minor. Caput parvum, deflexum, saturate rufum, immaculatum, crebre punctulatum, oculis depressis brunneis. Thorax fere ut in prioribus constructus, supra modice convexus, punctulatus, saturate rufus, margine reflexo pallidiore, diaphano; in angulo postico utrinque lunula albida, margini contigua. Scutellum rufum. Elytra magna, convexa, rufo-testacea, crebre-punctata, guttis in singulo septem albidis, interdum fusco-cinctis; prima in basi interiore; tum tres in striga transversa ante medium, dein duae pone medium et tandem ultima intra apicem. Pectus subtus nigrum, macula albida utrinque anterius; venter in medio piceus, limbo testaceo. Pedes toti rufo-testacei.

10. C. bis-sex-guttata: sub-hemisphaerica, rufo-testacea, thorace antice vix emarginato, lateribus albo-diaphano, elytro singulo guttis sex albidis, 1, 2 obliquis, 2, 1.

Fabr. Illig. Hbst. Payk. Schönh. Syn. 2. 191. 113.

Habitat in Betula, Quercu, minus frequens.

Par-

Parva, praecedente duplo minor, C. 14-pustulatae aequalis. Caput parvum, deflexum, punctulatum, pallide testaceum, oculis brunneis. Thorax postice paulo latior, rotundato-sub-sinuatus, antice vix vel perparum emarginatus, supra modice convexus, punctulatus, in disco rufo-testaceus, lateribus late sinuatim albido-diaphanus. Scutellum testaceum. Elytra ampla, convexa, rufo-testacea, evidentius crebre punctulata; in singulo guttae sex albidae, prima in basi juxta scutellum; 2 et 3, ante medium, oblique positae, exteriore transversa, marginali, interiore paulo posterius in disco, rotunda; 4 et quinta pone medium, exteriore transversa, marginali, interiore rotunda juxta suturam, et demum sexta intra apicem, etiam rotunda. Corpus subtus cum pedibus pallidius testaceum.

11. C. octodecim-guttata: sub-ovata, rufo-ferruginea, thoracis lateribus guttaque duplici baseos, elytro singulo guttis novem luteis, 2, 1, 3, 2, 1, primis duabus lunatis.

Linn. Fabr. Illig. Payk. Schönh. Syn. 2. 193. 118.

Var. *b*, guttis duabus exterioribus trigae connatis, *Illig. Schönh.* l. c. var. *β*.

Var. *c*, guttula insuper addita juxta apicem lunulae humeralis, *Illig. Schönh.* l. c. var. *γ*.

Var. *d*, saturatius brunnea, luteo-guttata, *Illig. Schönh.* l. c. var. *δ*.

Habitat in pratis silvaticis, minus frequens.

Magnitudo C. 11-punctatae et fere ejusdem staturae, praecedentibus paulo magis oblonga, sed propter similitudinem coloris et signaturae heic locanda.

canda. Caput parvum, deflexum, punctatum, rufo-ferrugineum, guttulis duabus flavis inter oculos. Thorax postice sub-rotundatus, antice late emarginatus, supra modice convexus, subtiliter punctulatus, plaga disci media inaequali rufo-ferruginea, lateribus lunariter luteis, et in medio baseos guttulae duae, saepe in unam bilobam connatae, ejusdem coloris. Scutellum minutum triangulare ferrugineum. Elytra ampla, sub-ovata, modice convexa, crebre evidentius punctulata, rufo-ferruginea, guttulis in singulo novem luteo-flavis, quarum duae baseos, una in angulo humerali, altera juxta scutellum, majores, lunatae; tertia ante medium disci, rotunda; paulo pone medium tres, transversim positae, marginalis major, angulata, ei adjacens minor, saepe cum illa connata et interior versus suturam, rotundata; tum duae oppositae, rotundatae, interiore majore, et demum ultima in ipso apice. Pectus brunneo-nigrum, lateribus flavis; venter etiam brunneus, limbo testaceo. Pedes testacei.

Varietates secundum diagnosin differunt; in var. d, venter fere totus niger et pedes etiam infuscati.

12. C. 14-pustulata: sub-hemisphaerica nigra, thorace antice sinuatim, elytro singulo pustulis septem flavo-albidis, 2, 2, 2, 1.

a) fronte utrinque macula pallida.

Var. *b*, fronte pallida, flavedine antica thoracis latiore, profundius incisa, pedibus anticis luteis.

Var. *c*, elytrorum pustulis rubro-tinctis.

Linn. Fabr. Illig. Payk. Hbst. Schönh. Syn. 2. 200. 155.

Var. *d*, pustula humerali cum proxima marginali,

ginali, vel pustula ultima cum antecedente confluentibus.

Habitat in collibus aridis pratorum, passim.

Parva, C. globosae aequalis. Caput parvum, deflexum, nigrum, vix punctulatum, pustula albida juxta oculos utrinque. Thorax postice sub-rotundatus, antice late et sat profunde emarginatus, supra modice convexus, vix punctulatus, posterius niger, margine angulisque anticis sinuatim flavo-albidis; color pallidus interdum, praesertim in var. b, ita dilatatus, ut thorax potius pallidus dici queat, plaga majuscula baseos nigra, anterius quadriloba, insignitus. Scutellum minutum triangulare nigrum. Elytra magna, convexa, confertim punctulata, nigra, pustulis in singulo septem, aut albis, aut flavescentibus, aut rubro-tinctis, quarum prima in angulo humerali, major, oblonga, postice emarginata, raro cum subjacente marginali in lunulam crassam connata, ut in var. d; secunda in basi interiore, semi-circularis; tertia in margine, ante medium; quarta ei opposita in disco, versus suturam; quinta et sexta pone medium, pari modo locata; ultima versus apicem, plerumque posterius emarginata, raro cum antecedente connata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pectore flavo-marginato, et in margine ventris pustula pallida. Pedes in a, maxima parte nigri, tibiis anticis totis, posteriorum apice tarsisque omnibus ferrugineis. In var. b, femora et tibiae quatuor anteriores ferruginea, externe infuscata.

13. C. hieroglyphica. sub-ovata nigra, thorace antice utrinque albo, elytris rubris, linea sub scutello elongata vittaque singuli elytri flexuosa nigris.

a) Ramulo medio vittae elytrorum cum linea suturali connexa.

Linn.

Linn. Fabr. Oliv. Illig. Payk. Schönh. Syn. 2. 168. 38.

Var. *b*, puncto postico exteriore a vitta disjuncto.

Var. *c*, vitta nigra elytrorum in medio interrupta. *Illig. Schönh.* l. c. var. *β*.

Coccinella flexuosa, *Fabr. Oliv.*

Var. *d*, punctis duobus posterioribus distinctis.

Var. *e*, vitta elytrorum a stria suturali distincta. *Schönh.* l. c. var. *δ*.

Var. *f*, ut var. *e*, sed punctum exterius posticum a vitta distinctum.

Coccinella sinuosa, *Marsh. Ent. Br.* 1. 160. 29.

Var. *g*, vitta elytrorum a stria suturali distincta et in medio interrupta. *Schönh.* l. c. var. *γ*.

Var. *h*, ut var. *g*, sed puncta duo posteriora distincta.

Var. *i*, ut var. *h*, sed praeterea punctum externum anticum etiam distinctum.

Var. *k*, vitta elytrorum in tres maculas divisa, et juxta ultimam externe punctum solitarium.

Var. *l*, elytris pallide rubris, linea baseos suturali, vitta brevi intra humerum, puncto medio disci, maculaque postica nigris.

Coc-

Coccinella lineolata, *Marsh. Ent. Br.* 1. 153. 12.

Var. *m*, elytris pallide rubris, linea baseos suturali, macula oblonga intra-humerali, alia rotundata versus apicem, adjecto puncto exteriore nigris.

Habitat in fruticibus et plantis, praesertim in Coryli foliis, sat frequens; var. *l*, *m*, rarius ocurrunt.

Statura sub-ovata C. 11-punctatae, sed paulo minor. Caput parvum deflexum, nigrum, punctulatum, maculis duabus cuneatis inter oculos, margineque labri pallidis. Antennae ferrugineae. Thorax postice sub-rotundatus, antice late et profunde angulariter emarginatus, supra modice convexus, punctulatus, niger, angulis anticis late inaequaliter pallidis vel luteis. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, ovata, convexa, confertim punctulata, pallide rubra; in basi suturae stria elongata communis nigra linearis; in singulo elytro praeterea vitta flexuosa, postice abbreviata, nigra, in basi juxta tuberculum humerale inchoata, dein versus medium arcuatim cum stria suturali connexa, et externe macula rotunda confluente aucta, in medio coarctata et pone medium in maculam magnam, postice rotundatam terminata, cui externe adhaeret macula minor, oblonga; maculae duae exteriores adnexae, marginem non attingunt. Pictura haec vario modo aberrat, ut in varietatum diagnosi indicavi, usque dum modo puncta aliquot solitaria supersunt; sed stria baseos suturalis, magis elongata, quam in ulla alia specie, semper manet. Corpus subtus totum nigrum, nitidum, punctulatum. Pedes nigri, tarsis ferrugineo-spongiosis.

14. C. 11-punctata: sub-ovata nigra, thorace

race antice utrinque albo, elytris rufis nigro-punctatis.

a) Coleoptris punctis undecim, scutellari communi, et in singulo elytro quinque, 1, 2, 2, paribus oblique positis.

Linn. Fabr. Illig. Herbst. Oliv. De Géer. Schönh. Syn. 2. 178. 73.

Var. *b*, punctis primi paris connatis. *Illig. Schönh.* l. c. var. *β*.

Var. *c*, punctis secundi paris connatis. *Schönh.* l. c. var. *γ*.

Var. *d*, punctis utriusque paris connatis. *Schönh.* l. c. var. *δ*.

Var. *e*. coleoptris punctis novem nigris, humerali nempe in utroque elytro deficiente. *Illig.* l. c. var. *γ*. *Schönh.* l. c. var. *ζ*.

Coccinella 9-*punctata*, *Linn. Fabr. De Géer, Herbst. etc.*

Var. *f*, ut var. *e*, sed puncta paris posterioris connexa. *Illig. Mag.* 1. 92. var. *δ*; *Schönh.* l. c. var. *η*.

Var. *g*, paulo major, puncto interiore paris posterioris deficiente. *Schönh.* l. c. var. ε.

C. oculata, *Thunb. Ins. Sv.* 9. *p.* 107. *teste Dom. Schönherr.*

Var. *h*, ut var. *e*, sed punctum exterius paris posterioris deest. *Schönh.* l. c. var. *ι*.

Var.

Var. *i*, ut var. *e*, sed punctum interius primi paris deest.

Var. *k*, puncta omnia desunt, praeter scutellare commune, et punctum interius paris posterioris, et hae solito majora. *Illig. Mag.* 1. 92. 29. *var.* ζ. *Schönh. l. c. var.* λ. *Coccinella tripunctata*, *Linn. S. N.* 2. 580. 8. *Fn. Sv.* 472.

Habitat in pratis et pascuis, a, b, c, passim; var. *d*, praecipue in Lapponia; varietates reliquae rarius occurrunt.

Magnitudo fere C. 5-punctatae, sed paulo longior, statura C. hieroglyphicae. Caput parvum, deflexum, nigrum, punctulatum, guttula pallida juxta oculos utrinque, summoque margine clypei et labri pallidis seu albidis. Antennae ferrugineae, articulo primo nigro et clava fusca. Thorax omnino ut in praecedenti constructus et coloratus, niger nempe, angulo antico utrinque late inaequaliter albido vel flavescente. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, ovata, convexa, confertim punctulata, aut saturatius aut pallidius rubra; pone scutellum macula majuscula nigra, communis, ob-cordata, lobis postice rotundatis, nec unquam elongata ut in priori; juxta tuberculum humerale punctum parvum, rotundatum; versus medium puncta duo et pone medium iterum duo, oblique posita, omnia rotunda, interiora plerumque majora; in var. b, c, d, puncta aut primi aut secundi paris, aut amborum confluentia in fascias utrinque abbreviatas, inaequales, plus minusve dilatatas; in var. e, punctum humerale deest, et in reliquis varietatibus praeterea punctum unum aut plura desiderantur, ut in diagnosi allatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, punctulatum, pectore antice striga pallida utrinque. Pedes nigri, spongiis ferrugineis.

15. C. 5-punctata: hemisphaerica nigra, thorace utrinque macula apicis alba, elytris rubris, simul punctis quinque nigris.

a) puncto scutellari communi, altero in medio versus suturam, tertio minore posterius versus marginem cujusvis elytri.

Linn. Fabr. Oliv. Hbst. Illig. Schönh. Syn. 2. 171. 54.

Var. *b*, Coleoptris punctis septem, adjecto laterali parvo anterius. *Schönh. l. c. var. γ.*

Var. *c*, Coleoptris punctis septem, adjecto parvo humerali.

Var. *d*, Coleoptris punctis novem, adjectis humerali et exteriore antico, parvis. *Schönh. l. c. var. δ.*

Var. *e*, puncto communi et interiore disci valde dilatatis, confluentibus, puncto exteriore antico minuto, ultimo vero dilatato, introrsum transversim producto. *Schönh. l. c. var. ε.*

Var. *f*, puncto communi et interiore disci valde dilatatis, ceteris deficientibus. *Illig. Schönh. l. c. var. β.*

Habitat in plantis et fruticibus ubique frequens; varietates vero, praesertim ultimae, rarissime occurrunt.

Minor, hemisphaerica, magnitudine varians. Caput parvum, deflexum, nigrum, punctulatum, macula flavo-

flavo-albida ad oculos utrinque summoque margine clypei et labri pallidis. Antennae ferrugineae, articulo primo nigro, ultimis fuscis. Thorax postice sub-rotundatus, antice late et profunde angulariter emarginatus, supra modice convexus, niger, nitidus, confertim punctulatus, angulo antico utrinque late inaequaliter albido. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, valde convexa, posterius subacuminata, crebre punctulata, sanguineo-rubra, margine antico juxta scutellum pallidiore; pone scutellum macula communis nigra ob-cordata, antice angustata, lateribus rotundata, postice aut obtusa, aut in singulo elytro acuminate producta; in medio elytri versus suturam punctum majusculum, rotundatum, et posterius versus marginem punctum parvum nigrum. In varietatibus puncta nigra numero et figura alia, ut in illarum diagnosi indicatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, punctulatum, pectore antice macula transversa alba. Pedes nigri, spongiis ferrugineis.

16. C. 7-punctata: hemisphaerica nigra, thorace utrinque macula apicis albida, elytris rufis, simul punctis septem nigris.

a) puncto scutellari communi, duobus oblique positis in medio et ultimum intra apicem exterius.

Linn. Fabr. Oliv. Hbst. Illig. Schönh. Syn. 2. 172. 56.

Var. *b*, elytris punctis novem, humerali nempe parvo adjecto. *Illig. Schönh. l. c. var. γ.*

Var. *c*, puncto paris interiore deficiente. *Illig. Schönh. l. c. var. β.*

Var. *d*, elytris omnino immaculatis.

Var. *e*, elytris obscurioribus, maculis punctisque nigro-fuscis absque ordine adspersis, praeter puncta ordinaria.

Habitat in fruticibus et plantis ubique frequens; varietates vero raro occurrunt; var. *d*, in Westmannia capta. *Mus. Dom. Schönherr.*

Inter majores nostratum, plerumque praecedenti triplo major, variat tamen magnitudine longe minori; praeterea C. 5-punctatae, praesertim ejus var. b, simillima, aegre distinguenda; attamen, praeter magnitudinem, in sequentibus diversa. Punctura paginae superioris multo subtilior. Elytra apice magis obtusa; maculae albae inter oculos majores, nec oblique positae. Punctum medium elytrorum fere semper minus ultimo, quod in priori e contra; cetera exacte conveniunt, quare ulterior descriptio superflua.

17. C. hyperborea: sub-ovata nigra, thoracis lateribus lunulaque baseos albis, elytris rubris, posterius fasciis duabus utrinque abbreviatis nigris, flavo-marginatis.

a) fascia elytrorum media e punctis tribus, posterior duobus confluentibus formata.

Payk. Fn. 2. 38. 38. *Schönh. Syn.* 2. 159. 33. *α.*

Var. *b*, fascia posterior in puncta duo divisa. *Schönh. l. c. var. β.*

Var. *c*, fascia media lata, integra; loco posterioris punctum tantum unicum versus suturam. *Schönh. l. c. var. γ.*

Var.

Var. *d*, punctum exterius fasciae mediae liberum, fascia posterior integra. *Schönh. l. c. var.* δ.

Coccinella frigida, *Schneid. Mag.* 2. 172. 29.

Var. *e*, ut var. *d*, sed fascia posterior in puncta duo divisa. *Schönh. l. c. var.* ε.

Var. *f*, puncta omnia separata, fasciae mediae tres, posticae duo. *Schönh. l. c. var.* ζ.

Coccinella arctica, *Thunb. Ins. Sv.* 9. 108.

Var. *g*, punctum exterius fasciae mediae deest; interiora duo connata; posterius puncta duo separata. *Schönh. l. c. var.* η.

Var. *h*, ut var. *g*, sed puncta fasciae mediae etiam separata.

Var. *i*, puncta duo interiora fasciae mediae separata, tantum exstant. *Schönh. l. c. var.* ϑ.

Var. *k*, thorax absque lunula baseos alba, alias ut *a*, *f*, et *h*.

Habitat in Lapponiae fruticibus et plantis passim; var. *c*, *d*, *g*, *h*, *i*, rarius occurrunt. *Mus. Dom. Schönherr.*

Statura et fere magnitudo C. 11-punctatae. Caput parvum, deflexum, nigrum, punctulatum, macula oblonga, juxta singulum oculum margineque summo clypei et labii albidis. Thorax postice rotundatus, antice late et profunde emarginatus, supra modice convexus, punctulatus, plaga disci inaequali nigra

gra, lateribus late, sinuatim, margine antico angusto, saepe in medio ramulum in discum emittente et macula biloba baseos, interdum in puncta duo divisa, albidis; saepe etiam deest lunula baseos alba, et tunc latera et margo anticus angustius alba. Scutellum minutum, triangulare, album. Elytra magna, sub-ovata, convexa, confertim punctulata, rubra, margine flavescente; in medio cujusvis elytri fascia nigra, transversa, inaequalis, utrinque abbreviata, quasi e punctis duobus conflata; sed hae signaturae valde variant, ut in diagnosi aberrationum indicatum; signaturae nigrae in omnibus limbo pallido vel flavescente cinctae. Corpus subtus nigrum, immaculatum, confertim punctulatum. Pedes nigri, spongiis ferrugineis.

18. C. trifasciata: sub-hemisphaerica nigra, thoracis angulis anticis albidis, elytris rubris, fasciis tribus abbreviatis nigris.

Linn. Fabr. Hbst. Payk. Schneid. Schönh. Syn. 2. 170. 52.

Var. *b*, punctum liberum externe a fascia media separatum.

Habitat in Lapponia et Provinciis adjacentibus, rarius; var. *b*, rarissime occurrit. *Mus. Dom. Schönherr.*

Magnitudo et statura C. bipunctatae. Caput parvum, deflexum, obsolete punctulatum, aut nigrum, macula magna angulata alba ad oculos utrinque, margineque summo clypei et labri albidis; aut anterius, cum labro toto album, vertice solum sinuatim nigro; in aliis caput nigrum, maculis duabus margineque clypei albis, labro toto pallido. Antennae ferrugineae, articulo primo toto nigro, clava apice fusca. Thorax basi rotundatus, antice late et profunde emarginatus, supra modice convexus, confertim punctulatus,

tus, angulo antico utrinque late inaequaliter albo; in individuis, quorum caput anterius album, etiam margo anticus thoracis anguste albus. Scutellum parvum triangulare nigrum. Elytra magna, breviter ovata, valde convexa, confertissime punctulata, pallide rubra; mox pone scutellum fascia lata, aequalis, nigra, utrisque elytris communis, externe abbreviata; in medio singuli elytri fascia altera, etiam lata, utrinque abbreviata, suturam non attingens; in var. b, fascia haec divisa, puncto exteriore parvo et macula interiore transversa constans; versus apicem fascia tertia, minor, magis inaequalis, utrinque abbreviata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pectoris lateribus antice et postice pallido-maculatis. Pedes nigri, tarsis ferrugineo-spongiosis.

19. C. bipunctata: sub-hemisphaerica nigra, elytris anguste marginatis, varie coloratis.

a) Thorace nigro, lateribus late, macula cordata baseos, lineolaque apicis albis, his interdum obsoletis; elytris nigris, puncto centrali nigro, simplici.

Linn. Fabr. Oliv. Herbst. De Géer.

Coccinella dispar, Illig. Schneid. Schönh. Syn. 2. 162. 34. *var. τ.*

Var. *b*, eadem, sed praeterea punctum parvum nigrum ad medium marginis lateralis.

Var. *c*, ut *a*, sed punctum parvum inter centrale et suturam adjectum. *Schönh. l. c. sub var. π. Illig. l. c. sub var. π.*

Var. *d*, ut var. *c*, sed punctum parvum interius

terius cum centrali connatum. *Illig. l. c. sub var.* π. *Schönh. l. c. var.* ϱ.

Var. *e*, elytra punctis tribus in medio transversim positis, centrali majore. *Illig. var.* ο. *Schönh. var.* π.

Var. *f*, omnino ut var. *e*, sed puncta interiora connata ut in var. *d.*

Var. *g*, puncto centrali dilatato, cum puncto interiore connato et antrorsum ramulum difformem exserente.

Var. *h*, punctis duobus interioribus dilatatis, in fasciam abbreviatam confluentibus, adjecto exteriore parvo, libero.

Var. *i*, puncta haec tria in fasciam utrinque attenuatam confluentia. *Herbst. var.* 4. *Schönh. var.* ο.

Var. *k*, fascia eadem latior, utrinque abbreviata, in medio ramulum oblique antrorsum emittens. *Schönh. var.* ξ.

Var. *l*, thoracis lateribus anguste albidis, elytris rubris, fascia media fere integra umbraque postica sinuata. *Schönh. var.* ν.

Var. *m*, thorax ut in var. *l;* elytra antice dimidiato-rubricantia, umbra longitudinali, interdum etiam suturali; posterius nigricantia, macula juxta suturam margineque

neque postico indeterminate rubricantibus. *Schönh. var.* κ.

Coccinella annulata, Linn. Fabr. Oliv.

Var. *n*, thorax ut in *l, m;* elytra potius fusca, plaga magna humerali, macula sub medium prope suturam aliaque in apice rufescentibus. *Illig. var.* ϑ; *Schönh. var.* ϑ.

Var. *o*, omnino ut var. *m*, sed signaturae non fuscae sed nigrae, magis determinatae.

Var. *p*, elytris nigris, macula magna humerali, puncto pone medium juxta suturam, tertio minore ei opposito ad marginem et quarto in apice rubris. *Illig. Schönh. var.* η.

Var. *q*, omnino ut var. *p*, sed deest punctum marginale rubrum posterius. *Illig. Schönh. l. c. var.* ζ.

Coccinella 6-*pustulata*, *Linn. Fabr. Rossi.*

Var. *r*, omnino ut var. *q*, sed punctum ultimum parvum, intra apicem situm. *Illig. Schönh. l. c. var.* δ.

Var. *s*, omnino ut var. *q* et *r*, sed loco puncti apicalis, lunula angusta rubra.

Var. *t*, ut var. *q, r, s*, sed deest punctum apicis. *Illig. Schönh. var.* γ.

Var. *u*, ut var. *t*, sed macula humeralis rubra linea longitudinali nigra in duas divisa.

Var.

Var. *v*, tota nigra, elytrorum angulo humerali macula angusta lunata rubra. *Illig. Schönh. l. c. var. α.*

Habitat in plantis et fruticibus frequens; varietates vero plures, praesertim posteriores, raro occurrunt.

Media inter nostrates. Caput parvum, deflexum, punctulatum, nigrum, margine summo clypei et labri albidis; juxta singulum oculum macula oblonga alba, quae tamen in varietatibus ultimis nigris aut parva aut omnino deest. Antennae ferrugineae, etiam basi, apice tantum fuscescentes. Thorax postice sub-rotundatus, antice late et profunde angulariter emarginatus, supra minus convexus, punctulatus, lateribus late albus, medietate longitudinaliter nigra, margine tamen antico anguste albo, in medio plerumque lineam concolorem emittente, et in medio baseos macula didyma alba, jam major, jam minor, jam etiam nulla; talis coloratio thoracis in varietatibus usque ad k, valet; in sequentibus vero thorax niger, margine laterali anguste albo. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra ampla, sub-ovata, lateribus anguste marginata, praesertim postice, supra modice convexa, confertim et evidentius quam thorax punctulata; color illorum dominans ruber est in varietatibus a—l; in var. m, n, color ruber et fuscus mixti, in sequentibus color niger dominat; signaturae valde variant, ut in diagnosibus varietatum fusius indicatum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, ani margine saepius pallido. Pedes nigri, tibiarum apice tarsisque anticis interdum, spongiis semper ferrugineis.

Varietates elytris rubris saepe cum illis quarum elytra maxima parte nigra sunt, copula junctae inveniuntur, quod identitatem speciei confirmat, illas, in quibus color elytrorum niger dominans est, feminas esse plerumque observavi.

20. C.

20. C. variabilis: sub-hemisphaerica, latius marginata, elytris linea elevata transversa sub-apicali, fronte alba, pedibus maxima parte rubris, colore ceterum vario. *Illig. Col. Bor.* 1. 447. 32. *Schönh. Syn.* 2. 164. 36.

a) Supra pallida, thorace punctis 5 vel 7, nigris, saepe fuscis obsoletis, elytris pallide luteis immaculatis, vel puncto fusco in tuberculo humerali notatis. *Illig. Schönh. l. c. var.* α.

Var. *b*, eadem, elytris puncto unico medio marginali. *Illig. Schönh. l. c. var.* β.

Var. *c*, elytris puncto unico medio ad suturam. *Illig. Schönh. var.* γ.

Var. *d*, eadem, elytris rubescentibus, punctis duobus mediis nigris, uno suturali, altero marginali. *Illig. Schönh. var.* δ.

Var. *e*, eadem, elytro singulo punctis tribus, uno humerali, duobus in medio ut in var. *d*, locatis. *Illig. Schönh. var.* ε.

Var. *f*, eadem, elytro singulo punctis tribus in medio transversim positis. *Illig. Schönh. var.* η.

Var. *g*, eadem, elytro singulo punctis quatuor, uno humerali, tribus in medio transversim positis. *Illig. Schönh. var.* ϑ.

Var.

Var. *h*, eadem, adjecto puncto scutellari communi, plerumque didymo. *Illig. Schönh. var. ι.*

Var. *i*, ut var. *g*, adjecto puncto postico, aut marginali, aut suturali. *Illig. Schönh. var. ϰ.*

Var. *k*, eadem, elytro singulo punctis quinque, 1, 3, 1, interiore et scutellari obsoleto. *Illig. Schönh. var. λ.*

Var. *l*, omnino ut var. *k*, sed puncta thoracis dilatata, confluentia, plagam mediam nigram formantia.

Var. *m*, omnino ut var. *k*, sed puncta duo postica, ad utrumque marginem unum, adeoque sex in singulo elytro. *Illig. Schönh. var. μ.*

Var. *n*, omnino ut var. *m*, adjecto puncto scutellari communi, saepe didymo. *Illig. Schönh. var. ν.*

Var. *o*, omnino ut var. *n*, sed puncta elytrorum majora et thoracis dilatata, confluentia.

Var. *p*, eadem ac var. *n*, sed trigae mediae punctum internum valde dilatatum, cum opposito in maculam centralem conjunctum, interdum etiam cum stria elongata suturali connexum.

Var.

Var. *q*, eadem ac var. *n*, sed trigae mediae puncta duo interiora confluentia. *Illig. Schönh. var. ξ.*

Var. *r*, ut var. *n*, sed punctum scutellare et internum trigae mediae elongata, fere confluentia, in singulo elytro.

Var. *s*, punctis thoracis aut distinctis aut confluentibus, elytris rufescentibus, puncto scutellari et interiore trigae mediae dilatatis, confluentibus et inter se et cum oppositis; punctis reliquis ut in var. *n*.

Var. *t*, eadem omnino, sed punctum medium trigae cum suturali confluens.

Var. *u*, puncto scutellari didymo, humerali rotundato, marginali trigae quadrangulo, interioribus cum oppositis in fasciam undulatam connatis; ultimis duobus angulatis.

Var. *v*, omnino ut var. *t*, sed punctum interius posticum majus lunatum, cum medio et interiore trigae utrinque connexum.

Var. *w*, thoracis punctis distinctis, elytris rubris, puncto scutellari elongato, cum duobus interioribus trigae magnis, connatis, confluente, et his iterum sutura communi nigra cum interiore postico in duplicem crucem connatis, extimo trigae tantum libero.

Var. *x*, omnino ut var. *v*, sed praeterea pun-

punctum medium trigae cum humerali conjunctum, duobus marginalibus tantum distinctis.

Var. *y*, thorace flavo, punctis quinque nigris, elytris luteis, punctis rufo-brunneis, omnino ut in var. *x*, conjunctis, sed ultimum marginale cum opposito etiam connatum, adeo ut marginale trigae solum liberum.

Var. *z*, thorax flavus, punctis aut distinctis, aut plus minusve dilatatis et connatis, elytris rufis, guttis in singulo quinque lutescentibus, 2, 2, 1, primis lunatis. *Illig. Schönh. var.* ϱ.

Var. *aa*, eadem ac var. *z*, sed guttulae elytrorum obsoletae. *Illig. Schönh. var.* σ. *forte C. obliterata, Linn.*

Var. *bb*, eadem ac var. *z*, sed guttulae duae anteriores connatae in annulum magnum, tuberculum humerale includentem.

Var. *cc*, ut var. *z*, sed color elytrorum dominans aut rufo- aut fusco-brunneus, guttis aut pallidis aut lutescentibus. *Illig. Schönh. var.* τ.

Var. *dd*, thorax flavus punctis nigris, aut liberis, aut dilatatis, confluentibus, usque dum plagam mediam nigram, lineolis nonnullis flavis insignitam constituunt. Elytra nigra,

nigra, annulo baseos lato, pustulis duabus pone medium et unica apicis flavo-rubris. *Illig. Schönh. var. v.*

Var. *ee*, eadem ac var. *dd*, sed pustula exterior pone medium parva, triangularis, intra marginem sita.

Var. *ff*, thorax flavus, postice punctis quinque nigris, aut distinctis, aut dilatatis, quadratis, lateralibus confluentibus, plagam flavam includentibus; elytra nigra, pustulis quinque flavo-rubris in singulo, 2, 2, 1, primis duabus lunatis, ultima apicis. *Illig. Schönh. var. φ.*

Var. *gg*, thorax lateribus late flavo-albidus, medio niger, aut immaculatus, aut lineolis nonnullis flavis in medio posterius notatus; elytris ut in var. *ff. Illig. Schönh. var. χ.*

Var. *hh*, thorax niger, lateribus margineque antico albidis; elytra ut in *ff* et *gg*, sed pustula ultima interior, ab apice remota. *Illig. Schönh. var. ω.*

Var. *ii*, omnino ut var. *hh*, sed frons tantum puncto flavo ad singulum oculum notata, non transversim alba, ut in omnibus reliquis.

Habitat in fruticibus et plantis ubique frequens; varietates vero plures raro occur-

currunt, praesertim *f, p, s, t, u, v, w, x, y, ee, hh, ii.*

Statura et magnitudo fere C. bipunctatae, a cujus varietatibus ultimis praecipue distinguuntur hujus aberrationes obscuriores, elytris latius marginatis, linea elevata transversa intra apicem instructis, pedibus pallidis etc. Caput parvum, deflexum, punctulatum, plerumque pallidum, saepe tamen margine ipso verticali nigro, et punctis duobus fuscis supra os; in ultima varietate, ii, caput nigrum, macula pallida juxta singulum oculum. Antennae pallidae, apice fuscescentes. Thorax postice rotundatus, anticc late et profunde angulariter emarginatus, supra parum convexus, subtilissime punctulatus, plerumque pallidus, interdum lutescens vel etiam rubro-tinctus; ante basin puncta quinque nigra, interdum fusca, quorum quatuor arcum formant, quintum centrale ante scutellum; haec puncta vero, praecipue in varietatibus posterioribus dilatantur et confluunt, donec tandem plaga media nigra exstat, relictis lineis vel punctis nonnullis flavis ante medium baseos, quae etiam in aliis prorsus evanescunt. Scutellum parvum triangulare nigrum. Elytra magna, sub-ovata, modice convexa, confertim punctulata, paulo ante apicem linea transversa, elevata, arcuata insignita, saepius satis evidens, in aliis vero obsoleta; color et signaturae elytrorum immense variant, ut in diagnosibus varietatum fusius indicare tentavi. Corpus subtus nigrum, punctulatum, limbo ventris rufescente et macula lateralis pallida in antico pectoris utrinque. Pedes rufi, femoribus interdum nonnihil infuscatis.

21. C. humeralis: sub-hemisphaerica, latius marginata, elytris linea transversali elevata sub-apicali, macula unica humerali pallidiore lunata.

Schönh.

Schönh. Syn. 2. 163. 35.

a) nigra, thoracis lateribus, saepe etiam margine antico albis, elytris macula subhumerali lunata, aut pallida, aut rufescente. *Schönh. l. c. α. et var. β, γ.*

Coccinella variabilis, Illig. Col. Bor. 1. 447. 32. *var. αα, ββ, γγ.*

Var. *b*, eadem, sed elytra aut brunnea aut rufescentia. *Schönh. l. c. var. δ. Illig. l. c. var. δδ.*

Var. *c*, elytris pallide rufescentibus aut lutescentibus, macula humerali pallidiore, magis obsoleta. *Schönh. l. c. var. ε. Illig. l. c. var. εε.*

Habitat in fruticibus et plantis, minus frequens.

Statura, magnitudo et formatio partium omnino ut in praecedenti, cujus varietatem credidit Dom. Illiger; sed dum in hac macula tantum unica pallidior juxta humerum cujusvis elytri exstat, nec variationes intermediae, hujus picturae transitum monstrantes, mihi cognitae, ut peculiarem speciem consideravi, donec certiora detegi possint. Linea elevata versus apicem elytrorum simili modo ac in priori, evidentior in illis, quarum elytra nigra, in pallidioribus vero obsoleta, fere nulla. Ceterum frons aut maxima parte albida, vertice nigro, aut nigra, guttula albida juxta singulum oculum. Thorax niger, rarius brunneus, lateribus albidis, anterius latius. Macula humeralis elytrorum aut parva, brevis, inaequalis, aut in lunulam, cavitate basin elytrorum spectantem, versus scutellum producta; interdum macula ista angulum

et tuberculum humeralem cingit; in aliis intra humerum locata; reliqua ut in diagnosibus varietatum indicavi.

22. C. Bothnica: sub-hemisphaerica nigricans, thorace flavo, medio nigro, maculis duabus baseos flavis, elytris anguste marginatis, varie coloratis.

a) elytris nigris, basi anguste, interdum interrupte flavis, maculisque in singulo quinque ejusdem coloris, 2, 2, 1.

Payk. Fn. 2. 34. 34. *Schönh. Syn.* 2. 168. 37.

Var. *b*, signaturae flavae elytrorum dilatatae et confluentes, ut elytra potius flava dicenda, sutura tota inaequaliter nigra, in medio cruciatim cum litura centrali juncta; macula nigra humerali punctisque duobus intra-marginalibus.

Var. *c*, elytris flavis, sutura tota inaequaliter, in medio cruciatim nigra, macula humerali punctisque quatuor liberis, duo in medio, duo pone medium.

Var. *d*, ut var. *c*, sed sutura anguste tantum nigra, absque cruce; ceterum puncta quinque nigra, ut in var. *c*, locata.

Habitat in frondibus Abietis in Provinciis Borealibus, Bothnia, Dalekarlia.

Statura C. variabilis, sed plerumque paulo minor. Caput parvum, deflexum, nigrum, punctulatum, macula majore in medio frontis, margineque summo

mo clypei et labri flavis; oculi depressi brunnei; antennae totae pallidae. Thorax postice sub-rotundatus, antice late et profunde emarginatus, supra modice convexus, punctulatus, lateribus late et anterius anguste sinuatim flavus, plaga media nigra, maculis duabus oblongis, paribus, divergentibus, flavis, interdum basi confluentibus. Scutellum minutum triangulere nigrum. Elytra magna, ovata, anguste marginata, convexa, confertim evidentius punctata, in a nigra, margine humerali, saepe ad medium, margineque baseos, interdum interrupte flavis; ante medium maculae duae, exterior parva, oblonga, intra-marginalis, interior magna, inaequalis; pone medium iterum duae magnae, irregulares, angulatae, exteriore marginali; quinta seu ultima apicem totum occupat, etiam magna, difformis, saepe cum interiore proxima confluens, omnes flavae. In varietatibus color flavus dominans evadit, ut in illarum diagnosibus indicatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, crebre punctatum, ventris limbo postico, segmentorumque marginibus interdum testaceis. Pedes testacei, femoribus anterioribus in a et b, nigro-piceis, in c et d, plerumque totis testaceis.

23. C. impustulata: sub-hemisphaerica, varie colorata, elytris latius marginatis.

Illig. Col. Bor. 1. 459. 34. *Schönh. Syn.* 2. 188. 104.

a) supra rosea vel flavescens, thorace punctis octo nigris, elytris sutura punctisque obliquis, antice duobus internis, duobus externis, tum unum ad suturam et demum tribus posterius, nigris, apice immaculato. *Illig. Schönh. l. c. var. α.*

Coccinella 16-*maculata*, *Fabr. Thunb. C. Rosea*, *De Géer.*

 Var.

Var. *b*, eadem, at thoracis elytrorumque punctis hinc inde confluentibus, centrali elytrorum cum sutura conjuncto, crucem formante. *Illig. Schönh. var. β.*

Var. *c*, thoracis puncta dilatata et confluentia, ut discus posticus niger evadat, margine antico lineolam, saepe apice bifidam in discum emittente, lateribusque late inaequaliter roseo-flavis, puncto laterali, aut libero, aut cum nigredine disci connato, nigro; elytrorum punctis plerisque connatis. *Illig. Schönh. l. c. var. γ.*

Coccinella conglobata, *Fabr. Payk.*

Var. *d*, tota nigra, capite aut toto aut anterius saltem flavo, rufescente; thorace aut margine antico, lineam mediam in discum emittente lateribusque late inaequaliter rufo-flavis, aut tantum lateribus, aut modo angulo antico ejusdem coloris. *Illig. Schönh. l. c. var. ultimae.*

Habitat in Svecia Australi rarius.

Magnitudo et statura C. variabilis. Caput parvum, deflexum, punctulatum, pallidum, vertice linea transversa, saepe bi-cuspide, nigra; antennae pallidae, apice fuscae. Thorax antice late et profunde emarginatus, postice sub-rotundatus, supra modice convexus, punctulatus, aut pallide flavus, aut roseo-tinctus, punctis pluribus nigris notatus, quorum quatuor in serie media transversa locata, intermediis majoribus, et tria prope basin, quorum medium saepe obsoletum; in varietatibus obscurioribus puncta ista dilatata et vario modo con-

confluentia, usque dum tota medietas nigra evadit. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra magna, ovata, latius reflexo-marginata, supra modice convexa, crebre evidenter punctata, in a, b, c, flavescentia, saepe roseo-tincta, sutura nigra, et in singulo praeterea puncta octo nigra, duo pone basin, interius, duo ante medium, exterius, quintum solitarium versus suturam et demum tria ante apicem, in serie oblique transversa, et omnia oblongiuscula, oblique posita; in varietatibus puncta ista dilatata et vario modo confluentia, usque dum in var. d, elytra tota nigra, immaculata. Corpus subtus nigrum, nitidum, punctulatum, pectore macula laterali triangulari pallida utrinque. Pedes in a et b, fere toti testacei, in reliquis femora, praesertim posteriora, aut tota, aut externe nigra, et tibiae etiam basi nigricantes.

24. C. conglobata: hemisphaerica, albido-lutescens, elytrorum sutura punctisque septem nigris, plerisque quadrangulis et saepe confluentibus.

Illig. Col. Bor. 1. 462. 35. *Schönh. Syn.* 2. 186. 103.

a) thorace punctis sex, elytro singulo maculis septem quadrangulis nigris, 3, 3, in arcum positis, 1, apicis, omnibus distinctis, suturaque anguste nigra. *Illig. Schönh. l. c. var. α.*

Var. *b*, punctis thoracis dilatatis, in plagam sinuatam nigram, medio maculam pallidam includentem, confluentibus; elytrorum punctis duobus interioribus posticis et api-

apicali, cum sutura latius nigra connexis, cruces formantibus.

Var. *c*, thorace pallido, plaga magna postica nigra, antice quadriloba, elytrorum punctis duobus exterioribus cujusvis trigae liberis, internis et apicali sutura connexis.

Var. *d*, omnino ut in var. *c*, sed punctum medium trigae posterioris etiam cum sutura connatum, ut in var. *b*.

Var. *e*, thorace ut in var. *c*, elytrorum punctis plerisque et inter se et cum sutura connatis, exterioribus trigarum liberis. *Illig. Schönh. l. c. var. β.*

Var. *f*, thorace ut in *c*, *d*, elytrorum punctis dilatatis, omnibus contiguis et cum sutura connexis. *Illig. Schönh. var. γ.*

Var. *g*, thorace ut in *c*, *d*, *e*, elytris nigris, pustulis sex albidis, 2 baseos, 2 versus medium, externe, 1 interius versus suturam, ultimo transverso, lunato, prope apicem, exterioribus margini pallido connatis. *Illig. Schönh. l. c. var. δ.*

Var. *h*, ut var. *g*, sed loco maculae lunatae apicis, guttula parva, libera, intra-marginalis.

Habitat in fruticibus et plantis, varietates *d*, *e*, *f*, *g*, frequenter, reliquae rarius occurrunt.

Sta-

Statura et magnitudo C. variabilis. Caput parvum, deflexum, vix punctulatum, totum albido-flavescens, interdum macula parva triangulari nigra in apice clypei supra os et alia in labro; oculi brunnei. Antennae totae pallidae. Thorax antice late et profunde emarginatus, postice sub-rotundatus, supra modice convexus, vix punctulatus, flavo-albidus, vario modo nigro-signatus, ut in diagnosibus varietatum indicatum. Scutellum parvum triangulare nigrum. Elytra magna, ovata, late marginata, supra convexa, confertim punctulata, albido-flavescentia, sutura in a, anguste, in reliquis latius nigra, et praeterea in singulo maculae septem nigrae, pleraeque oblongo-quadrangulae, tres ante et tres pone medium, in arcum dispositae et ultima in apice, oblique transversa; puncta seu maculae interiores trigarum et apicis, ut et macula media trigae posterioris saepissime cum nigredine suturae cruciatim confluunt; in aliis maculae omnes dilatatae et confluentes, usque dum color niger dominans evadit, guttulas pallidas includens, ut in diagnosibus varietatum fusius indicatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, punctatum, pectoris ventrisque lateribus flavo-maculatis. Pedes testacei, femoribus anticis plerumque linea, reliquis dimidiato-nigris, basi pallidis.

25. C. 12-punctata: hemisphaerica lutea, thorace nigro-punctato, elytris sutura, punctis pluribus lineaque laterali flexuosa nigris.

Fabr. Oliv. Payk. Hbst. Illig. Schönh. Syn. 2. 180. 76.

a) thorace punctis sex nigris distinctis, elytro singulo punctis quinque rotundatis liberis, lineaque laterali flexuosa, e punctis

ctis tribus conflata, nigris. *Illig. Schönh. l. c. var. α.*

Var. *b*, thoracis punctis duobus interioribus utrinque in lituram obliquam connatis, elytrorum punctis ut in *a*. *Illig. Schönh. l. c. var. β.*

Var. *c*, thoracis punctis utrinque confluentibus. *Illig. Schönh. l. c. var. γ.*

Var. *d*, thoracis punctis ut in *a*; elytrorum linea laterali aut antice, aut postice abrupta, unde puncta sex libera in singulo elytro. *Illig. Schönh. l. c. var. ε.*

Habitat in graminosis, praesertim locis humidis, minus frequens.

Parva, praecedentibus triplo minor, sulphureo-flava. Caput parvum, deflexum, punctulatum, aut totum flavum, aut in medio longitudinaliter nigrum vel piceum; oculi oblongi brunnei, sat prominuli. Antennae testaceae, apice fuscae. Thorax brevis, antice late sed minus profunde emarginatus, postice subrotundatus, supra modice convexus, punctulatus, sulphureo-flavus, punctis sex nigris notatus, quorum quatuor in linea media transversali locata et duo in ipsa basi, angulata, quae in var. b, cum mediis in lituram obliquam utrinque conjunguntur; in var. c, etiam punctum laterale utrinque cum his confluit. Scutellum minutissimum nigrum. Elytra magna, ovata, anguste marginata, convexa, evidentius punctata, sulphureo-flava, sutura nigra, posterius angustiore; in singulo praeterea punctum majus, rotundatum, intra humerum; quatuor in serie longitudinali juxta suturam, primo majore, oblongo, ultimo parvo; intra marginem litura flexuosa, oblique cruciformis, quasi e pun-

e punctis tribus, lineis nigris connexis, conflata, quorum in var. d, aut primum aut ultimum separatum, liberum. Corpus subtus nigrum, nitidum, parce punctulatum, pectoris ventrisque limbo pallido. Pedes pallidi, femoribus, praesertim posterioribus plerumque nigris, saltem in medio.

26. C. 22-punctata: *hemisphaerica sulphurea, thorace punctis quinque, elytris undecim nigris, 3, 4, extimo parvo, marginali 1, 2, 1.*

Linn. De Géer. Herbst. Payk. Illig. Schönh. Syn. 2. 185. 96.

Habitat in plantis et gramine passim.

Magnitudo C. globosae. Caput parvum, deflexum, punctulatum, aut totum sulphureum, aut clypei apice labroque infuscatis, aut fronte punctis duobus vel quatuor minutis nigris notata, rarius vertice bi-punctato; oculi parvi, brunnei, depressi. Antennae totae testaceae. Thorax antice late, sed parum profunde emarginatus, postice sub-rotundatus, supra modice convexus, late reflexo-marginatus, punctulatus, sulphureus, punctis quinque majusculis nigris notatus, centrali sub-conico ante scutellum, et quatuor arcum semi-circularem formantibus, mediis rotundis, lateralibus majoribus oblongis. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, breviter ovata, late reflexo-marginata, valde convexa, evidenter crebre punctata, sulphurea, nitida; in singulo puncta undecim nigra, rotundata, 3, 4, 1, 2, 1, quorum extimum quadrigae marginale, supra parvum, subtus magis conspicuum. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum, pectoris ventrisque marginibus flavo-maculatis. Pedes testacei, femoribus, praesertim posterioribus, in medio plus minusve nigris.

27. C.

27. C. Reppensis. hemisphaerica, nigra, immarginata, thoracis lateribus punctoque versus apicem elytrorum rufis.

Herbst. Payk. Schönh. Syn. 2. 194. 125.

Var. *b*, capite toto, thoracis lateribus margineque antico elytrorumque puncto subapicali rufo-flavescentibus; forte mas. *Payk. Schönh. l. c. var. β.*

Chrysomela bi-pustulata, Thunb. Act. Ups. 4. 13. 21.

Var. *c*, puncto sub-apicali elytrorum obsoleto. *Schönh. l. c. var. γ.*

Habitat in graminosis tempore vernali, minus frequens.

Inter minores, C. 14-pustulata minor. Caput parvum, deflexum, punctulatum, in a totum nigrum, in var. b, totum rufo-flavescens; oculi brunnei. Thorax antice late et profunde emarginatus, postice subrotundatus, lateribus vix marginatus, supra convexus, confertim punctulatus, niger, lateribus in a, minus late rufis, in b, latius, margineque antico anguste dilutius rufo-flavis. Scutellum majusculum, triangulare, nigrum. Elytra magna, breviter ovata, lateribus vix marginata, supra valde convexa, confertim evidentius punctata, nigra, nitida, puncto paulo ante apicem in a rubro, in b, dilutiore, saepe etiam majore, et in ipso angulo humerali interdum litura pallida; in var. c, punctum sub-apicale aut deest, aut valde obsoletum. Corpus subtus nigrum, punctatum, ventre saepe dilutius piceo. Pedes validi, in a, maxima parte nigri, tibiis anticis tarsisque omnibus testaceis, in b, testacei, femoribus, praesertim posterioribus infuscatis.

28. C.

28. C. lateralis: hemisphaerica, nigra, immarginata, thoracis lateribus elytrorumque puncto pone medium rufis.

Fabr. Illig. Panz. Schönh. Syn. 2. 198. 136.
Coccinella frontalis, Payk. Fn. 2. 28. 29. *var. β.*

Var. *b*, capite toto thoracisque margine antico anguste etiam rufis. *Illig. Schönh. l. c. var. β. Payk. α.*

Habitat in Svecia Australi rarissime. *Dom. de Paykull.*

Praecedenti plerumque paulo minor et pustula rubra paulo pone medium cujusvis elytri locata; ceterum omni puncto conveniens in utraque varietate, quare ulterior descriptio superflua.

Stirps 2da: Sub-hemisphaericae.

Manip. 2us Pubescentes.

a) Majores.

29. C. impunctata: hemisphaerica, aptera, capite ventreque nigris, thorace elytrisque livide rubris, his posterius gibbosis.

a) thorace macula media fusca longitudinali, elytris immaculatis. *Linn. Fabr. Panz. Schönh. Syn.* 2. 153. 12.

Coccinella aptera, Payk. Fn. 2. 11. 11.

Var. *b*, ut *a*, sed praeterea in thorace punctum

ctum laterale fuscum utrinque, et in elytris unum alterumve ejusdem coloris.

Habitat in plantis et gramine, praesertim juxta littora maris, minus frequens.

Magnitudo, statura et summa affinitas sequentis, sed color obscurior, elytra posterius magis convexa, caput et maxima pars pedum nigra, alae nullae etc. Caput parvum, deflexum, nigrum, crebre punctulatum, pube grisea adspersum, palpis antennisque testaceis; oculi nigro-brunnei. Thorax brevissimus, antice late, sed minus profunde, nec angulariter emarginatus, lateribus sub-rectis, anguste reflexo-marginatis; postice obtuse rotundatus, supra convexus, confertissime punctulatus, pube cinerea adspersus, aut livide aut brunneo-rubescens, macula centrali nigro-fusca, plerumque posterius elongato-attenuata; in var. b, praeterea punctum fuscum utrinque versus basin. Scutellum mediocre, triangulare, brunneum. Elytra magna, sub-globosa, fere gibba, praesertim posterius, lateribus angustissime marginata, apice acuminata, supra confertissime evidentius punctata, livide rufescentia, parce pubescentia, aut immaculata, aut punctis paucis fuscis notata, quorum unum commune pone scutellum, alterum in medio cujusvis elytri prope basin, rarius tertium in medio, versus suturam; alia vice etiam quartum, tertio oppositum, versus marginem exteriorem, omnia plerumque obsoleta. Corpus subtus nigrum, punctatum, pectoris lateribus testaceis ventrisque segmentis 2 vel 3 penultimis in medio anguste testaceo marginatis. Pedes crassiusculi, compressi, nigri, tarsis omnibus, tibiis apiceque femorum primi paris rufo-testaceis.

30. C. globosa: hemisphaerica, alata, capite pedibusque aut totis aut maxima parte rufo-ferrugineis, elytris plerumque rufo-fer-

ferrugineis, aut immaculatis, aut nigro-punctatis, aut fere nigris, rufo-variis.

Illig. Schneid. Schönh. Syn. 2. 153. 13.

a) rufo-ferruginea tota. *Illig. Schönh. l. c. var. α.*

Var. *b*, rufo-ferruginea, thorace aut puncto unico centrali, aut tribus, aut quinque nigris; corpore subtus nigricante vel piceo. *Illig. Schönh. l. c. var. β.*

Coccinella impunctata, Payk. Fn. 2. 11. 12. *α.*

Var. *c*, eadem, elytris puncto humerali nigro. *Illig. Schönh. var. γ.*

Var. *d*, eadem, elytris praeterea puncto nigro versus scutellum. *Illig. Schönh. var. δ.*

Var. *e*, elytra ut in var. *d*; thorax niger, antice et lateribus inaequaliter ferrugineus.

Var. *f*, rufo-ferruginea, thorace immaculato, elytro singulo puncto baseos, duobus in medio transversim connatis et unico posterius.

Var. *g*, thorace rufo-ferrugineo, aut macula centrali solum, aut punctis tribus distinctis, aut his dilatatis, confluentibus notato; elytris punctis sparsis obsoletis fuscis, uno alterove baseos saturatius nigro. *Illig. Schönh. l. c. var. ε.*

Var. *h*, eadem, sed elytrorum puncta plura ante-

anteriora nigra, distincta; posteriora tantum fusca, obsoleta.

Var. *i*, thorax ut in var. *g*, *h*; elytro singulo punctis 9 aut 10, minoribus, distinctis, nigris, apicalibus nullis. *Illig. Schönh. l. c. var. ζ.*

Var. *k*, thorace ut in prioribus, elytro singulo punctis 12, distinctis nigris, 3, 3, 1, 3, 2, et saepe praeterea scutellari parvo, obsoleto. *Illig. Schönh. l. c. var. η.*

Var. *l*, eadem, puncto interno trigae primae magno, dilatato, cum opposito connato, maculis thoracis confluentibus.

Var. *m*, thorace nigro, antice et lateribus anguste ferrugineo, elytrorum punctis decem, 3, 3, 1, 3, externis trigae primae cum medio trigae ultimae, linea recta, obliqua nigra conjunctis, cum exterioribus trigae mediae formam crucis exhibentes.

Var. *n*, eadem ac var. *i*, *k*, sed punctis elytrorum vario modo confluentibus. *Illig. Schönh. loc. cit. var. ϑ.*

Var. *o*, eadem ac var. *n*, sed puncta elytrorum in fascias irregulares confluentia. *Illig. Schönh. l. c. var. ι.*

Var. *p*, elytrorum punctis ita dilatatis et contiguis, ut color ferrugineus in maculis sparsis

sis tantum supersit; vertex capitis et maxima pars thoracis in his etiam nigra. *Illig. Schönh. l. var. κ.*

Var. *q*, elytris nigris, macula media communi ferruginea, apiceque rufo, fascia abbreviata nigra, thorace ferrugineo medio nigro. *Illig. Schönh. l. c. var. λ.*

Var. *r*, supra nigra, capite antice, thoracis lateribus anguste elytrorumque apice, fascia nigra interrupto, rufis. *Illig. Schönh. l. c. var. μ.*

Habitat in fruticibus, plantis, gramine, frequens; varietates vero *e*, *f*, *m*, *q*, *r*, raro occurrunt.

Minor, hemisphaerica, tenue pubescens. Caput parvum, deflexum, rufum, crebre punctulatum, oculis nigris; in vertice saepe macula nigra, quae in varietatibus obscuris major, dilatata. Thorax brevissimus, antice late sed parum profunde emarginatus, lateribus anguste reflexo-marginatus, supra modice convexus, crebre punctulatus, pubescens, rufo-ferrugineus, aut immaculatus, aut macula unica media nigra notatus, aut puncto uno vel duobus utrinque praeditus, aut insuper lituris his dilatatis, confluentibus, in plagam magnam nigram, usque dum modo margo lateralis pallidior remanet. Scutellum mediocre, triangulare, nigrum. Elytra magna, hemisphaerica, in medio dorsi fere gibbosa, posterius magis declivia quam in priori, lateribus anguste marginata, apice minus acuminata, supra rufo-ferruginea, confertissime punctulata, tenue pubescentia, aut impunctata, aut punctis numero, magnitudine et connectione valde variantibus ornata, ut in diagnosibus varietatum fusius indi-

indicavi. Corpus subtus aut ferrugineum, aut brunneo-varium, aut nigrum, punctulatum. Pedes plerumque toti rufi, sed in varietatibus obscuris femora basi plus minusve nigra.

b) Parvae (Scymni Auctorum).

(Obs. Scymnos cum Coccinellis, praecedente Cl. Dom. Illiger, conjunxi, quando characteres essentiales, quibus separari possunt, detegere non valuerim.)

31. C. abietis: sub-ovata, rufo-testacea, longius pubescens, oculis nigris, pectore brunneo.

Payk. Fn. 2. 10. 10. *Schönh. Syn.* 2. 203. 172.

Habitat in frondibus Abietis, non infrequens.

Magnitudo et statura C. nigrinae. Caput parvum, deflexum, rufo-testaceum, punctulatum, oculis oblongis nigro-brunneis. Antennae breves, pallidae. Thorax brevis, antice late, sed minus profunde emarginatus, postice in medio rotundatus, lateribus anguste marginatus, supra convexus, rufo-testaceus, confertim punctulatus, parcius pubescens. Scutellum parvum, triangulare, concolor. Elytra magna, ovata, lateribus reflexo-marginata, apice rotundata, supra modice convexa, rufo-testacea, evidentius crebre punctata, longius et densius cinereo-pubescentia. Corpus subtus plerumque saturatius testaceum, praesertim pectus, undique confertim punctatum. Pedes pallidius testacei, femoribus parum incrassatis.

32. C. discoidea: sub-ovata nigra, elytris aut plaga longitudinali rufa, aut rufis, basi margineque nigris; pedibus aut rufis, aut nigris, tarsis et interdum tibiis rufis.

a) Ely-

a) Elytris nigris, plaga longitudinali rufa, pedibus totis testaceis.

Fabr. S. El. 1. 377. 118. *Schönh. Syn.* 2. 203. 173.

Var. *b*, elytris rufis, basi, sutura margineque anterius nigris, pedibus totis testaceis.

Var. *c*, elytris ut in var. *b*, thoracis angulis anticis rufis, pedibus testaceis, femoribus nigris.

Var. *d*, elytra ut in var. *b*; femora nigra, tibiae fusco-piceae, tarsi testacei.

Illig. Col. Bor. 1. 418. 9. *Payk. Fn.* 2. 7. 4. *Scymnus pilosus*, *Herbst. Col.* 7. 343. 6. *Tab.* 116. *f.* 6. *F.*

Var. *e*, elytris rufo-testaceis, sutura antice tantum nigra, pedibus testaceis.

Scymnus rufipes, *Dom. Megerle a Mühlfeld*, *in litt.*

Var. *f*, eadem, sed pedibus nigro-piceis.

Byrrhus Pini, *Marsh. Ent. Br.* 1. 102. 3.

Var. *g*, capite thoraceque brunneo-nigris, elytris totis, ventre pedibusque pallide testaceis.

Habitat in Pini silvestris frondibus sat frequens.

Parva, praecedente triplo minor et ultra. Caput parvum, deflexum, nigrum, nitidum, parce pilosum, subtilissime punctulatum, ore palpisque testaceis; anten-

tennae testaceae, apice fuscae. Thorax longior quam in priori, antice late et profunde emarginatus, postice elytrorum latitudine et illis adaequatus, in medio nonnihil rotundatus, supra valde convexus, punctulatus, plerumque totus niger, interdum angulis anticis testaceis. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, ovata, lateribus anguste marginata, apice rotundata, supra modice convexa, confertim evidentius punctata, pubescentia; in a, limbo omni late nigro, disco plaga longitudinali, inaequali rubra; in varietatibus aliter colorata; ut in illarum diagnosibus indicatum. Corpus subtus totum nigrum, sub-nitidum, punctulatum, parce pubescens. Pedes validiusculi, aut toti testacei, aut femoribus nigris, aut etiam tibiis insuper nigro fuscis.

53. C. nigrina: sub-hemisphaerica nigra, pubescens, postice obtusa, antennis tarsisque rufo-piceis.

Illig. Col. Bor. 1. 413. 1. *Schönh. Syn.* 2. 207. 190.

Scymnus nigrinus, *Herbst. Panz. Kugell.*

Coccinella morio, *Payk. Fn.* 2. 8. 6.

Habitat in frondibus Pini silvestris, sat frequens.

Inter majores hujus sub-divisionis. Caput parvum, deflexum, nigrum, fronte plana, punctulata, ore antennisque rufo-piceis. Thorax antice paulo angustior, late, sed minus profunde emarginatus, lateribus anguste marginatus, postice in medio rotundatus, elytris adaequatus, et illarum basi parum angustior, supra convexus, totus niger, subtilissime punctulatus, pube depressa cinerea adspersus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, breviter ovata, anguste marginata, postice obtuse rotundata, supra

supra valde convexa, tuberculo humerali elevato praedita, creberrime evidentius punctata, tota nigra, pube grisea decumbente adspersa. Corpus subtus totum nigrum, parum nitidum, crebre punctulatum, pubescens. Pedes validi nigri, tarsis solis rufo-piceis, griseo-spongiosis.

34. C. atra: ovalis, tota atra, nitida, pubescens, antennis tarsisque piceis.

Illig. Col. Bor. 1. 413. 2. *Schönh. Syn.* 2. 207. 188. *Exclus. Synon. Payk.*

Scymnus ater, *Kugell. Schneid. Mag.* 548. 6.

Habitat in Kinnakulle Westrogothiae, rarissime; *Dom. Schönherr.*

Praecedenti plus triplo minor, sequenti aequalis, sed magis oblonga, minus convexa. Caput parvum, deflexum, rotundatum, nigrum, punctulatum, pubescens, ore piceo. Antennae piceae. Thorax brevis, antice paulo angustior, vix emarginatus, angulis tantum nonnihil prominulis, lateribus reflexo-marginatus, basi in medio rotundato-productus, elytris arcte applicatus, supra convexus, totus niger, nitidus, obsolete punctulatus, pube brevi cinerea adspersus. Scutellum parvum, concolor. Elytra magna, ovalia, ante medium ampliata, dein angustata, apice sub-acuminata, supra anterius convexiora, tuberculo humerali oblongo, elevato; posterius declivia, tota nigra, subnitida, crebre evidenter punctata, pube brevi, cinerea adspersa. Corpus totum subtus nigrum, magis nitidum, parcius punctulatum. Pedes validi nigri, tarsis piceis.

35. C. minima: sub-hemisphaerica nigra, pubescens, antennis, palpis, tibiis tarsisque rufo-testaceis.

 Payk.

Payk. Fn. 2. 8. 5.

Scymnus ater, *Dej. Cat. p.* 132.

Habitat in Uplandiae graminosis rarissime. *Dom. de Paykull.*

Minuta, C. discoidea longe minor. Caput parvum, deflexum, nigrum, punctulatum, palpis antennisque totis pallide testaceis. Thorax brevis, antice paulo angustior, parum emarginatus, angulis tantum nonnihil prominulis, lateribus anguste marginatus, basi in medio rotundato-ampliatus, elytris arcte applicatus, supra convexus, niger, pubescens, subtiliter punctulatus. Scutellum minutissimum, nigrum. Elytra magna, breviter ovata, lateribus anguste marginata, apice obtuse rotundata, supra valde convexa, tuberculo humerali elevato, tota nigra, nitida, evidentius punctata, cinereo pubescentia. Corpus subtus totum nigrum, confertim punctulatum. Pedes validi, femoribus nigris, anterioribus tamen apice cum tibiis tarsisque totis pallide rufo-testaceis.

Obs. Scymnus ater, Dej. Cat. ab ipso Comite benevole communicatus, certe idem ac Coccinella minima Payk.

36. C. femoralis: sub-hemisphaerica nigra, pubescens, antennis piceis, tibiis tarsisque ferrugineis, pectore fortius punctato.

Scymnus femoralis, *Dom. Kirby in litteris.*

Habitat in frondibus Pini silvestris, tempore vernali, raro.

Simillima C. nigrinae, sed plus duplo minor, proxime praecedentibus tamen multo major et distincta, valde convexa. Caput breve, latum, nigrum, nitidum, fronte subtilissime punctulata, parum pubescente; os et antennae rufo-piceae. Thorax brevissimus,

simus, antice multo angustior, parum emarginatus, lateribus obliquis, anguste marginatis, basi bi-sinuatus, lobo medio rotundato; elytris arcte applicatus, supra modice convexus, subtilissime punctulatus, tenue pubescens. Scutellum mediocre, triangulare nigrum. Elytra magna, breviter ovata, apice obtuse rotundata, supra valde convexa, adhuc magis quam in C. nigrina, tuberculo humerali vix observando; tota nigra, confertissime evidenter punctata, pube brevi cinerea adspersa. Pectus nigrum, confertissime et profunde punctatum; venter subtilius punctulatus, interdum apice piceus. Pedes validi, femoribus nigris, tibiis tarsisque totis rufo-ferrugineis.

37. C. flavipes: sub-hemisphaerica nigra, nitida, pubescens, elytris subtilius punctatis, ore, antennis pedibusque totis luteo-rufis.

Illig. Col. Bor. 1. 413. 3. *Schönh. Syn.* 2. 207. 187.

Habitat in frutetis Westrogothiae rarius. *Dom. Schönherr* et *Auctor.*

C. nigrinae simillima sed dimidio minor, os, antennae et pedes aliter colorati, elytra subtilius punctata; a C. femorali differt, ore, femorumque maxima parte pallidis, elytris pectoreque subtilius punctatis. Forma partium fere ut in prioribus; caput aut nigrum, labro, ore antennisque pallidis, aut clypeo etiam inferne pallido. Elytra ut in C. nigrina, sed minus forte punctata. Pectus subtiliter punctulatum; venter plerumque piceus, praesertim apice. Pedes pallide testacei, femorum basi intima interdum fusca.

38. C. frontalis: sub-hemisphaerica nigra, pubescens, elytro singulo macula intramarginali rubra sub-humerali.

a) ca-

a) capite toto thoracisque angulis anticis flavo-rufis.

Fabr. Herbst. Illig. Col. Bor. 1. 417. 8. *a. Schönh. Syn.* 2. 204. 175.

Var. *b*, fronte thoraceque nigris immaculatis, labro flavescente. *Illig. l. c. var. δ.*

Coccinella flavilabris, Payk. Fn. 2. 6. 2. *Schönh. Syn.* 2. 204. 176.

Habitat in gramine, locis aridis, et in frutetis passim.

Magnitudo et statura fere C. nigrinae. Caput parvum, deflexum, punctulatum, pubescens, in a, totum flavo-rufescens, oculis solis brunneis; in var. b, forte femina, caput nigrum, ore toto cum labro pallidis. Antennae totae pallidae. Thorax brevis, antice paulo angustior, late, sed parum profunde emarginatus, lateribus anguste marginatus, basi in medio nonnihil rotundato-productus, elytris arcte applicatus, supra modice convexus, confertim punctulatus, pube cinerea decumbente adspersus; in var. b, totus niger, in a, anguli antici oblique flavo-rufescentes. Scutellum parvum triangulare nigrum. Elytra magna, breviter ovata, lateribus reflexo-marginata, postice obtusa, supra valde convexa, praesertim anterius; tuberculo humerali elevato praedita, confertim evidentius punctata, pubescentia, nigra; paulo pone tuberculum humerale macula saturate rubra, aut minor, sub-rotunda, aut major, ovata, obliqua. Corpus subtus confertim punctatum, totum nigrum, pubescens. Pedes validi, in a, rufo-testacei, femoribus posticis, interdum etiam mediis nigro-variis; in var. b, femora maxima parte nigra, apice antice latius testacea, uti tibiae et tarsi.

Obs. Ex analogia aliarum hujus generis specierum e. g. C. Reppensis, bis-bipustulatae, parvu-

vulae etc. pro certo concludendum, C. flavilabrem sexu tantummodo a C. frontali esse distinctam.

39. C. marginalis: sub-hemisphaerica nigra, pubescens, elytris macula magna subtriangulari rubra, angulum humeralem occupante.

a) capite thoracisque angulis anticis rufescentibus.

Payk. Fn. 2. 9. 8.

Coccinella frontalis, Illig. Col. Bor. 1. 417. 8. *var. b.*

——— *morio, Schönh. Syn.* 2. 204. 177.

Var. *b*, fronte nigra, labro testaceo; thorace nigro, angulis anticis anguste testaceis; forte femina. *Illig. l. c. var. γ.*

Habitat in Svecia australi rarius. *Dom. de Paykull.*

Praecedenti quidem similis et affinis, sed forma et situs maculae rubrae elytrorum valde diversa, et hoc in utroque sexu, quare ut distincta species consideranda. Caput quoad structuram, puncturam et pubescentiam ut in priori, in a saturate rufum, in var. b, nigrum, ore toto cum labro antennisque rufo-testaceis. Thoracis forma eadem, aeque etiam punctatus et pubescens, niger, angulis anticis in a, latius rufis; in var. b, margo anticus et ejus anguli anguste rufescentes. Elytrorum forma, punctura et pubescentia etiam ut in illo, sed macula humeralis rubra valde magna, dimidiam fere partem marginis occupat, et tuberculum humerale includit, interne angustior, versus suturam producta. Corpus subtus nigrum, confer-

fertim punctatum, pubescens. Pedes validi, in a, fere toti testacei; in var. b, femora posteriora basi tantum nigro-picea.

40. C. bi-verrucata: sub-ovata, nigra, pubescens, labro, tibiis tarsisque testaceis, elytris macula rotunda rubra pone medium disci.

Illig. Col. Bor. 1. 415. 5. *Schönh. Syn.* 2. 205. 178.

Scymnus bipunctatus, *Herbst. Panz. Kugell.*

Habitat in gramine et fruticibus minus frequens.

Minor, C. parvulae aequalis. Caput parvum, deflexum, nigrum, punctulatum, pubescens, ore laboque testaceis; antennae testaceae, clava fusca. Thorax brevis, antice angustior, late et sat profunde emarginatus, lateribus sub-rotundatus, depresso-explanatus, postice in medio nonnihil ampliatus, elytris arcte applicatus, supra in disco convexus, crebre punctulatus, totus niger, pubescens. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, ovata, anguste marginata, apice rotundata, supra modice convexa, confertim evidentius punctata, pubescentia; pone medium disci in singulo elytro macula magna, rotundata, pallide rufa. Corpus subtus nigrum, crebre punctulatum, pubescens. Pedes validiusculi, femoribus nigris, tibiis tarsisque rufo-testaceis.

41. C. bis-bipustulata: sub-rotunda, minus convexa, nigra, pubescens, elytro singulo punctis duobus rubris rotundatis, uno pone alterum, paralellis.

a) capite thoraceque nigris, immaculatis. *Fabr.*

Fabr. Herbst. Illig. Col. Bor. 1. 415. 6. *Schönh. Syn.* 2. 205. 179. *α.*

Var. *b*, capite nigro, thorace utrinque macula flavo-rubra. *Illig. Schönh. l. c. var. β.*

Var. *c*, capite toto thoracisque lateribus latius flavo rufis; forte mas. *Illig. Schönh. l. c. var. γ.*

Habitat in graminosis, apud nos rarius.

Latitudo fere C. nigrinae, sed paulo brevior, minusque convexa. Caput parvum, deflexum, punctulatum, pubescens, in a et b, nigrum, margine antico clypei anguste, ore toto antennisque testaceis, in var. c, caput totum flavo-testaceum vel rufescens, oculis parvis brunneis. Thorax brevissimus, antice late et sat profunde emarginatus, postice sub-rotundatus, elytris arcte applicatus, supra modice convexus, subtilissime punctulatus, pubescens; in a, totus niger, in var. b, anguli antici et pars laterum angustius, in var. c, latius flavo-rufescentia. Scutellum mediocre, triangulare, nigrum. Elytra ampla, brevissime ovata, lateribus reflexo-marginata, supra minus convexa quam in prioribus, confertim evidentius punctata, vel fere transversim rugulosa, nigra, pubescentia; in singulo puncta vel potius maculae duae rotundae rufae, prior paulo ante medium disci, major, altera versus apicem, ambae aequali spatio a sutura remotae. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pubescens, segmentis ventralibus anguste ferrugineo-marginatis. Pedes validi, femoribus nigris, apice, tibiis tarsisque ferrugineis.

42. C. 4-lunulata: sub-ovalis, minus convexa, nigra, pubescens, elytro singulo maculis duabus sub-lunatis luteo-rufis, priore oblonga, posteriore transversa.

Illig.

Illig. Col. Bor. 1. 416. 7. *Schönh. Syn.* 2. 206. 180.

Habitat in graminosis, raro.

Praecedente minor et paulo magis ovata. Caput parvum, deflexum, punctulatum, nigrum, pubescens, labro, ore antennisque testaceis. Thoracis structura et punctura ut in priori, niger, margine angulisque anticis anguste ferrugineis. Scutellum triangulare, nigrum. Elytra magna, sub-ovata, lateribus reflexo-marginata, apice angustiora, rotundata, supra minus convexa, tuberculo humerali elevato praedita, nigra, subtiliter punctulata, pubescentia; in singulo maculae duae rufo-flavescentes, quarum anterior major, pone tuberculum humerale locata, obliqua, intus angustior; altera ante apicem, magis transversa, sub-arcuata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pubescens. Pedes validiusculi, rufo-ferruginei, femoribus posterioribus basi plus minusve nigris.

43. C. parvula: sub-hemisphaerica nigra, pubescens, capite, ano pedumque maxima parte rufo-flavescentibus.

a) thoracis lateribus late rufo-flavescentibus.
Fabr. Payk. Panz. Illig. Col. Bor. 1. 414. 4. *var. δ. Schönh. Syn.* 2. 206. 183. *α.*

Var. *b*, thorace toto nigro, forte femina.
Illig. l. c. α. Payk. Schönh. l. c. var. β.

Var. *c*, ut var. *b*, sed frons maxima parte nigra, ut et venter.

Habitat in frutetis, praesertim in Coryli foliis, non infrequens.

Statura sub-hemisphaerica, obtusa C. nigrinae, sed fere duplo minor. Caput parvum, deflexum, pun-

punctulatum, pubescens, in a et b, totum rufo-flavescens, in var. c, vertex et superior pars frontis plus minusve nigra vel infuscata; oculi parvi brunnei; antennae pallidae, apice fuscescentes. Thorax quoad structuram ut in prioribus, supra modice convexus, subtilissime punctulatus, pubescens, in a, disco postico niger, antice angustius, lateribus vero late rufo-flavescens, qui color interdum ita dominans evadit, ut thorax potius rufo-flavescens dicendus, plaga media semi-circulari baseos nigra notatus; in var. b et c, thorax totus niger. Elytra magna, brevissime ovata, valde convexa, confertim evidentius punctata, pubescentia, tota nigra, modo in a, ipse margo apicis angustissime ferrugineus, vix vero in var. b et c. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pubescens, ano sive ultimo ventris segmento rufescente. Pedes breves, validi, in a, rufescentes, femoribus posterioribus interdum basi nigro-fuscis; in var. b et c, femora, saltem posteriora, maxima parte nigra.

44. C. analis: sub-ovata, nigra, pubescens, capite, thoracis lateribus, elytrorum apice, ano, pedibusque totis flavo-rufis.

a) thorace flavo-rufo, plaga media baseos nigra.

Fabr. Payk. Panz. Schönh. Syn. 2. 206. 184. *α.*

Coccinella parvula, *Illig. Col. Bor.* 1. 414. 4. *var. ε.*

Var. *b*, plaga nigra thoracis dilatata, ut margo anticus anguste tantum, laterales latius flavo-rufa. *Schönh. l. c. var. β. Illig. l. c. var. γ.*

Var. *c*, thorace nigro, angulis anticis tantum rufo-

rufo-flavis. *Schönh. l. c. var. γ. Illig. l. c. var. β.*

Habitat in frutetis passim, minus frequens.

Praecedenti quidem valde affinis, distincta tamen videtur, paulo minor, elytra magis ovata, apice rufo-testacea etc. Caput ut in C. parvula, semper rufo-flavescens totum, ut etiam antennae. Thorax quoad structuram, puncturam et pubescentiam ut in illa, in a, flavo-rufescens, macula semi-circulari nigra in medio baseos; in var. b, niger, margine antico anguste, lateralibus late flavo-rufis; in var. c, maxima parte niger, angulis tantum anticis macula rufescente notatis. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, ovata, lateribus reflexo-marginata, supra valde convexa, confertim punctulata, pubescentia, nigra, nitida, apice indeterminate rufo-testacea. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pubescens, ano semper segmentorumque posteriorum marginibus interdum rufo-testaceis. Pedes validiusculi, toti rufo-testacei.

Sectio 3ª: Corpore longiore, ovato, glabro.

45. C. 7-maculata: oblonga, nigra, thorace flavo-marginato, elytris rubris, maculis nigris, scutellari plerumque triloba.

a) elytro singulo punctis quinque, 1, 1, 2, 1, secundo marginali minuto, scutellarique communi trilobo.

Illig. Col. Bor. 1. 423. 13. *α. Schönh. Syn.* 2. 174. 57. *var. γ. δ.*

Var. *b*, ut *a*, sed puncta bina media in fasciam connata. *Illig. l. c. var. β. Schönh. l. c. var. ε.*

Var.

Var. *c*, punctis ut in var. *b*, sed multo majoribus, dilatatis.

Coccinella segetalis. Naezén. Act. Holm. 1792. 170. *Tab.* 7. *f.* 1, 2.

Var. *d*, eadem ac var. *b*, sed punctum secundum marginale deest. *Fabr. Payk. De Géer. Herbst. Schönh. l. c. α et var. β.*

Var. *e*, eadem ac var. *b*, sed punctum ultimum singuli elytri deest.

Var. *f*, ut *a*, sed puncta tria lateralia cujusvis elytri desunt, remanentibus humerali et interiore medio in quovis elytro, scutellarique communi trilobo.

Var. *g*, macula scutellari in tres divisa, linea nempe communis in basi suturae, et ad ejus apicem punctum solitarium utrinque; puncta reliqua ut in *a* et *b*.

Var. *h*, macula scutellari ut in var. *g*, puncta reliqua ut in var. *d*, secundo nempe marginali deficiente.

Var. *i*, macula scutellaris in tres divisa, ut in var. *g*, *h*, praeterea tantum punctum humerale et internum dorsale in singulo elytro; reliqua desunt.

Var. *k*, elytris linea communi baseos simplici, absque puncto adjacente utrinque; puncto humerali, duobus in medio oblique

posi-

positis, aut distinctis, aut connatis, et ultimo intra apicem. *Schönh. l. c. var.* ζ.

Var. *l*, eadem ac var. *k*, sed punctum apicale deest.

Var. *m*, linea communis baseos deest; puncta reliqua ut in *a*.

Var. *n*, linea communis baseos angusta obsoleta; praeterea tantum punctum humerale et internum disci exstant; reliqua desunt. *Schönh. l. c. var.* η.

Var. *o*, linea suturalis communis, punctum parvum ei adjacens utrinque et punctum humerale, etiam parvum, solum exstant; reliqua omnia desunt.

Var. *p*, elytris rufis immaculatis, sutura basi anguste tantum infuscata, et rudimentum puncti marginalis postici.

Habitat in frondibus Pini aliarumque arborum et fruticum, etiam in gramine, segete; *a, b, d, g, h*, passim; reliquae varietates rarius occurrunt; var. *o* et *p*, in Musaeo *Dom. Schönherr* inveniuntur.

C. 13-punctatae valde similis et affinis, attamen vere distincta, paulo latior et convexior, non vero longior. Caput mediocre, deflexum, punctulatum, postice nigrum, ore toto cum labro et antica parte clypei, cuneatim in frontem adscendente, flavo-testaceis; antennae testaceae, clava apice fuscescente. Thorax brevis, antice late, sed parum profunde, sinua-

nuatim emarginatus, lateribus rotundatus, latius reflexo-marginatus, postice paulo angustior, in medio baseos sub-rotundatus, versus latera sub-sinuatus, angulis rotundatim prominulis; supra minus convexus, confertim punctulatus, niger, nitidus, margine antico angustius, lateralibus latius sinuatim flavis. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, oblongo-ovata, humeris rotundatis, lateribus late reflexo-marginata, apice sub-acuminata, supra modice convexa, confertim et evidentius quam thorax punctata, glabra, nitida, aut rubra, aut rufo-flavescentia; ad basin macula nigra triloba, e linea suturali communi, ad apicem utrinque macula connata, divergente, aucta, composita; in tuberculo humerali macula major rotundata; pone illam, juxta marginem, punctum parvum; in medio, versus suturam, iterum macula major, cui externe et paulo inferius adjacet alia minor, et denique in disco posteriore ante apicem macula ultima, rotundata; sed haec pictura vario modo aberrat, ut ex varietatum descriptionibus constat. Corpus subtus nigrum, parum nitidum, confertissime punctulatum, ventris marginibus flavo-maculatis. Pedes validi, nigri, tibiarum anteriorum apice spongiisque omnibus ferrugineis.

46. C. 13-punctata: oblonga nigra angustior, minus convexa, thorace antice lateribusque flavo, puncto nigro, elytris rufescentibus nigro-punctatis, tibiis tarsisque rufo-testaceis.

a) thorace utrinque puncto nigro, libero, elytro singulo punctis sex nigris, scutellarique communi.

Linn. Fabr. Herbst. De Géer. Payk. Illig. Col. Bor. 1. 425. 14. *var. γ. Schönh. Syn.* 2. 174. 58. *α.*

Var.

Var. *b*, thorax ut in *a*; punctum baseos commune cum posteriore proximo utrinque connexum. *Illig. var.* ζ. *Schönh. var.* δ.

Var. *c*, omnia ut in *a*, sed puncta elytrorum duo penultima in fasciam obliquam confluentia. *Illig. var.* ε. *Schönh. var.* γ.

Var. *d*, thoracis puncto laterali cum nigredine disci confluente, elytrorum punctis distinctis ut in *a*. *Illig. var.* δ. *Schönh. var.* β.

Var. *e*, thorace ut in var. *d*, elytrorum punctis ut in *c*.

Var. *f*, thorace ut in var. *d*, *e*; in elytris punctum scutellare cum proximo posteriore conjunctum ut in var. *b*; puncta duo penultima in fasciam confluentia, ut in var. *c*.

Var. g, thorax ut in *d*, *e*, *f*; elytrorum puncta tria ultima dilatata, in lituram arcuatam confluentia. *Illig. var.* η. *Schönh. var.* ε.

Var. *h*, thorax ut in *d*—*g*; elytrorum punctis tribus ultimis in plagam magnam angulatam connatis; tibiis basi nigris.

Var. *i*, thoracis lateribus anguste tantum pallidis, elytrorum disco fere toto nigro, macula una alterave rufescente; pedibus fere totis nigris.

Habi-

Habitat in frondibus arborum et fruticum; in gramine, segete, plantis aquaticis, frequens; varietates vero *b*, *f*, *h*, *i*, rarius occurrunt.

Praecedente angustior et minus convexa, thorace longiore, postice non angustiore, pedumque colore distincta. Caput mediocre, deflexum, punctulatum, postice nigrum, ore toto cum labro et antica parte clypei, in frontem angulariter adscendente, flavis; oculi majusculi brunnei, prominuli, unde frons impressa apparet, saepe etiam foveolata. Antennae testaceae, apice fuscescentes. Thorax longitudine vix duplo latior, antice perparum emarginatus, lateribus aequaliter rotundatus, late reflexo-marginatus, basi in medio rotundatus, versus latera sinuatus, angulis nonnihil productis, rotundatis, supra parum convexus, confertim punctulatus; in a, b, c, margo anticus angustius, latera vero late, inaequaliter flava, cum puncto medio libero utrinque, disco reliquo nigro; in varietatibus sequentibus punctum laterale cum plaga connatum, et plaga illa dilatata, usque dum in ultimis margo tantum lateralis anguste pallidus. Scutellum parvum triangulare nigrum. Elytra magna oblongo-ovata, lateribus late reflexo-marginata, apice sub-acuminata, supra minus convexa, confertim evidenter punctata, aut flava, aut rufescentia; in ipsa basi suturae macula communis nigra, aut major, ovata, aut angustior, ob-conica, et praeterea in singulo elytro puncta sex nigra; primum in tuberculo humerali, majus; dein duo transversim posita ante medium, exteriore minore; quartum fere in medio, versus suturam, majusculum, quintum inferius, versus marginem, et demum ultimum in medio, ante apicem; puncta haec vario modo confluunt, ut in diagnosibus varietatum indicavi. Corpus subtus nigrum, subnitidum, confertim punctulatum, ventris lateribus flavo-maculatis. Pedes validiusculi, femoribus totis ni-

gris, tibiis tarsisque flavo-testaceis, unguilis nigris; in varietatibus obscurioribus tibiae basi plus minusve infuscatae, et in ultima fere totae nigrae.

47. C. mutabilis: ovata nigra, thoracis marginibus maculisque duabus flavo-albidis, elytris rubris, nigro punctatis, pedibus anticis semi-rufis.

Illig. Col. Bor. 1. 426. 14. *Schönh. Syn.* 2. 175. 59.

a) thoracis margine antico, in medio radium pallidum versus posteriora exserente, punctisque duobus dorsalibus flavescentibus; elytro singulo punctis sex nigris, 1, 2, 2, 1; et communi baseos. *Illig. Schönh. l. c. var. β.*

Coccinella laeta, Fabr. S. El. 1. 369. 77.

Var. *b*, thoracis margine antico versus posteriora ramos tres flavos exserente; elytris punctis 11 aut 13, humerali interdum deficiente. *Illig. Schönh. l. c. var. γ.*

Var. *c*, thorace ut in var. *b*, elytro singulo punctis quatuor, humerali nempe, tribus ultimis, scutellarique communi. *Illig. Schönh. l. c. var. ζ.*

Var. *d*, thorace ut in var. *b*, elytris punctis septem, scutellari nempe et tribus ultimis in singulo. *Illig. Schönh. l. c. var. ι.*

Var.

Var. *e*, thorax ut in *b*, *c*, *d*; elytra puncto tantum unico communi juxta scutellum.

Habitat in plantis, oleribus, apud nos rarius; var. *e*, in Scania ad Ystad capta, *a Dom. Prof. Zetterstedt* communicata.

C. 13-punctata minor et minus oblonga. Caput mediocre, deflexum, punctulatum, vertice nigro, fronte reliqua flavo-albida, aut immaculata, aut nigro- vel fusco-variegata; os totum flavescens; oculi brunnei; antennae flavescentes, apice fuscae. Thorax longitudine duplo latior, antice late et sat profunde emarginatus, lateribus aequaliter rotundatus, late reflexo-marginatus, basi in medio sub-rotundatus, versus latera parum sinuatus, supra minus convexus, tenue punctulatus, in disco niger, margine antico et lateribus inaequaliter flavo-albidis; e medio flavedinis marginis antici radius in discum emittitur, aut longior, medium attingens, aut brevior, jam linearis, angustus, jam latior; ab utroque latere hujus radii punctum flavo-albidum, saepe parvum, liberum, in varietatibus vero dilatatum, cum flavedine marginis antici confluens, unde tres radii formantur. Scutellum parvum, triangulare nigrum. Elytra magna, ovata, lateribus angustius reflexo-marginata, apicem versus attenuata, supra modice convexa, confertim punctulata, rubra, nigro-punctata; in basi suturae punctum commune oblongum, ob-conicum; in humero cujusvis elytri punctum majusculum, rotundatum; dein duo paralella ante medium, exteriore minore; pone medium iterum duo, majora, interdum confluentia, oblique posita, externo inferiore, et tandem ultimum ante apicem; ex his vero anteriora saepe desunt, ut ex varietatum descriptionibus hauriendum. Corpus subtus nigrum, immaculatum; confertissime punctulatum. Pedes validi nigri, tibiis tarsisque totis primi paris, apice tibiarum mediarum et spongiis tarsuum omnium flavo-testaceis.

48. C. 19-punctata: oblonga, supra flava, thorace punctis sex, elytris simul novendecim nigris, pedibus testaceis.

Linn. Fabr. Herbst. Illig. Payk. Schönh. Syn. 2. 185. 95.

Var. *b*, elytrorum punctis nonnullis contiguis. *Illig. var. β.*

Var. *c*, thoracis punctis duobus vel tribus utrinque confluentibus.

Habitat in plantis, praesertim juxta aquas, passim.

Minor, oblonga, supra sulphurea, rarius roseo tincta, subtus nigra. Caput parvum, deflexum, punctulatum, flavum, vertice nigro, in medio interrupte. Antennae ferrugineae. Thorax brevis, antice late et sat profunde emarginatus, lateribus rotundatus, late reflexo-marginatus, basi in medio sub-rotundatus, supra modice convexus, confertim punctulatus, sulphureo-flavus, punctis sex nigris notatus, quorum quatuor in medio quadrangulum formant, et unum laterale utrinque; puncta duo media utrinque saepe longitudinaliter confluunt in lineam, et interdum etiam laterale illis adnectitur. Scutellum parvum, triangulare nigrum. Elytra magna, ovata, lateribus late reflexo-marginata, supra modice convexa, confertim evidentius punctata, sulphureo-flava, simul punctis novendecim nigris notata; unum in basi suturae, commune, oblongum, et in singulo elytro novem, primum in tuberculo humerali, majus, transversum; dein duo, paria, ante medium; tum tria in medio, centrali majore, oblongo; iterum duo paria, pone medium et tandem ultimum intra apicem, sub-transversum; puncta haec plerumque libera, rarius tamen unum alterumve cum proximo connectitur, ut internum

num paris primi cum linea suturali, centrale trigae cum interius adjacente etc. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pectoris ventrisque lateribus flavo-maculatis. Pedes mediocres, toti flavo-testacei.

49. C. arctica: oblonga nigra, ore, thoracis ambitu punctoque ante scutellum, elytrorum margine sinuatim, linea flexuosa in disco anteriore punctoque postico flavis.

Fabr. Herbst. Payk. Oliv. Ent. 6. 1050. 109. *Pl.* 7. *f.* 97. *Schönh. Syn.* 2. 199. 142.

Habitat in Lapponia boreali rarius.

Parva, C. 19-punctata parum major, oblonga. Caput parvum, deflexum, punctulatum, flavum, vertice sinuatim nigro; supra os interdum litura vel puncta duo fusca; oculi oblongi brunnei. Antennae flavae. Thorax brevis, antice late, sed parum profunde, sinuatim emarginatus, lateribus rotundatus, supra modice convexus, punctulatus, in disco niger, lateribus et margine antico flavis; e medio marginis antici radius flavus in discum emittitur, et ante scutellum punctum solitarium flavum. Scutellum parvum, triangulare nigrum. Elytra oblongo-ovata, lateribus anguste marginata, apice acuminata, supra modice convexa, evidentius crebre punctata, nigra; margo lateralis totus sub-sinuatim flavus; e basi interiore exit linea arcuata flava, medium disci attingens, et pone medium punctum liberum ejusdem coloris. Corpus subtus nigrum, punctulatum. Pedes mediocres, femoribus nigris, tibiis tarsisque maxima parte flavis.

50. C. strigata. oblonga, subtus nigra, supra flava, vertice sinuatim, plagis duabus thoracis, vitta media maculari cujusvis elytri,

tri, sutura antica sinuatim punctoque postico libero nigris.

Thunb. Ins. Sv. 9. 113. *Schönh. Syn.* 2. 199. 143.

Habitat in Lapponia boreali rarissime.

C. Arcticae similis et affinis, sed dimidio minor, minus oblonga et aliter colorata. Caput parvum, deflexum, obsolete punctulatum, flavum, vertice sinuatim nigro, adeo ut flavedo postice tri-ramosa, ramulo medio longiore, verticem fere attingente, lateralibus in margine inferiore oculorum desinentibus; oculi oblongi nigri; antennae pallidae. Thorax brevis, antice late, sed parum profunde sinuatim emarginatus, lateribus rotundatus, supra modice convexus, obsolete punctulatus, flavus, utrinque plaga magna sinuata nigra, postice angustiore et basin tangente, notatus. Scutellum parvum, triangulare nigrum. Elytra ovata, lateribus latius reflexo-marginata, apice minus acuminata, supra modice convexa, evidentius punctulata, flava; in singuli elytri medio vitta nigra macularis, a medio baseos fere ad apicem arcuatim ducta, quasi a maculis quinque conflata, anticis majoribus; in ipsa sutura, a basi ultra medium vitta communis, utrinque bis angulata, nigra, et pone illam punctum liberum utrinque, juxta suturam. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, vix punctulatum, margine antico pectoris pone gulam flavo. Pedes fere toti flavi.

51. C. M. nigrum: oblongiuscula, flavo-grisea, pectore nigro, pedibus luteis. Thorace M, nigro notato.

Fabr. Herbst. Payk. Illig. Col. Bor. 1. 430. 17. *var. β. Schönh. Syn.* 2. 152. 7. *β.*

Var.

Var. *b*, thoracis signaturis obsoletioribus. *Illig. Schönh. l. c. var. α.*

Var. *c*, elytris versus apicem macula oblonga nigricante notatis. *Illig. Schönh. l. c. var. γ.*

Var. *d*, ut var. *c*, sed praeterea in elytris puncta et lineolae nigrae, indeterminatae, sparsae. *Illig. Schönh. l. c. var. δ, ε, ζ.*

Var. *e*, supra lurida, elytris punctis maculisque sparsis fuscis. *Illig. var. δ. Schönh. var. η.*

Habitat in arboribus, praesertim in frondibus Abietis, non infrequens; hibernat sub cortice truncorum Abietis.

Magnitudo et statura fere C. mutabilis. Caput parvum, deflexum, obsolete punctulatum, aut nigricans, plaga media oblonga frontis, macula sinuata ante singulum oculum, margineque clypei flavo-albidis; aut pallidum, lineis duabus nigro fuscis paralellis frontalibus, a vertice ad clypeum ductis, plerumque e punctis constantibus, rarius integris; antennae pallidae, apice saturatiores. Thorax transversus, anterius paulo angustior, late et sat profunde emarginatus, angulis obtusis, lateribus et postice sub-rotundatus, supra parum convexus, punctulatus, pallidus vel flavo-griseus, in disco posterius lineolae quatuor nigrae, intermediae breviores, obliquae, conniventes, laterales perpendiculares, omnes rarius connexae, literam M magnam simul formantes, plerumque vero separatae, saepe etiam obsoletiores, fuscae. Scutellum minutum, triangulare, concolor. Elytra ampla, ovata, humeris et apice rotundata, supra modice convexa, evidentius punctata, tuberculo humerali elevato praedita, plerumque pallide flavescentia, in

in var. e, obscurius lurida, aut immaculata, ut in a, b, aut versus apicem singuli elytri lineola oblonga nigra notata, var. c, aut punctis lineolisque pluribus situ et figura variantibus, ut in var. d; signaturae istae instabiles, quare secundum illas varietates determinatae non construendae; in var. e, liturae et puncta plurima fusca, sparsa absque ordine, et color elytrorum obscurior, sed varietates elytris totis nigro-fuscis, ab auctoribus memoratae, apud nos non inventae. Subtus gula, pectoris margo anticus et angulus posticus flava, nitida; pectus reliquum nigrum vel brunneum, punctatum; venter fortius punctatus, antice fusco-piceus, postice testaceus. Pedes mediocres, toti luteo-testacei.

COCCIDULA, Dejean.

Instrumenta Cibaria ut in Coccinella, quare etiam Dom. Latreille et Illiger illis associarunt huc relatas Species; cum vero habitus et elytra punctato-striata a Coccinellis aliena, ut subgenus saltem considerandum.

1. C. pectoralis: oblonga rufa, pubescens, pectore nigro, elytris sub-punctato-striatis. *Dej. Cat. p.* 132.

Strongylus pectoralis, *Schönh. Syn.* 2. 208. 2.

Coccinella pectoralis, *Illig. Col. Bor.* 1. 420. 11.

Var. *b*, thorace punctis duobus nigris, paribus; elytro singulo puncto anteriore fusco.

Habitat in plantis et gramine, locis humidis, passim.

Statura oblonga et fere facies Mycetophagi fu-

fumati, sed paulo latior. Caput sub-porrectum, rotundatum, crebre punctulatum, pubescens, pallide rufum, oculis depressis nigris. Antennae longitudine capitis cum thorace, pallidae, extrorsum fuscescentes, clava oblonga, pilosa, 4-articulata, articulo ultimo minore, acuminato. Thorax transversus, antice late, aequaliter emarginatus, lateribus rotundatus, basi subtruncatus, angulis nonnihil prominulis, supra convexus, confertim punctatus, pubescens, pallide rufus, plerumque immaculatus, in var. b vero punctis duobus rotundis nigris, paribus, juxta medium disci notatus. Scutellum parvum, breviter triangulare, fuscum. Elytra oblongo-ovata, thorace quadruplo longiora, humeris et apice rotundata, supra modice convexa, confertim punctata, punctis majoribus in strias sat regulares digestis, interjectis aliis minoribus crebris, vage sparsis; plerumque saturatius rufa et densius pubescentia quam thorax et caput, solito immaculata, in var. b, vero ante medium disci singuli elytri punctum oblongum fuscum. Corpus subtus confertim punctatum, brevius pubescens, pectore toto ut et antica parte ventris nigris, thorace vero et ambitu postico ventris rufis. Pedes mediocres toti rufi. Variat etiam corpore toto pallido.

ENDOMYCHUS.

Palpi maxillares capitati, articulo ultimo crassiore, subtrigono, labiales Art. ultimo paulo majore, sub-ovato. Mandibulae apice distinctae bifido aut bidentato. Antennae clavatae, articulo nono praecedenti multo longiore, ultimo ovato, apice retuso. Corpus alatum, glabrum, subtus convexum.

1. E. Coccineus: niger, nitidus, thoracis lateribus late, coleoptris abdomineque sangui-

guineo-rubris, elytro singulo maculis duabus magnis nigris.

Fabr. Latr. Payk. Panz. Schönh. Syn. 2. 323. 2.

Habitat in fungis et ligno putrescente, locis silvaticis, non infrequens.

Caput parvum, nigrum, inaequale, ore toto cum labro et margine clypei rufis; oculi laterales oblongi prominuli nigri. Antennae crassiusculae, nigrae, basi piceae, longitudine fere dimidii corporis, articulis tribus ultimis multo majoribus, apicali obtuso. Thorax longitudine latior, anterius paulo angustior, ibique late et profunde emarginatus, angulis productis, subacuminatis, lateribus fere rectis, explanato-marginatis, basi bi-sinuatus, angulis acutis; supra discus longitudinaliter convexus, niger, nitidus, laevis, postice transversim profunde impressus; latera thoracis depressa, late sanguineo-rubra. Scutellum mediocre sub-rotundatum, nigrum. Elytra ampla, antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, prominulis, thorace quadruplo longiora, apice singulatim sub-rotundata, supra modice convexa, obsoletissime punctulata, sanguineo-rubra, nitida; in singuli disco maculae duae nigrae, ovatae, una post alteram, posteriore paulo majore. Thorax subtus sanguineus; pectus nigrum, nitidum, lateribus sanguineis; abdomen supra et subtus rubrum, punctulatum. Pedes mediocres nigri, genubus tarsisque rufescentibus.

LYCOPERDINA.

Palpi maxillares filiformes. Mandibulae apice acutissimo, indiviso. Antennae clavatae, articulo nono praecedenti vix longiore, sed plerumque crassiore. Corpus ovatum, subtus convexum.

1. L.

1. L. cruciata: glabra, rubra, antennis, elytrorum cruce communi, pectore pedibusque ex parte nigris.

Schönh. Syn. 2. 324. 3.

Endomychus cruciatus, *Fabr. Payk.*

Habitat sub cortice arborum emortuarum et in fungis arboreis, passim.

Statura et similitudo Endomychi coccinei, sed plus duplo minor. Caput parvum, quadrangulum, rufo-piceum, punctulatum, oculis prominulis nigris. Antennae validae, nigrae, articulo nono quidem multo crassiore octavo, sed parum longiore, ultimo obtuso, rufescente. Thorax transversus, antice paulo angustior, late et profunde emarginatus, angulis acuminatis, lateribus sub-rotundatus, reflexo-marginatus, basi sub-bi-sinuatus, angulis acutis; supra transversim convexus, punctulatus, prope basin striga profunda, transversa, utrinque abbreviata, impressus, saturate ruber, nitidus marginibus, antico et lateralibus angustius, baseos pone strigam latius nigris. Scutellum mediocre nigrum, apice rotundatum. Elytra breviter ovata, antice thorace paulo latiora, eique arcte applicata, humeris prominulis acutis, lateribus reflexo-marginata, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, subtiliter punctata, saturate rubra, nitida, cruce magna, lata communi nigra, apicem non attingente, notata. Corpus subtus rufum, pectoris medio nigro. Pedes validi, jam rufo-picei, jam nigri, genubus tarsisque rufescentibus. Variat corpore toto pallide rufo, immatura forte.

2. L. Succincta: glabra rubra, elytris fascia media lata nigra, pectore ventrisque basi piceis, thorace postice striga angulata impresso.

Sil-

Silpha succincta, *Linn. Syst.* 2. 573. 26.
Lycoperdina 4-pustulata, *Schönh. Syn.* 2. 324. 2.

Habitat in fungis et ligno putrescente, rarius.

Longitudo praecedentis, sed angustior. Caput et antennae ut in priori constructa, sed tota rubra, oculis solis nigris. Thorax longior, fere quadratus, antice late et profunde emarginatus, angulis parum acuminatis, lateribus mox pone apicem rotundato-ampliatis, dein pone medium coarctatis, basi sub-bisinuatus, angulis acuminatis; supra in medio longitudinaliter convexus, lateribus late explanato-depressis, undique punctulatus, ruber, nitidus, margine summo nigro et disco elevato interdum rufo-piceo; ante basin striga profunde impressa, transversa, abbreviata, utrinque rectangulariter fracta, radium in discum emittens. Scutellum breve, latum, transversum piceum. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi latiora, eique arcte applicata, humeris productis, acuminatis, apice simultaneae rotundata, supra convexa, subtiliter punctata, rubra, nitida, fascia media lata nigra transversa, tertiam partem elytrorum occupante, notata. Corpus subtus rufum, pectoris medio ventrisque basi nigro-piceis. Pedes validi, toti rufi, tibiis anticis interne dente valido instructis.

Obs. Sub nomine: Endomychus limbatus Knoch, varietatem e Germania obtinui, cujus elytra maxima parte nigra, modo basi apiceque rubra, et thoracis discus etiam nigricans; ceterum omnimode conveniens.

3. L. Bovistae: atra, glabra, nitida, ore, antennis, thoracis angulis, elytrorum apice, ano pedibusque ferrugineis, thorace striga postica angulata profunde impresso.

Endo-

Endomychus Bovistae, Fabr. S. El. 1. 505. 6. *Payk. Fn.* 2. 115. 4.

Lycoperdina immaculata, Latr. Schönh. Syn. 2. 324. 1.

Habitat in fungis et ligno putrescente, in Svecia australi rarius.

Statura oblonga et magnitudo praecedentis. Caput quadratum, punctulatum, piceum, ore dilutiore; antennae ut in L. succincta constructae, totae piceo-ferrugineae. Thoracis structura omnino ut in priori, modo striga postica profundius impressa et radii ejus rectangulares longiores; ceterum niger, nitidus, vix punctulatus, angulis anticis, interdum lateribus totis rufo-piceis. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris productis, acuminatis, pone basin rotundato-ampliata, versus apicem valde attenuata, apice sub-acuminata, supra singulatim longitudinaliter convexa, sutura evidenter depressa; nigra, nitida, vix punctulata, apice indeterminate rufescentia. Corpus subtus nigrum, lateribus anoque rufo-piceis. Pedes validi, toti rufo-ferruginei, tibiis anticis muticis.

4. L. semi-nigra: capite, thorace pedibusque rufis, nitidis; elytris, pectore ventreque nigris, thorace brevi, angulis posticis elevato-carinatis.

Cryptophagus semi-niger, Gyll. Ins. Sv. 1. 178. 16. *Schönh. Syn.* 2. 99. 17.

Lycoperdina ruficollis, Dej. Cat. p. 132.

Habitat sub cortice truncorum Betulae albae putrescentium, rarius.

Parva, Engide humerali fere minor. Caput par-

parvum convexum, rufum, nitidum, laeve, oculis prominulis nigris. Antennae vix longitudine dimidii corporis, crassiusculae, fusco-ferrugineae, articulo nono parum majore octavo, ultimis duobus magnis, dilutius rufis. Thorax brevis, transversus, antice late, sed parum profunde emarginatus, angulis obtusis, lateribus sub-rectis, anguste marginatis, basi truncatus, supra convexus, laevis, totus rufus, nitidus; intra basin striga transversa impressa, versus angulos utrinque rectangulariter fracta, unde angulus ipse elevatus in spinam carinatam assurgit. Scutellum breve, transverse ovatum, piceum. Elytra oblongo-ovata, thoracis basi vix latiora, humeris elevatis, prominulis, apice sub-acuminata, supra aequaliter convexa, obsolete punctulata, nigra, nitida, apice ipso rufescente. Thorax subtus rufus, nitidus, laevis; pectus et venter nigro-picea, punctulata, ano rufescente. Pedes mediocres, toti rufo-ferruginei. Variat corpore toto pallide rufescente, immatura forte.

SECTIO V.

D I M E R I.

Tarsi omnes articulis duobus.

P S E L A P H U S.

Palpi quatuor, inaequales; maxillares elongati, clavati articulo ultimo maximo; labiales breviores, sub-cylindrici. Maxilla membranacea, bifida. Mandibula cornea, latere interno dentata. Labium membranaceum, bifidum. Antennae clavatae, 11-articulatae. Elytra abbreviata, truncata.

Sect.

Sect. 1.: Palpis maxillaribus longissimis, articulo ultimo in medio angustissimo, apice clavato.

1. P. Heisei: rufo-castaneus, nitidus, thorace oblongo-ovali, convexo, laevissimo, non impresso, antennis longis crassiusculis.

Herbst. Col. 4. 101. 1. *Tab.* 39. *f.* 9. *a. Latr. Gen. Crust.* 3. 76. 1. *Reich. Mon. Ps.* 28. 2. *Tab.* 1. *f.* 2. *Zetterst. Act. Holm.* 1818. 259. 14. *Leach. Zool. Misc.* 87. 2.

Pselaphus eyrigaster, *Beck. Beytr.* 11. 8. *Tab.* 2. *f.* 8.

Habitat sub-muscis, locis humentibus, passim. Tempore hiemali in glacie lacuum et paludum Smolandiae copiose legit *Dom. Liungh.*

Medius in hoc genere, totus rufo-castaneus vel rufo-ferrugineus, nitidus. Caput porrectum, ovale, anterius attenuatum, fronte in medio impressa, canaliculata, unde caput antice bifidum apparet; oculi mediocres, prominuli, nigri. Palpi anteriores plerumque pallidi, geniculatim sub capite inflexi, dum extenduntur, longitudine antennas fere aequant, articulo primo longissimo, in medio valde tenui, basi apiceque incrassato; secundo brevi, sub-globoso; tertio longitudine primi basi crasso, in medio valde tenui, apice clava magna, oblonga praedito. Antennae longitudine dimidii corporis, crassiusculae, pubescentes, articulo primo elongato, crasso, sub-cylindrico; secundo sub-globoso, aeque crasso; 3—8, minoribus, nodosis, 9, 10, iterum majoribus, lenticulatis, ultimo magno, ovato. Thorax capite paulo longior, antice posticeque attenuatus, truncatus, lateribus rotundato-am-

ampliatus, supra valde convexus, fornicatus, totus rufo-castaneus nitidissimus, laevis, absque impressionibus. Scutellum minutissimum, angustum, aegre observandum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, versus apicem sensim valde dilatata, sub-triangularia, apice introrsum oblique truncata, supra modice convexa, plerumque dilutius rufo-testacea, nitida, apice ipso transversim depresso, obscuriore et dense cinereo-pubescente; pili praeterea sparsi, suberecti ad latera et in disco, in illaesis individuis observantur; juxta suturam stria impressa, integra; in medio altera, sub-arcuata, posterius abbreviata, et intra marginem tertia, iterum integra. Abdomen pone elytra vix illorum longitudine, sed apice eorum fere latius, totum rufo-castaneum, nitidum, apice obtuse rotundatum, inflexum, segmento primo pone elytra maximo, lateribus alte elevato, reliquis brevibus, parum marginatis. Corpus subtus concolor, vix punctulatum. Pedes longiusculi, dilutius rufo-testacei, femoribus basi angustis, extrorsum clavatis, tibiis etiam versus apicem crassioribus, tarsis elongatis pallidioribus.

2. P. longicollis: piceo-rufescens vel castaneus, nitidus, palpis, antennis pedibusque pallidioribus, thorace longiore ovali, antice fossula obliqua utrinque et postice sulco transversali impresso.

Reichenb. Mon. Psel. 30. 3. *Tab.* 1. *f.* 3.

Anthicus Dresdensis, *Panz. Fn.* 98. *f.* 1.

Habitat sub muscis, locis humentibus, rarius.

Praecedenti similis, sed plerumque paulo minor, obscurior. Caput porrectum ovale, ad os angustatum, rufo-castaneum, glabrum, fronte inter oculos foveolis duabus impressa, oculi laterales, globosi, nigri; palpi anteriores longissimi, pallidi, structura omnino ut

ut in Ps. Heisei. Antennae longitudine dimidii corporis, crassiusculae, rufo-testaceae, pubescentes, structura omnino ut in praecedente. Thorax oblongo-ovalis, capite longior, rufo-castaneus, nitidus, lateribus tenue pubescens, anterius angustatus, et juxta apicem utrinque foveola parva, obliqua, impressus; intra basin sulcus transversus, profunde impressus, versus latera arcuatim adscendens, interdum in medio abruptus, cum interjecto puncto impresso. Scutellum minutissimum, vix observandum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, versus apicem sensim valde dilatata, sub-triangularia, apice introrsum oblique truncata, supra modice convexa, dilutius rufo-castanea, nitida, apice ipso transversim depresso, dense cinereo-pubescente; stria suturalis recta, integra, e fovea sat profunda baseos exiens; stria media plerumque posterius abbreviata, interdum vero versus apicem oblique introrsum continuata, e fovea basali itidem inchoata, stria tertia intra-marginalis, brevior, obsoletior. Abdomen pone elytra illis brevius, latum, convexum, castaneum, apice obtuse rotundatum, segmento primo pone elytra lateribus alte elevato-marginato. Corpus subtus castaneum, vix punctulatum. Pedes longiusculi, testacei, femoribus medio crassioribus, tibiis sub-arcuatis, apice nonnihil incrassatis, tarsis tenuibus.

3. P. Dresdensis: piceo-nigricans, densius pubescens, antennis, palpis pedibusque dilutius testaceis, thorace breviori, lateribus valde dilatato, postice transversim impresso.

Herbst. Col. 4. 110. 2. *Tab.* 39. *f.* 11. *B. Reichenb. Mon. Psel.* 32. 4. *Tab.* 1. *f.* 4.

Pselaphus Heisii, *Payk. Fn.* 3. 364. 2.

Habitat sub muscis, locis humentibus, rarius.

Ps. Heisei minor, praesertim brevior, antennae

 mi-

minus incrassatae, thorax postice impressus et color obscurior; a Psel. longicolli, cui colore et magnitudine magis similis, differt praecipue thorace lateribus magis dilatato, antice non foveolato. Color corporis piceo-nigricans, interdum dilutius rufo-piceus. Caput nigro-piceum, glabrum, antice productum, attenuatum, fronte profunde impressa; oculi globosi, valde prominuli, nigri. Palpi longissimi, pallide testacei, structura omnino ut ad Ps. Heisei descripti. Antennae longitudine dimidii corporis, rufo-testaceae, pubescentes, quoad formationem ut in Ps. Heisei, sed paulo minus crassae. Thorax oblongo-ovalis, piceus vel castaneus, nitidus, tenue pubescens, antrorsum angustatus, pone medium valde ampliatus, fere angulatus, supra antice convexus, pulvinatus, intra basin fovea semi-circulari impressus. Elytra longitudine thoracis, antice ejus basi parum latiora, posterius valde dilatata, sub-triangularia, lateribus inflexa, apice introrsum oblique truncata, supra convexa, rufo-castanea, nitida, sub-pubescentia, intra apicem transversim depressa, apice ipso dense ciliata; juxta suturam stria integra impressa et alia in medio, apicem vix attingens. Abdomen pone elytra illis brevius, latum, convexum, tenue pubescens, castaneum nitidum, versus anum declive sub-acuminatum. Corpus subtus castaneum, nitidum, vix pubescens, segmento primo ventris angusto, elevato, pallido; secundo magno, lato; reliquis brevissimis, coarctatis. Pedes elongati testacei, sub-pubescentes, femoribus clavatis, clava plerumque saturatiore.

Sect. 2da: Palpis maxillaribus minus elongatis, articulo ultimo crassiore, sub-securiformi.

4. P. niger: niger, cinereo-pubescens, antennis longioribus crassis, ferrugineis, pilo-

losis, thorace sub-globoso laevi, elytris vix punctulatis, pedibus testaceis.

Mas: antennarum articulo quinto contiguis majore, globoso.

Femina: antennarum articulis 3—8, aequalibus.

Payk. Fn. 3. 365. 4. *Reichenb. Mon. Psel.* 35. 5. *Tab.* 1. *f.* 5.

Tychius niger, *Leach. Zool. Misc.* 3. *p.* 8. 1.

Pselaphus nodicornis, *Beck. Beytr.* 12. 10. *Tab.* 2. *f.* 10.

Var. *b*, elytris piceo-testaceis.

Habitat in graminosis humentibus, tempore vernali, passim.

Parvus, vix lineam longus, niger, sub-nitidus, pube tenui cinerea obductus. Caput cum oculis latitudine fere thoracis, triangulare, convexum, nigrum, sub-laeve. Oculi prominuli nigri. Palpi maxillares capite fere duplo longiores, pallide testacei, articulo ultimo oblongo-ovato, introrsum dilatato. Antennae longitudine dimidii corporis, crassae, ferrugineae, pubescentes, apice longius pilosae, articulo primo longo, sub-cylindrico, modice crasso; secundo ovato, aeque crasso; 3-8, minoribus, sub-globosis, aequalibus, sed in masculis articulus quintus multo major, globosus; art. nonus major, lenticulatus; decimus adhuc major, ejusdem formae, ultimus maximus, ovatus, pilosus. Thorax capite paulo longior et in medio nonnihil latior, basi apiceque angustatus, lateribus rotundato ampliatus, supra convexus, laevis, niger, pubescentia subtili cinerea obductus. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rotundatis, posterius dilatata, apice recta truncata, supra con-

vexa nigra, nitida, pubescentia, fere laevia vel impunctata, stria suturali tenui integra aliaque media abbreviata impressa. Abdomen et corpus subtus nigra, nitida, tenue pubescentia. Pedes longiusculi, ferruginei, femoribus parum incrassatis.

Var. b, differt tantum elytris dilutioribus, aut rufopiceis aut testaceis.

Femina mari simillima, modo antennarum articulus quintus minor, contiguis aequalis.

5. P. bulbifer: niger, nitidus, sub-pubescens, palpis tarsisque testaceis, antennis pedibusque rufo-piceis, thorace sub-globoso laevi, elytris profunde punctatis, antennis brevibus, basi apiceque crassis.

Reichenb. Mon. Psel. 37. 6. *Tab.* 1. *f.* 6. *Zetterst. Act. Holm.* 1818. 260. 15.

Habitat in umbrosis, sub muscis, rarius.

Magnitudo et statura praecedentis. Caput majusculum, sub-triangulare, nigrum, fronte foveolis tribus impressa; oculi globosi nigri, valde prominuli; palpi maxillares capite fere duplo longiores, testacei, articulo ultimo magno, oblongo, ovato, introrsum dilatato. Antennae dimidio corpore breviores, crassae, articulo primo magno, elongato, cyathi-formi, piceo; secundo etiam crasso, sed brevi, sub-globoso; 3—8, parvis, coarctatis, aequalibus, nodosis, rufo-piceis, 9, 10, iterum majoribus, perfoliatis, ultimo maximo, ovato, piloso. Thorax antice posticeque angustatus, lateribus in medio rotundato-ampliatus, supra valde convexus, sub-globosus, niger, nitidus, vix punctulatus. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis, posterius multo latiora, apice recta truncata, supra valde convexa, inflata, nigra, sub-nitida, evidentius pubescentia, sat crebre et profunde punctata, stria suturali integra, aliaque in medio ba-

seos

seos abbreviata, exarata. Abdomen pone elytra breve, convexum, nigrum, nitidum, ano obtuso. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum. Pedes elongati, femoribus sub-clavatis piceis, tibiis arcuatis sub-testaceis, tarsis elongatis pallidis.

6. P. clavicornis: piceus nitidus, sub-pubescens, antennis, palpis pedibusque testaceis, thorace latiore, sub-globoso, postice punctato, impresso, elytris punctatis, antennis longioribus, basi minus crassis.

Panz. Fn. 99. *f.* 3. *Reichenb. Mon. Psel.* 40. 7. *Tab.* 1. *f.* 7. *Zetterst. Act. Holm.* 1818. 261. 16.

Habitat in umbrosis subhumidis, rarius.

Magnitudo, statura et affinitas praecedentis, sed differt thorace latiore, postice punctato, sub-impresso, antennis paulo longioribus, articulis primis minus crassis et colore plerumque dilutiore. Caput triangulare piceum, fronte foveolis tribus obsoletioribus impressa; oculi parvi, prominuli, nigri; palpi maxillares testacei, structura ut in priori. Antennae longitudine capitis thoracisque, testaceae, articulo primo et secundo minus crassis quam in priori, alias omnino ut in illo constructae. Thorax sub-globosus, antice posticeque angustatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, ibique capite latior, supra pulvinatus, anterius laevis, versus basin punctatus, et foveolis obsoletis obliquis impressus. Elytrorum forma, punctura et pubescentia ut in priori. Abdomen, corpus et pedes etiam ut in illo, modo colore paulo pallidiora.

7. P. glabricollis: piceo-rufus, pubescens, antennis, palpis pedibusque testaceis, thorace globoso glabro, elytris punctatis, fronte bi-foveolata.

Rei-

Reichenb. Mon. Psel. 43. 8. *Tab.* 1. *f.* 8.

Var. *b*, corpore toto dilutius testaceo.

Habitat in Smolandia, rarissime, *Dom Wetterhall.*

Statura et magnitudo praecedentium, thorace magis globoso, glabro, fere laevi, praecipue distinctus. Caput latitudine thoracis, sub-triangulare, rufo-piceum, nitidum, fronte foveolis duabus majusculis, paribus, impressa, vertice elevato, laevi; oculi parvi nigri; palpi capite longiores, structura ut in prioribus. Antennae longitudine dimidii corporis, crassiusculae, testaceae, articulo primo magno, crasso, elongato; secundo aeque crasso, globoso, 3—8, parvis, rotundatis; 9, 10, gradatim majoribus, ultimo maximo, ovato. Thorax fere globosus, basi apiceque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, supra valde convexus, rufo-piceus, nitidus, glaber, fere laevis, modo versus basin obsoletissime impressus. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, rotundatis, posterius valde dilatata, apice recta truncata, supra modice convexa, saturatius picea, sat profunde punctata, pubescentia. Abdomen pone elytra breve, convexum, piceum, apice rotundatum. Pedes longiusculi, validi, testacei, femoribus clavatis.

Var. b, differt tantum colore pallidiore, dilute testaceo.

8. P. brevicornis: elongatus, rufo-testaceus, nitidus, glaberrimus, palpis, antennis pedibusque pallidis; antennarum clava maxima, thorace oblongo-ovato, postice transversim impresso.

Reichenb. Mon. Psel. 47. 10. *Tab.* 1. *f.* 10. *Zetterst. Act. Holm.* 1818. *p.* 262. 17.

Ha-

Habitat in Scania ad Abusam, prope Londinum, *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Minutus, elongatus, statura et magnitudine Ps. signato et Karstenii similis. Caput majusculum, rotundatum, rufo-testaceum, nitidum, fronte lineis duabus obliquis, antice convergentibus, impressa; oculi minuti nigri, semi-globosi. Palpi tenues pallidi, longitudine capitis. Antennae pallidius testaceae, breves, thoracis medium vix attingentes, articulis 1 et 2, crassioribus, oblongis, 3—8, minimis, coarctatis, nodosis; 9, 10, etiam brevissimis, transversis, sed paulo crassioribus, perfoliatis, ultimo maximo, ovato obtuso. Thorax capite non latior, sed latitudine longior, ob-ovatus, basi apiceque truncatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, posterius angustior, supra anterius convexus, laevis, glaber, versus basin foveolis tribus concatenatis, transversim positis, impressus, totus testaceus, nitidus. Elytra thorace latiora, praesertim posterius, sed illo parum longiora, apice truncata, supra convexa, rufo-testacea, nitida, glabra, stria suturali tenui, fere integra, et plica brevi in medio baseos impressa. Abdomen oblongo-ovatum, convexum, rufo-testaceum nitidum, glaberrimum, marginibus lateralibus parum elevatis. Pedes mediocres, pallidiores, femoribus anterioribus crassioribus clavatis, tibiis externe sub-dilatatis, tarsis elongatis, tenuibus.

Sect. 5ª: Palpis maxillaribus longitudine capitis, articulo ultimo conico.

Divis. 1ª: Thorace rotundato.

9. P. mucronatus: niger, fusco-pubescens, antennis, elytris pedibusque rufo-ferrugineis, thorace gibbo, linea semi-circulari ba-

baseos impresso, femoribus coxisque anticis spina acuta armatis.

Panz. Fn. Germ. 89. *f.* 11. *Crit. Rev.* 1. 62.

Pselaphus sanguineus, *Payk. Fn.* 3. 363. 1.

———— *insignis*, *Reichenb. Mon. Psel.* 60. 16. *Tab.* 2. *f.* 16.

Staphylinus sanguineus, *Linn. Syst. Nat.* 2. 685. 19. *Fn. Sv.* 853. *Oliv. Ent.* 3. 42. 24. 29. *Pl.* 6. *f.* 54. *a*, *b*.

———— *crassicornis*, *Fabr. S. El.* 2. 601. 64.

Habitat sub cortice arborum emortuarum et sub muscis, lapidibus, passim.

Major in hoc genere. Caput magnum, nigrum, versus os angustatum, fronte foveolis tribus, in triangulum dispositis, impressa; oculi nigri, minus prominuli. Palpi maxillares tenues pallidi, capite parum longiores, articulo primo clavato, basi tenui, secundo ob-conico, tertio conico, acuminato. Antennae dimidio corpore fere longiores, crassae, rufo-ferrugineae, articulo primo longiore, cylindrico, sub-crassiore, secundo ovato, aeque crasso, 3—8, minoribus, sub-globosis, 9, 10, gradatim majoribus, apice sub-truncatis, ultimo maximo, ovato, sub-acuminato, piloso. Thorax capite non latior, sed multo longior, antice angustatus, basi apiceque truncatus, lateribus vix rotundatus, supra valde convexus, gibbus, niger, pube subtilissima fusco ferruginea obductus; ante basin linea impressa semi-circularis, tenuis, versus latera in foveolam latiorem desinens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, sed illo parum longiora, vix dimidium abdominis tegentia, apice truncata, supra modice convexa, rufo-ferruginea, punctato-coriacea, pubescentia; juxta suturam elevatam stria tenuis impressa, integra; versus me-

medium baseos altera, antice lata et profunda, posterius evanescens, et sub callo humerali tertia, obsoleta. Abdomen pone elytra magnum, latum, convexum, nigrum, marginibus latis, alte reflexis, acutis. Corpus subtus nigrum, pectore nitido, ventre fasciis cinereo-pilosis ad margines segmentorum. Pedes longiusculi, tenues pallidius rufescentes, coxis intermediis in apice inferiore spina aut mediocri, recta, aut longiore arcuata armatis. Coxae primi paris etiam spina brevi acuta, et ipsa femora antica subtus, ante medium, spina simili instructa; tibiae longae, arcuatae, tenues; tarsi elongati pallidi.

Obs. Synonymon Cl. Linnaei forte huc pertinet, quemadmodum haec Species in Svecia non raro occurrit, et descriptio, etsi perbrevis, Insecto correspondet. Ps. sanguineus, Reichenb. Mon. Psel. 49. 11. Tab. 2. f. 11, quoad colores Ps. mucronato similis, sed abunde differt, thorace cordato, lateribus anterius dilatato, postice sulco profundo inciso, elytris laevibus, pedibus muticis, et quod dimidio minor; sed hic apud nos non inventus.

10. P. fossulatus: castaneus, sub-pubescens, palpis, antennis pedibusque ferrugineis, thorace cordato-globoso, foveolis tribus aequalibus impresso.

Reichenb. Mon. Ps. 54. 13. *Tab.* 2. *f.* 13.

Pselaphus Dresdensis, *Payk. Fn.* 3. 365. 3.

——— *castaneus*, *Beck. Beytr.* 11. 9. *Tab.* 2. *f.* 9.

Habitat sub muscis et lapidibus, rarius.

Praecedente fere dimidio minor, thorax multo brevior, aliter constructus; color variat, aut castaneus, aut piceo-rufescens. Caput triangulare, piceum, thorace minus, fronte foveolis tribus impressa; oculi globosi

bosi nigri, valde prominuli. Palpi longitudine capitis, rufo-ferruginei, crassiores quam in priori, articulo primo clavato, basi tenuissimo, secundo globoso, tertio crasso, conico. Antennae longitudine dimidii corporis, crassiusculae, statura ut in priori, ferrugineae, clava saepe saturatiore. Thorax sub-globosus, antice angustatus, lateribus valde ampliatus, basi truncatus, supra convexus, piceus nitidus, tenue pubescens, posterius foveis tribus majusculis, fere aequalibus, impressus, media baseos, et una versus latera utrinque. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, posterius nonnihil dilatata, apice truncata, supra modice convexa, castanea, saepe piceo-rufescentia, subtilissime punctulata, tenue pubescentia; juxta suturam stria integra impressa, et in medio altera, etiam apicem fere attingens. Abdomen latum, inflatum, obtusum, margine angustiore reflexo, castaneum, nitidum, sub-pubescens; segmentum primum pone elytra magnum, lineis duabus obsoletis divergentibus impressum. Corpus subtus rufo-piceum nitidum, laeve, sub-pubescens. Pedes longiusculi, dilutius rufo-ferruginei, femoribus anterioribus validis, clavatis.

Divisio 2^a: Thorace Angulato.

11. P. sulcicollis: rufo-testaceus pubescens, vertice longitudinaliter elevato, thorace angulato, cruciatim impresso, elytris apice externo incisis, antennarum clava elongata.

Reichenb. Mon. Psel. 62. 17. *Tab.* 2. *f.* 17.

Pselaphus Dresdensis, *Illig. Col. Bor.* 1. 290. 1.

Anthicus Dresdensis, *Fabr. S. El.* 1. 293. 13.

Habitat sub cortice arborum emortuarum et sub lapidibus, muscis, passim.

Mag-

Magnitudo variat; majores P. mucronato aequales, alii dimidio minores; color jam saturatius, jam dilutius rufo-testaceus, abdomine interdum castaneo. Caput majusculum, rotundatum, versus os angustatum, supra sub-depressum, pubescens, vertice inter lineas duas insculptas longitudinaliter elevato; oculi parvi, nigri. Palpi longitudine capitis, crassiusculi, pallidius testacei, articulo ultimo acuminato. Antennae longitudine dimidii corporis, crassiusculae, pilosae, saturatius ferrugineae, articulo primo longiore, crasso, cylindrico, secundo breviore, crassiusculo, ob-conico; 3—8, minoribus globosis, 9, 10, sensim majoribus, apice truncatis, distantibus, ultimo maximo, ovato, sub-acuminato, pallidiore. Thorax sub-cordatus, antice posticeque angustatus, lateribus paulo ante medium in angulum fere rectum ampliatus, margine ante angulum sub-elevato; supra in disco anteriore convexus, posterius depressus; in medio dorsi canalicula longitudinalis tenuis, ante basin cum fovea magna triangulari conjuncta, et haec iterum sulco transverso profundiore cum foveis lateralibus connexa, unde impressiones istae formam crucis quodammodo referunt. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, rotundatis, posterius multo latiora, apice truncata, supra parum convexa, dilutius testacea, pubescentia; stria suturalis sub-arcuata, integra, profunde impressa, et alia in medio baseos, abbreviata; juxta apicem externum baseos elytrorum incisura sat profunda pro receptione marginis elevati abdominis. Abdomen pone elytra latum, ovatum, obtusum, pubescens, saturatius ferrugineum, marginibus anterius elevatis. Corpus subtus pallidius testaceum, magis nitidum, tenue pubescens. Pedes elongati, tenues, pallide testacei, femoribus medio crassioribus.

12. P. ambiguus: elongatus, sub-depressus, castaneus, glaber, antennis pedibusque testaceis, thorace sub-cordato, postice foveolis tribus connexis impresso.

Rei-

Reichenb. Mon. Psel. 67. 19. *Tab.* 2. *f.* 19.
Habitat in Smolandia rarissime, *Dom. Liungh*; e Germania etiam a *Dom. Schüppel* benevole communicatus.

Minutus, angustus, fere linearis, sub-depressus; color aut saturate castaneus, aut dilutius rufo-piceus, praesertim in elytris. Caput sub-triangulare, depressum, castaneum, fronte fossulis duabus obsoletis, antice convergentibus impressa; oculi prominuli nigri. Palpi longitudine capitis, tenues, testacei. Antennae vix longitudine capitis cum thorace, minus crassae quam in prioribus, testaceae, articulo primo oblongo, secundo ovato, crassioribus; 3—8, parvis, coarctatis, globosis; 9, 10, iterum majoribus, lenticulatis, ultimo magno, ovato, sub-acuminato. Thorax latitudine paulo longior, lateribus nonnihil ampliatus, sed vix angulatus, supra anterius modice convexus, laevis, postice foveis tribus impressus, media triangulari, lateralibus rotundatis, omnibus sulco connexis; totus castaneus. Elytra thoracis medio vix latiora, quadrangularia, humeris rectangulis, apice recta truncata, supra parum convexa, aut castanea, aut rufo-picea, nitida, laevissima, stria suturali integra, et alia a medio baseos exeunte dimidiata, exaratis. Abdomen pone elytra illorum fere longitudine, sub-lineare, apice acuminatum, saturate castaneum, nitidum, marginibus anterius reflexis. Pedes breviusculi, testacei, femoribus in medio crassioribus, saepe saturatioribus, tarsis tenuibus, pallidis.

13. P. glabriculus: elongatus, sub-depressus, niger, nitidus, glaber, ore, antennis pedibusque rufo-testaceis, thorace cordato, postice foveola unica impresso.
Habitat sub cortice arborum emortuarum, rarissime.

Mag-

Magnitudo, statura et similitudo P. ambigui, sed differt thorace latiore, angulato-cordato, postice foveola tantum unica impresso etc. Corpus totum saturate nigrum, nitidum, glabrum. Caput thorace angustius, nigrum, nitidum, fronte foveolis binis, paribus impressa; oculi parum prominuli, nigri; os testaceum. Palpi capite breviores, tenues, testacei, acuminati. Antennae capite cum thorace breviores, pallide testaceae, structura ut in priori. Thorax cordatus, antice et praesertim postice angustatus, lateribus paulo ante medium fere rectangulariter ampliatus, angulo ipso callo elevato notato; supra anterius modice convexus, ante basin fovea rotunda simplici impressus, totus niger, nitidus. Elytra fere quadrangula, antice thoracis basi multo latiora et illo longiora, humeris elevatis, apice recta truncata, supra parum convexa, nigra, nitida, glabra; juxta suturam stria profunde impressa, integra, et alia e medio baseos exiens, dimidiata. Abdomen pone elytra illorum longitudine, nigrum, nitidum, disco convexum, marginibus elevatis, reflexis. Pedes breviusculi, rufo-testacei, femoribus clavatis, anticis crassioribus.

14. P. nanus: elongatus, sub-depressus, castaneus, nitidus, sub-pubescens, antennis crassioribus pilosis pedibusque testaceis, fronte triangulariter elevata, thorace cordato, profunde cruciatim impresso.

Reichenb. Mon. Psel. 69. 20. *Tab.* 2. *f.* 20.

Habitat sub cortice arborum emortuarum passim.

Statura et similitudo P. ambigui, sed paulo major, thorax cordatus, aliter insculptus, antennae paulo longiores, pilosae etc. Color aut castaneus, aut dilutius rufo-piceus. Caput majusculum, sub-triangulare, depressum, fronte foveolis duabus, antice coëun-

untibus impressa, plagam elevatam triangularem includentibus, in cujus vertice foveola parva impressa; oculi prominuli nigri. Palpi longitudine capitis, testacei, articulo ultimo acuminato. Antennae longitudine capitis cum thorace, crassiusculae, testaceae, pilosae, ceterum ut in prioribus, constructae. Thorax sub-cordatus, antice posticeque angustatus, lateribus fere angulariter ampliatus, supra parum convexus, castaneus, pubescens; ante medium baseos foveola triangularis, sulco sat profundo, transverso, cum foveola laterali utrinque connexa, et in disco antico striola abbreviata, leviter impressa. Elytra thoracis basi latiora et illo longiora, quadrangula, humeris elevatis; apice truncata, supra parum convexa, plerumque dilutius rufo-picea, nitida, subpubescentia, stria suturali integra, et alia in medio baseos, abbreviata. Abdomen pone elytra illorum fere longitudine, apicem versus angustatum, supra in disco convexum, marginibus lateralibus elevatis; totum castaneum, nitidum, pubescens. Corpus subtus dilutius piceo-testaceum, magis nitidum, parum pubescens. Pedes breviusculi rufo-testacei.

15. P. Karstenii: lineari-elongatus, subdepressus, rufo-testaceus, nitidus, subpubescens, pedibus pallidioribus, thorace cordato, leviter cruciatim impresso, fronte obsoletius bisulcata.

Reichenb. Mon. Psel. 71. 21. *Tab.* 2. *f.* 21.

Staphylinus minutus, *Marsh. Ent. Br.* 1. 511. 36. *teste Dom. Kirby.*

———— *sanguineus*, *Panz. Fn.* 11. *f.* 9.

Habitat sub cortice arborum emortuarum, passim.

Praecedenti quidem similis, sed minor, multo angu-

gustior, impressiones capitis thoracisque obsoletiores; corpus totum rufo-testaceum, pedibus pallidioribus, oculis solis nigris. Caput majusculum, sub-triangulare, depressum, rufo-testaceum, impressionibus et elevatione verticis omnino ut in P. nano, sed valde obsoletis; oculi parvi, nigri, prominuli; palpi breves, testacei, acuminati. Antennae vix thoracis basin attingunt, rufo-ferrugineae, pubescentes, structura ut in prioribus. Thorax capite longior, cordatus, antice et postice angustatus, lateribus ante medium fere rectangulariter ampliatus, supra parum convexus, totus rufo-ferrugineus, nitidus; foveolae et impressiones in dorso thoracis eaedem ac in priori, sed minus profunde insculptae, obsoletiores. Elytra etiam quoad formam ut in priori, supra sub-depressa, rufo-testacea, tenue pubescentia, stria sesqui-altera ut in reliquis impressa. Abdomen pone elytra illorum longitudine, lineare, rufo-testaceum, pubescens, marginibus elevatis. Pedes breviusculi, pallidi, femoribus parum incrassatis.

16. P. signatus: lineari-elongatus, subdepressus, rufo-testaceus pubescens, pedibus pallidioribus, fronte bi-foveolata, antice linea transversali impressa, thorace cordato, leviter cruciatim impresso.

Reichenb. Mon. Psel. 73. 22. *Tab.* 2. *f.* 22.

Habitat sub cortice arborum emortuarum rarius.

Magnitudo, statura, color et summa affinitas praecedentis, impressionibus capitis et pubescentia corporis paulo densiore, fere unice distinctus. Caput majusculum, sub-triangulare, depressum, rufo-testaceum, antice inter antennarum insertionem striga transversa impressum, et in fronte foveolis binis, jam evidentioribus, jam parvis, obsoletis, notatum; oculi mi-

nuti nigri, parum prominuli; palpi ut in praecedente. Antennae etiam ut in illo, breves, crassiusculae, dense pilosae. Thorax, elytra, abdomen, omnino ut in priori, modo pubescentia paulo densior videtur. Pedes breviusculi, pallidi, femoribus parum crassis.

CLAVIGER.

Obs. Oculatissimus Dom. Pastor P. W. Müller, in Germ. Mag. 3. p. 69. et sequ. singularis hujus Generis Characteres, Specierum cognitarum descriptiones et miram oeconomiam exquisitissime elaboravit, quare verbis ejus uti liceat:

Os apertura transversa, magna, ovato-angulata, instrumentis cibariis exterius clausa. Palpi antici brevissimi, sub-cylindrici, polliciformes, indistincte articulati, apice bi-unguiculati. Maxilla bifida, laciniis multifidis, subulatis. Labium quadratum, apice rotundatum. Oculi latentes aut nulli. Antennae sex-articulatae, primis duobus minutis, ultimo maximo, cylindrico, truncato. Tarsi triarticulati, teretes: articulis duobus baseos brevissimis, ultimo longissimo, uniunguiculato.

1. C. foveolatus: testaceus, antennis incrassatis, cylindricis, articulis intermediis sub-hemisphaericis, abdomine ovato, fovea baseos semi-ovata, profunde impressa, segmentis dorsalibus nullis.

Mül-

Müller. in Germ. Mag. 3. 75. 1.

Claviger testaceus, *Panz. Fn.* 49. *f.* 3.

Habitat sub lapidibus, locis aridis, in societate cum formicis minimis flavis, passim.

Corpus parvum, ovatum, anterius angustatum, rufo-testaceum, nitidum, supra, abdominis antica parte excepta, tenue pallido-pubescens. Caput porrectum, thorace vix brevius sed angustius, posterius nonnihil attenuatum, angulis posticis longius pilosis, pilis conniventibus, spinulam mentientibus; supra convexum, rufo-testaceum, pubescens; oculi vix ulli. Antennae capitis apici, in fovea lata, profunda, laterali insertae, capite parum longiores, sex-articulatae, articulo primo et secundo parvis, rotundatis; reliqui valde crassi, simul clavam cylindricam, exterius sensim crassiorem formantes, articulis tamen invicem plus minusve distantibus, tertio, quarto et quinto brevibus, perfoliatis, sub-hemisphaericis, ultimo proxime praecedentibus plus duplo longiore, crasso, cylindrico, apice truncato; clava tota pilis parvis erectis adspersa et ad margines ciliata. Thorax capite parum longior, sed fere duplo latior, ovalis, antice rotundatus, lateribus prope apicem impressus, supra anterius convexus, posterius declivis, cum foveola impressa ante medium baseos; jam dilutius testaceus, jam castaneus, pubescens. Scutellum nullum. Elytra brevia, tertiam tantum partem abdominis tegentia, basi thorace parum latiora, versus apicem valde dilatata, sub-triangularia, apice truncata, cum emarginatura parva juxta angulum lateralem, e qua erumpunt fasciculi e pilis longis, rigidis, flavescentibus, condensatis; supra anterius singulatim convexa, posterius valde declivia, thoraci concolora. Alae nullae. Abdomen pone elytra magnum, latum, convexum, quasi inflatum, marginibus elevatis; anterius laeve, glabrum, in-articulatum, apice inflexum, evidenter bi-articulatum, anali parvo, triangulari; in dorsi antici medio, mox pone elytra, fovea

vea magna, profunda, semi-ovalis, in fundo tuberculo oblongo, obsoleto notata. Corpus subtus rufo-testaceum, nitidum, glabrum, stria laterali pectoris pilosa utrinque excepta; venter distincte articulatus. Pedes breviusculi, validi, femoribus sub-cylindricis, tibiis aeque latis, sed sub-compressis, rectis, tarsis angustis, cylindricis, triarticulatis, primis duobus minutis, tertio longiore, ungulo unico simplici instructo. Femora intermedia in masculis juxta basin subtus spinula sub-arcuata armata, et in tibiis ejusdem paris interne versus apicem etiam denticulus parvus, acutus, conspicitur.

Obs. Quemadmodum tarsi, observante Dom. Müller, vere tri-articulati, ad sectionem Trimerorum referendum est hoc Genus.

Appendix
ad
Insecta Svecica.

Pars quarta,

continens addenda et emendanda Partibus prioribus.

Pars 1ma.

Fam. 1. *Scarabaeides, Lamellicornes. Dejean.*

GEOTRUPES.

1. G. nasicornis p. 2.

SCARABAEUS.

1. S. Typhoeus p. 3.
2. S. mobilicornis p. 3. Odontaeus id; Dej. Cat. p. 56.
3. S. stercorarius p. 4.

Var. *b*, corpore toto brunneo vel piceo, subtus violaceo-micante. Occurrit minus frequens cum *a*.

Obs. In masculis tibiae anticae apice parum latiores, et femora postica subtus in medio dente valido armata (S. Spiniger, Marsh. Ent. Br. 1. 21. 33.); coxae apex protuberans dentem alterum mentitur; in femina tibiae anticae latiores et femora postica in-

ermia; observante Dom. Malinofski in Nov. Act. Hall. 1. 6. 11.

4. S. sylvaticus p. 4.

Var. *b*, supra aut coeruleo-virescens, aut nigro coeruleus. Sat frequenter cum *a*, occurrit. Variat valde magnitudine.

5. S. vernalis p. 5.

Obs. Mas differt a femina dente extimo tibiarum anticarum bifido aut emarginato, femoribusque posticis sub-serratis. Malinofski Nov. Act. Hall. 1. 6. p. 53.

PSAMMODIUS.

1. P. arenarius p. 6.
2. P. elevatus p. 6. et add. p. 556. var. b, 3 add. p. 671.
3. P. sabuleti p. 7.
4. P. porcatus p. 8.
5. P. asper p. 9.
6. P. sulcicollis p. 9. et add. p. 556.
7. P. vulneratus: breviter ovatus, convexus, niger, capite antice, thoracis lateribus pedibusque ferrugineis, thorace profunde punctato, utrinque foveola arcuata impresso, elytris sulcato-punctatis.

Aphodius vulneratus, *Sturm. Fn. Germ.* 1. 175. 64. *Tab.* 15. *f. d. D. Schönh. Syn.* 1. 88. 84.

Habitat in arenosis Scaniae *Dom. Com. Mannerheim.*

Statura Ps. sulcicollis, sed plerumque dimidio minor. Caput angulatum, convexum, antice profunde emar-

emarginatum, ferrugineum, posterius nigrum, rugoso-punctatum. Antennae pallide rufescentes. Thorax transversus, antice paulo latior late emarginatus, angulis obtusis, lateribus deflexis, rotundatis; basi subtruncatus, supra convexus, fere pulvinatus, confertim et profunde rugoso-punctatus, niger sub-nitidus, margine antico anguste pallido, lateribus obscure ferrugineis; intra angulum anticum utrinque sulcus obliquus, angustus, cum fovea laterali transversa confluens. Scutellum depressum, oblongo-triangulare nigrum. Elytra latitudine thoracis, sed illo vix triplo longiora, apice rotundata, supra valde convexa, praesertim posterius; nigro-picea sub-nitida, profunde sulcata, sulcis punctatis interstitiis planis laevibus. Corpus subtus nigro-piceum nitidum, lateribus parce punctatum, ventre laevi. Pedes breves validi rufo-ferruginei.

TROX.

1. S. sabulosus p. 10.
2. T. arenosus p. 11. Tr. hispidus, Dej. Cat. p. 56. forte id. Fabr.
3. T. arenarius p. 11.

APHODIUS.

1. A. fossor p. 12.
2. A. terrestris p. 13.
3. A. foetens p. 13.
4. A. fimetarius p. 14.

Var. *b*, corpore subtus rufo-testaceo.

Habitat cum a, rarius, cui simillima, colore paginae inferioris ferrugineo tantum distincta.

Var. *c*, rufo-testaceus, capite aut toto aut antice saltem nigro, scutello piceo.

Ha-

Habitat in Gottlandia et prope Holmiam. *Mus. Dom. Schönherr.*

Colore excepto, cum a, in omnibus conveniens. Caput aut totum, aut antice saltem nigrum. Thorax saturate rufus, angulo antico utrinque pallidiore. Elytra pallidius rufa. Corpus subtus totum rufo-testaceum.

Obs. Thorax crebrius punctatus et striae elytrorum minus profundae, speciem a praecedente praecipue distinguunt.

4-5. A. autumnalis: brevis, testaceus nitidus, clypeo tri-tuberculato, scutelloque nigris, elytris testaceo-rubris, punctato-striatis, striis crenulatis.

Sahlb. Ins. Fen. 2. 9. 18. *Schönh. Syn.* 1. 72. 20.

Scarabaeus autumnalis, Naezén. Act. Holm. 1792. *p.* 167. *n.* 1.

Habitat Uhmae *D. Naezén.*; ad Vasam a *D. Vasastjerna* sero autumno captus.

Ab A. fimetario, cujus varietatem immaturam credidit Dom. de Paykull, cuique valde similis et affinis, differre tamen videtur, monente Dom. Prof. Sahlberg, loc. cit. praecipue corporis forma breviore, ovata, striis elytrorum magis crenatis, colore etc. — Insectum genuinum non vidi, quare descriptionem, Dom. Naezenii affero:

„Clypeus rotundatus, emarginatus, niger, glaber, tuberculis tribus, intermedio sub-cornuto. Antennae palpique testacei. Thorax elytris adaequatus marginatus, laevis glaber, testaceus, punctis excavatis, lateribus ciliatis pallidis, fossula antice obscuriori. Scutellum nigricans. Elytra testacea, postice valde convexa, novem striata, striis crenatis. Inter strias, facile non omnes, apparent, oculo licet armato, ducti, flexuosi pallidi. Dimidium alae ad apicem fuscum.

scum. Pectus et abdomen testacea. Pedes testacei, anteriores subtus pilosi. Magnitudine fere aequat Sc. fimetarium, cui similis; sed ab eo differt: corpore, excepto clypeo, testaceo, pilis subtus destituto, magisque ovato."

Var. *b*, capite rufo, scutello piceo, ceterum ut a.

Habitat in Bothnia occidentali rarissime. *Mus. Dom. Schönherr.*

Huc pertinere autumo, etsi genuinum non vidi. Caput rufo-ferrugineum nitidum, punctulatum, tuberculis tribus verticis, lineaque arcuata anteriore elevatis. Thorax rufo-ferrugineus nitidus, angulis anticis inaequaliter pallidis; punctura thoracis omnino ut in A. fimetario, crebrior et profundior quam in Aph. foetente. Scutellum rufo-piceum punctatum. Elytra breviora quam in A. fimetario, pallide testacea, parum profunde striata, striis evidentius crenatis quam in prioribus, striolis nempe transversis paulo longioribus; in interstitiis plerisque linea longitudinalis flexuoso-undulata pallida probe intuenti detegitur. Corpus subtus pallide testaceum, punctatum anterius parce pilosum. Pedes validi toti testacei.

5. A. Lapponum p. 15.
6. A. scybalarius p. 15.
7. A. erraticus p. 16.
8. A. subterraneus p. 17.
9. A. haemorrhoidalis p. 18.
10. A. granarius p. 18. Aph. carbonarius, Dej. Cat. p. 55.
11. A. granum p. 19.
12. A. tristis p. 20.
13. A. putridus p. 21. Aph. pusillus, Dej. Cat. p. 55.

13–14. A. **borealis**: nigro-piceus nitidus, clypeo vix punctulato, evidenter tri-tuberculato, thoracis lateribus anterius rufis, elytris leviter punctato-striatis, posterius rufo-piceis.

Var. *b*, elytris totis dilutius rufo-piceis.

Habitat in Lapponiae stercoratis. *Dom. Praepos. Zachar, Grape* et *Prof. Zetterstedt.*

Medius quasi inter Aph. putridum et piceum; a priori differt corpore duplo majori, minus convexo; a posteriori, cui valde affinis, magnitudine paullo minori, clypeo subtiliter tantum punctato, ut et colore. Caput angulatum nigrum, antice utrinque elevato-marginatum, ferrugineo-trans-lucens, supra obsolete subtiliter punctulatum, in vertice tuberculis tribus armatum, medio validiore, lateralibus oblongis, et praeterea anterius linea elevata, arcuata, abbreviata. Antennae ferrugineae. Thorax brevis transversus, antice late sed parum profunde emarginatus, lateribus rotundatus, reflexo-marginatus, basi sub-rotundatus, angulis obtusis; supra valde convexus, aequalis, minus crebre, vage punctatus, niger, nitidus, angulo antico utrinque plus minusve rufescente. Scutellum oblongo-triangulare, acutum, piceum, punctatum, carinula apicis elevata. Elytra thoracis basi non latiora, sed illo plus triplo longiora, apice rotundata, supra valde convexa, minus profunde striata, striis e lineolis transversis crenatis; nitida, in a, nigra, tuberculo humerali apiceque rufo-piceis; in var. b, fere tota rufo-picea. Corpus subtus nigrum, punctatum, ano piceo. Pedes validi rufo-ferruginei.

Obs. Aphodius constans Megerle, Dufts. Fn. Austr. 1. 94. 8. huic simillimus et valde affinis, sed differt: Thorace toto nigro, absque angulis anticis rufescentibus; tuberculis capitis majoribus, pedibus saturatius nigro-piceis, ut et patria diversa.

14. A. piceus p. 21.

Scarabaeus foetidus var. γ. Payk. Fn. 1. 26. 31.

Obs. Macula rufa in angulis anticis thoracis saepe obsoleta.

15. A. inquinatus p. 22.

16. A. sticticus p. 23.

17. A. conspurcatus p. 24.

18. A. tessulatus p. 25.

18–19. A. maculatus: brevis, convexus, capite tri-tuberculato thoraceque punctatissimis nigris, rufo-marginatis, elytris crenato-striatis rufis, nigro-maculatis.

Creutzer. Sturm. Schönh. Syn. 1. 74. 31. *Zetterstedt Act. Holm.* 1824. *p.* 149. 42.

Var. *b*, maculis elytrorum in fascias obliquas confluentibus. *Schönh. l. c. var. β.*

Habitat in Blekingia, *Dom. Billberg.*

Var. *b*, in Gottlandia, *Dom. Faehreus. Mus. Dom. Schönherr.*

Rarius apud nos occurrit.

Statura brevis, convexa et magnitudo Aph. tessulati. Caput angulatum, convexum, confertissime punctatum, nigrum, limbo toto rufo-ferrugineo, anguste nigro-marginato; in vertice tubercula tria, medio majore, lateralibus oblongis. Antennae et Palpi rufescentes. Thorax brevis, antice emarginatus, angulis prominulis rotundatis, lateribus et postice rotundatus, supra valde convexus, confertissime et sat profunde punctatus, niger, parum nitidus, limbo laterali rufescente. Scutellum triangulare piceum punctatum. Elytra antice latitudine thoracis, pone medium latiora, apice rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, sulcis latis, transversim strigoso cre-

crenatis, posterius profundioribus exarata, interstitiis sub-tricarinatis, media elevatione; rufa, non nitida, nigro-maculata, maculis in series duas oblique transversales arcuatas collocatis, in var. b, dilatatis et confluentibus. Corpus subtus nigro-piceum punctatum, ventre pallidiore. Pedes validi rufo-testacei.

19. A. sordidus p. 26.

20. A. rufescens p. 27.

Var. *d*, capite fusco-piceo, thorace nigro lateribus rufescentibus, elytris rufo-brunneis, pectore nigro, pedibus piceis. Habitat in Gottlandia, *Mus. Dom. Schönherr.* Magnitudo, statura et punctura omnino ut in a, sed color obscurior. Caput postice nigro-piceum, anterius dilutius piceo-ferrugineum. Thoracis discus niger, nitidus, lateribus obscure ferrugineis. Elytra rufo-brunnea, sutura margineque obscurioribus. Pectus nigro-piceum; venter rufo-testaceus. Pedes rufo-picei.

21. A. nitidus p. 28.

22. A. lividus p. 28. Aph. anachoreta, Dej. Cat. p. 54.

23. A. merdarius p. 29.

24. A. bi-maculatus p. 30.

25. A. niger p. 30.

26. A. plagiatus p. 31.

27. A. rufipes p. 31.

28. A. nigripes p. 32.

29. A. depressus p. 33.

Var.

Var. *d*, elytris antice dimidiato-rufis, postice nigris. Habitat in Gottlandia. *Mus. Dom. Schönherr.*

30. A. luridus p. 33.
31. A. lutarius p. 34.
32. A. contaminatus p. 35.
33. A. prodromus p. 36. Aph. pubescens, Dej. Cat. p. 54.
34. A. sphacelatus p. 37. Aph. consputus, Dej. Cat. p. 54.
35. A. foetidus p. 38.
36. A. sus p. 39. Var. obscurior Pars 3. add. p. 671.

In Blekingia, a *Dom. Prof. Sahlberg* et *Com. Mannerheim* copiose lectus.

37. A. testudinarius p. 40.
38. A. villosus p. 40.
39. A. scropha p. 41.
40. A. 4-guttatus p. 41.
41. A. 4-maculatus p. 42.
42. A. arenarius p. 42.

COPRIS.

1. C. lunaris p. 43.

Obs. Copris emarginata a Dom. Com. Dejean ut Species propria consideratur. Cat. Ins. p. 52.

1-2. C. taurus: Pars 3. add. p. 671. *Schönh. Syn.* 1. 46. 85.

Obs. Insectum hoc jam multoties in Gottlandia lectum ex utroque sexu, sed semper modo Varietas

„Cor-„

„Cornibus brevissimis, fere nullis," Dufts. In. Aust. 1. 150. 13. var. *γ*.

2. C. austriaca p. 44.

Var. *b*, elytrorum disco toto nigro.

Sahlb. Ins. Fen. 2. 13. 1. *var. b.*

Habitat in Finlandia rarissime. *Dom. Sahlberg.*

Not. Specie haud diversa, quamvis colore elytrorum valde differt. Clypeus et Thorax ut in a. Elytra fere tota nigra, sed basis linea introrsum inaequaliter denticulata, ad apicem macula parva et summo margine exteriori griseo-luridis. Sahlberg l. c.

3. C. media p. 43.

Onthophagus medius, Dej. Cat. p. 53.

3-4. C. vacca: virescenti-aenea, clypeo emarginato, elytris ochraceis, viridi-punctatis.

Mas: occipite spina recurvata, basi utrinque unidentata.

Femina: Clypeo lineis duabus elevatis transversis, postica utrinque in spinam erecta.

Schönh. Syn. 1, 47. 88. *Sahlb. Ins. Fen.* 2. 14. 2.

Habitat in Finlandia rarissime. *Dom. Bonsdorf.*

Statura et magnitudo C. austriacae. Capitis clypeus productus, antice leviter emarginatus, supra depressus, confertim punctatus, niger; in vertice maris lamina lata, erecta, utrinque denticulo armata, apice in spinam recurvatam attenuata. Antennae et palpi picei. Thorax amplus antice late et profunde emarginatus, angulis prominulis sub-acuminatis, lateribus rotundatus, pone medium dilatatus, basi sub-sinuatus, supra convexus, in medio obsolete canaliculatus, antice valde retusus, praesertim in medio, pro receptione

tione laminae verticis; confertim granuloso-punctatus, pubescens, obscure virescenti-aeneus. Elytra quoad formam et puncturam ut in prioribus, pallide ochracea, punctis parvis virescentibus absque ordine adspersa. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, lateribus punctatum, longius pubescens. Pedes validi nigri, punctati et pilosi.

In clypeo feminae lineae duae transversae elevatae anteriore minore, arcuata, posteriore valde elevata et utrinque in spinam erectam exeunte. Thorax antice bis impressus, tuberculo medio interjacente producto. Caetera ut in mare.

4. C. nuchicornis p. 46.

5. C. fracticornis p. 47.

6. C. ovata p. 48.

7. C. Schreberi p. 48.

CETONIA.

1. C. marmorata p. 49. *Schönh. Syn.* 3. 122. 45.

Var. *b*, minor, capite, thorace scutelloque olivaceo-aeneis, elytris rufo-ferrugineis.

Habitat in Fennia Australi rarissime. *Dom. Sahlberg.*

2. C. aenea p. 50. *Schönh. Syn.* 3. 119. 38.

3. C. aurata p. 51. *Schönh. Syn.* 3. 117. 37.

Var. *b*, tota supra et subtus cupreo-aurea. *Schönh. l. c. var. β.*

Habitat cum praecedente passim.

Var. *c*, nigricans, certo situ cupreo-micans, maculis ut in a. *Schönh. l. c. var. δ.*

Ha-

Habitat in Gottlandia rarissime. *Dom Odliner. Mus. Dom. Schönherr.*

4. C. sticticap. 52. *Schönh. Syn.* 3. 140. 136.

TRICHIUS.

1. T. fasciatus p. 53. *Schönh. Syn.* 3. 103. 10.

Var. *b*, *Schönh. l. c. var.* ε. *Sahlb. Ins. Fen.* 2. 17. 1. *var.* ζ.

Var. *c*, fascia anterior elytrorum lata, juxta suturam versus apicem decurrens, non vero posteriori juncta; posterior abbreviata, lunata, libera.

Schönh. l. c. var. β. *Sahlb. l. c. var. d.*

Habitat cum a rarius.

Var. *d*, fascia anteriore etiam lata, decurrente, posteriore in medio interrupta, macula exteriore transversa libera.

Schönh. l. c. var. γ. *Sahlb. l. c. var. e.*

Habitat cum a rarius.

Var. *e*, fascia anteriore ut in *c*, *d*; loco fasciae posterioris maculae duae liberae, transversim positae, exteriore majore triangulari, interiore parva rotundata.

Schönh. l. c. var. d. Sahlb. l. c. var. f.

Habitat in Svecia et Finlandia rarius.

Var. *f*, fascia elytrorum anteriore ad basin usque dilatata, juxta scutellum fulvo-tincta, macula humerali magna atra, et alia ver-

versus scutellum parva, oblonga; fascia posteriore ut in a.

Sahlb. l. c. var. c.

Habitat in Westrogothia rarissime. *Mus. Dom. Schönherr;* in Finlandia *Dom. Sahlberg.*

Var. *g*, fasciis elytrorum duabus luteis, interne confluentibus, anteriore versus scutellum dilatata, ibique fulvo-tincta.

Sahlb. l. c. var. b.

Habitat in Finlandia, *Dom. Sahlberg.*

Var. *h*, fasciis duabus transversis liberis, lineaque juxta suturam decurrente, a fascia anteriore distincta, flavis.

Sahlb. l. c. var. g.

Habitat ad Vasam. *Dom. Vasastjerna.*

Var. *i*, fascia anteriore decurrente, extrorsum interrupta, puncto ad marginem minutissimo; posteriore in maculas duas parvas liberas divisa.

Sahlb. l. c. var. h.

Habitat ad Vasam. *Dom. Vasastjerna.*

Var. *k*, fascia elytrorum anteriore decurrente, externe et postice interrupta, puncto ad marginem externum, alteroque ad suturam minutissimo, fascia posteriore angustiore, parum arcuata, libera.

Sahlb. l. c. var. i.

Habitat in Fennia Australi *Dom. Sahlberg.*

Var.

Var. *l*, fascia elytrorum tantum unica anteriore flava, ad suturam decurrente.
Sahlb. l. c. var. b.
Habitat in Fennia Australi. *Dom. Sahlberg.*

2. T. nobilis p. 54. *Schönh. Syn.* 3. 107. 7.
3. T. octo-punctatus p. 54. *Schönh. Syn.* 3. 102. 8.
4. T. eremita p. 55. *Schönh. Syn.* 3. 99. 2.
5. T. eremiticus p. 56.

Obs. Certe femina praecedentis. Schönh. 1. 6.

HOPLIA.

1. H. graminicola p. 57. *Schönh. Syn.* 3. 161. 8.
2. H. argentea: nigro-fusca, sub-depressa, antennis, palpis, elytris pedibusque rufo-testaceis, clypeo reflexo, integro, thorace corporeque squamulis virescenti-argenteis parce adspersis.

Zetterst. Act. Holm. 1824. *p.* 150. *n.*43. *Fabr. Eleut.* 2. 178. 105.?
Hoplia Philanthus, *Latr. Gen. Ins.* 2. 115. 1.?
Habitat in campis arenosis Scaniae, ad Kiefflinge et Lomma. *Dom. Prof. Zetterstedt*; etiam prope Gothoburgum a *Dom. Ackerman* lectam esse, refert *Dom. Zetterstedt* loc. cit.

Statura et fere magnitudo Melolonthae horticolae, praecedenti plus duplo major. Caput subquadratum, depressum, nigrum, opacum, granulatum, squamulis minutis viridi-argenteis, depressis, parce ad-

adspersum; antice rufo-testaceum, margine alte elevato, reflexo, integro; oculi parvi, depressi, brunnei; os et palpi rufescentes. Antennae decem-articulatae, ferrugineae, clava obscuriore. Thorax brevis, antice emarginatus, lateribus rotundatus, basi sinuatus, supra parum convexus, niger, opacus, granulatus, fusco-pubescens, immixtis squamulis paucis, parvis, depressis, virescenti-argenteis. Scutellum semi-ovale, piceum. Elytra thorace parum latiora, sed triplo longiora, apice singulatim rotundata, supra depressa, sub-inaequalia, confertim, obsolete punctata, rufo-testacea, opaca, versus apicem parce squamosa. Pygidium sub-conicum, nigrum, squamulis latioribus viridi-argenteis, depressis, densius adspersum. Corpus subtus nigrum, opacum, pectore squamulis angustis, ventre latioribus, viridi-argenteis, depressis, sat crebre adspersis. Pedes elongati, validi, toti rufo-testacei, pubescentes.

Synonymia hujus speciei vix pro certo extricanda.

MELOLONTHA.

1. M. Fullo p. 58. *Schönh. Syn.* 3. 165. 1.
2. M. vulgaris, add. p. 556. *Schönh. Syn.* 3. 165. 3.

2-3. M. Hippo-castani, add. p. 558. *Schönh. Syn.* 3. 167. 4.

3. M. solstitialis p. 60. *Schönh. Syn.* 3. 174. 50. *App.* p. 86.

Obs. Postquam detecta est nova valde affinis Species, M. Fallenii nempe, character specificus emendandus.

M. Solstitialis: villosa, fusco-picea, clypeo thoracisque lateribus rufo-testaceis, elytris pallidis obsolete punctatis, albo-li-

neatis, pygidio granulato pallido, longius villoso.

3-4. M. Fallenii: villosa fusco-picea, clypeo, thoracis lateribus elytrisque rufo-testaceis, pygidio punctulato testaceo; villositate thoracis densa erecta.

Schönh. Syn. 3. 175. 51. *App. p.* 85. 118.

Habitat in Svecia meridionali passim. In Blekingia *Dom. Billberg* et *Mannerheim*, in Scania *Dom. Schönherr*, in Oelandia *Dom. Marklin*.

M. Solstitiali simillima et valde affinis, sed fere triplo minor. Elytra rufo-testacea, evidentius rugoso-punctata, absque lineis. Pygidium punctulatum, nec granulatum etc. Frons et vertex nigro-picea, pallido-pilosa, crebre et profunde rugoso-punctata; in medio frontis foveola longitudinalis impressa, et inter oculos rugula transversa interrupta, obsoleta; clypeus brevis, linea impressa a fronte distinctus, rufo-testaceus, crebre subtilius punctatus, alte reflexo-marginatus, margine brunneo, antice retuso, vix vero emarginato; oculi brunnei. Antennae rufo-testaceae, clava maris magna, elongata. Thorax transversus, antice angustior, parum emarginatus, lateribus rotundato-dilatatus, margine angusto, obsolete crenulato; basi bi-sinuatus, angulis sub-rectis; supra convexus, fusco piceus, lateribus late rufo-testaceis; in disco creberrime, versus margines parcius subtiliter punctulatus, undique pilis longis pallidis, parum reclinatis, dense vestitus; in medio dorsi canalicula longitudinalis impressa punctata. — Scutellum breve, latum rufo-testaceum, crebre punctatum, apice obtuse rotundatum, basi lana longa flavescente tectum. Elytra thorace plus triplo longiora, apice truncata, supra modice convexa, rufo-testacea nitida, sat crebre et evidenter punctata, versus suturam rugulosa, costisque non-

nonnullis elevatis notata, pilis pallidis, in ambitu scutelli longioribus erectis, in reliqua superficie parvis, rarioribus, reclinatis adspersa. Pygidium cordiforme, convexum, pallidius, testaceum, crebre subtiliter punctulatum, pilis brevibus erectis parce adspersum. Pectus fusco-piceum, crebre subtiliter punctulatum, lana longa densa molli pallida vestitum; abdomen fusco-piceum, subtilissime crebre punctulatum, pilis depressis cinereo-albidis undique, versus latera densius, tectum, et praeterea in cujusvis segmenti medio series e pilis erectis rigidis spiniformibus castaneis. Venter maris in medio canaliculatus, feminae convexus. Pedes longiusculi rufo-testacei nitidi, parcius pilosi et punctati. Tibiae anticae externe brunneo-marginatae, plerumque modo dente apicali, interdum altero superiore parvo armatae.

4. M. brunnea p. 61. *Schönh. Syn.* 3. 178. 71. *Omaloplia id. Dej. Cat. p.* 59.

5. M. Frischii p. 62. *M. Julii var. Schönh. Syn.* 3. 193. 154. *var.*

6. M. Julii p. 62. *Schönh. Syn.* 3. 193. 154. *Anomala id. Dej. Cat. p.* 58.

Obs. Forte modo var. praecedentis.

7. M. horticola p. 63. *Schönh. Syn.* 3. 200. 179. *Anisoplia id. Dej. Cat.* p. 58.

Var. *c*, elytris obscure testaceis, sutura margineque infuscatis. *Schönh. l. c. var. β.*

Habitat cum *a* et *b*, passim.

Fam. 2. Lucanoides. Sub Fam. Lamellicornium. Dej.

LUCANUS.

1. Cervus p. 65. *Schönh. Syn.* 3. 318. 3.

2. L. Hircus p. 66. *Schönh. Syn.* 3. 321. 4.
L. Capreolus, *Dej. Cat. p.* 62.

3. L. Paralellipipedus p. 67. *Schönh. Syn.* 3. 325. 26.

PLATYCERUS.

1. P. Tenebrioides p. 69. *Schönh. Syn.* 3. 328. 1.

2. P. Caraboides p. 70. *Schönh. Syn.* 3. 329. 2.
Var. *b*, thorace punctis duobus impressis. *Fallén. Obs. Ent.* 9. 19. *Schönh. Syn. l. c. var.* ϑ.

3. P. Rufipes p. 70. *Dej. Cat. p.* 62.
Pl. Caraboides, *Schönh. Syn.* 3. 329. 2. *var.* γ, δ, et forte nonnisi var. praecedentis.

AESALUS.

1. AE. Scarabaeoides P. 3. add. 673. *Schönh. Syn.* 3. 231. 1.

SINODENDRON.

1. S. Cylindricum p. 71.

Obs. Variat valde magnitudine. Occurrit etiam colore totius corporis ferrugineo, immaturum forte.

TROGOSITA.

1. T. mauritanica p. 72.

Obs. Dom. Com. Dejean in Cat. p. 103. hoc genus ad sectionem Tetramerorum et familiam Xylophagorum refert, et quidem jure.

Fam.

Fam. 3. Histeroides p. 74.

Obs. Familia: Clavicornes, in Catalogo Dom. Dejean, pag. 46., Insecta hujus familiae, cum nonnullis aliis Generibus continet.

HISTER.

1. H. unicolor p. 74. *Payk. Monogr. Hist.* 19. 10. *Tab.* 2. *f.* 7.
2. H. brunneus p. 75. H. cadaverinus, *Payk. Monogr. Hist.* 21. 12. *Tab.* 2. *f.* 8. *Dej. Cat. p.* 47.

Var. *b*, stria elytrorum quarta etiam abbreviata. *Payk. l. c. var. β.*

Var. *c*, elytris ad basin interiorem striola brevi profunde impressa notatis.

H. striola, *Sahlb. Ins. Fen.* 3. 25. 3.

Habitat in Finlandia rarissime. *Dom. Sahlberg;* in Westrogothia cum *a* et *b*, aliquoties quoque legit auctor.

Cum genuina specie omni puncto conveniens est haec varietas, praeter striolam inter scutellum et striam quartam profunde exaratam, brevem; quod striolae istae accidentales tantum sint, eo certius constat, quum specimen possideo, in quo striola ista in elytro sinistro adest, sed non rudimentum ejus in dextro. Praeterea flagellum antennarum etiam in a, ferrugineum, et punctula impressa in thorace interdum observantur.

Occurrit etiam H. brunneus denticulis tibiarum anticarum obsoletis, ut margo tantum leviter undulatus appareat.

3. H. merdarius p. 76. *Payk. Monogr. Hist.* 22. 13. *Tab.* 3. *f.* 1.

4. H.

4. H. 4-maculatus p. 77. *Payk. Monogr. Hist.* 14. 6. *Tab.* 12. *f.* 1.
H. lunatus, *Dej. Cat. p.* 47.
5. H. sinuatus p. 78. *Payk. Monogr. Hist.* 29. 18. *Tab.* 12. *f.* 2.
6. H. 4-notatus p. 78. *Payk. Monogr. Hist.* 28. 17. *Tab.* 12. *f.* 3.
7. H. parvus p. 79. *a.* H. bis-sex-striatus. *Payk. Monogr. Hist.* 32. 21. *Tab.* 3. *f.* 3. *Dej. Cat. p.* 47.
Var. *b*, *Payk. l. c. var. β.*
Var. *c*, elytris striola abbreviata profunde impressa ad basin interiorem versus scutellum.
Habitat cum var. *b*, cui in ceteris simillima, rarissime licet.

7-8. H. corvinus: ater nitidus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, thorace stria laterali unica, elytris sex-striatis, interioribus abbreviatis, tibiis anticis 4-dentatis.
Germ. It. Dalmat. p. 85. 37.
Dej. Cat. p. 47. *H. bis-sex-striatus var. Payk. Monogr. Hist.* 32. 21. *not. H* 12-*striatus. Dufts. Fn. Austr.* 1. 216. 10.
Habitat in stercoratis rarius; in Hallandia et Westrogothia.

H. parvo, a, ut ovum ovo simillimus; differt tantum: Antennis pedibusque dilutius rufo-ferrugineis, thoracis angulis anticis minus productis, et praecipue quod striola anguli antici thoracis omnino deest.

Va-

Variat ut H. parvus, stria elytrorum quarta etiam abbreviata.

8. H. bi-maculatus p. 80. *Payk. Monogr. Hist.* 34. 23. *Tab.* 3. *f.* 6.

9. H. purpurascens p. 81. *Payk. Monogr. Hist.* 38. 26. *Tab.* 3. *f.* 7.

10. H. carbonarius p. 82. *Payk. Monogr. Hist.* 39. 27. *Tab.* 3. *f.* 8.

11. H. 14-striatus p. 83. *Dej. Cat. p.* 47. H. 12-striatus var. *Payk. Monogr. Hist.* 36. 25. *var. β.*

Obs. In quisquiliis hortorum insignem hujus speciei numerum collegi, sed ne unicum speciei sequentis.

11-12. H. 12-striatus: ater, antennarum capitulo ferrugineo, tibiis anticis tri-dentatis, elytris striis sex integris, marginali nulla.

Payk. Monogr. Hist. 36. 25. *Tab.* 3. *f.* 5. *Dej. Cat. p.* 47. *Schönh. Syn.* 1. 90. 8.

H. bis-sex-striatus, *Illig. Mag.* 6. 34. 7. *Dufts. Fn. Austr.* 1. 215. 9.

Habitat in Europae borealis quisquiliis, *Dom. de Paykull*; a me intra patriam non lectus.

H. 14-striato simillimus, sed differt ut in adjecta observatione p. 84. indicatum.

11-12. H. stercorarius: oblongo-ovatus, ater nitidus, elytris stria laterali brevissima, tribus exterioribus integris, internis tribus abbreviatis, fossula laterali laevi, tibiis anticis 4-dentatis.

Ent.

Ent. Heft. 1. 57. 11. *Tab.* 1. *f.* 5. *Sturm. Fn.* 1. 212. 13. *Dufts. Fn. Austr.* 1. 218. 14. *Payk. Monogr. Hist.* 40. 28. *Tab.* 4. *f.* 3. *Act. Holm.* 1809. 229. *Tab.* 8. *f.* 1. *Schönh. Synon.* 1. 90. 10.

Habitat in Uplandia et Ostrogothia rarissime. *Dom. de Paykull.*

H. Carbonario paulo minor, praesertim angustior. Caput parvum, deflexum, nigrum, stria ordinaria arcuata sat profunde punctata; antennarum clava nigra. Thorax antice paulo angustior, emarginatus, lateribus parum rotundatus, supra modice convexus, ater nitidus, stria unica laterali a margine remota, etiam antice ambiente. Elytra antice latitudine baseos thoracis, et illo dimidio longiora, lateribus parum dilatata, apice singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, atra nitida; stria lateralis parva, utrinque abbreviata et attenuata; tum striae tres integrae, vix punctatae, et interne tres posteriores, abbreviatae, suturali longiore; fossula sub-marginalis vix punctulata. Corpus subtus nigro-piceum, pectore ventreque profunde punctatis. Pedes validi nigri, tibiis anticis valde dilatatis, dentibus quatuor armatis, intermediis validioribus.

12. H. frontalis p. 84. *Payk. Monogr. Hist.* 44. 31. *Tab.* 9. *f.* 8. *Sturm. Fn.* 1. 237. 24. *Tab.* 18. *f.* *a*, *a.*

13. H. deplanatus p. 85. Hololepta deplanata, *Dej. Cat. p.* 48. Hololepta depressa, *Payk. Monogr. Hist.* 103. 1. *var.* δ. *Tab.* 8. *f.* 8.

13-14. H. depressus P. 1. add. 559. Hololepta depressa, *Payk. Mon. Hist.* 103. 1. *a*, *b.* *Dej. Cat. p.* 48.

14. H.

14. H. oblongus p. 86. *Payk. Mon. Hist.* 93. 77. *Tab.* 10. *f.* 3.

15. H. angustatus p. 86. *Payk. Mon. Hist.* 92. 76. *Tab.* 10. *f.* 4.

16. H. conjungens p. 87. *Payk. Mon. Hist.* 65. 49. *Tab.* 6. *f.* 1.

16–17. H. detersus: niger punctatissimus; thoracis disco, elytrorum area scutellari maculaque exteriore laevissimis, stria suturali utrinque abbreviata, tibiis anticis multidentatis. *Illig. Mag.* 6. 56. 11.

Hister nitidulus, Payk. Mon. Hist. 58. 43. *var. β.*

Habitat in Smolandia. *Dom. Liungh* teste *Dom. de Paykull.*

H. nitidulo quidem affinis, sed vix pro ejus varietate censendus, dimidio major, longe fortius et crebrius punctatus, macula polita interior elytrorum aliter locata etc. Caput deflexum nigrum, confertim et sat profunde punctatum; antennae nigrae, clava e pube et pilis fuscescente. Thorax antice angustior, emarginatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, in medio antico vix, lateribus vero late posticeque anguste confertim et profunde punctatus, niger, disco laevissimo polito nigro-aeneo. Scutellum minimum triangulare nigrum. Elytra antice latitudine baseos thoracis, mox pone basin rotundato-dilatata, dein angustiora, apice sub-truncata, supra parum convexa, confertissime et profunde punctata, opaca, nigra; in regione scutelli plaga magna sub-triangularis nigro-aenea nitida polita, et externe macula ejus-modi minor oblonga, spatio punctato a plaga scutellari remota; extra maculam striae tres baseos obliquae, valde abbreviatae et obsoletae; striae suturalis punctatae particula in medio tantum conspicitur, a sutura nonnihil remo-

remota, et postice stria apicem cingens aliquantum ascendit, sutura propior. Corpus subtus nigrum, in medio laeve, nitidum, lateribus punctatum. Pedes validi nigri, femoribus parce punctulatis nitidis, tibiis anticis dilatatis, externe denticulis 8 l. 10 parvis armatis.

17. H. nitidulus p. 88. *Payk. Mon. Hist.* 58. 43. *Tab.* 5. *f.* 3.

Obs. Dom. de Paykull l. c., ut varietatem H. nitiduli etiam memorat Insectum Brasilianum a me communicatum, cui elytrorum tota superficies punctata, quamvis in plaga scutellari subtilius. Hoc Insectum vere distinctum opinor; ultra centum specimina H. nitiduli lustravi, sed ne minimum vestigium talis puncturae in aliquo vidi, exstant quoque aliae differentiae.

17–18. H. immundus: nigro-sub-aeneus, confertissime punctatus, thoracis disco elytrorumque macula sesqui-altera interiore laevissima, stria arcuata divisa, cum suturali non connexa, tibiis anticis quadridentatis. *Dom. Schüppel in litt.*

Habitat in Hallandiae arenosis, rarissime.

H. aeneo simillimus magnitudine et statura, sed multo fortius et confertius punctatus, tibiae antice tantum 4-dentatae, et stria suturalis minime cum stria proxima dorsali conjuncta. Caput deflexum nigrum, confertim subtiliter punctulatum, antennarum clava fusca. Thorax antice angustior emarginatus, basi sub-bisinuatus, supra modice convexus, lateribus late, antice et postice vero anguste punctatissimus, niger, disco laevissimo, nitidissimo, aeneo-nigro. Scutellum minimum triangulare. Elytra antice latitudine baseos thoracis, pone basin rotundato-dilatata, dein pone medium angustiora, apice truncata, thorace vix

vix duplo longiora, supra parum convexa, nigra, confertissime, et sat profunde punctata, relicta plaga interiore versus scutellum laevissima nigro-aenea, stria punctata, juxta scutellum incipiente, arcuatim extrorsum oblique ad medium elytri ducta, in duas divisa, exteriore longe minore; praeterea externe striae duae aut tres obliquae, abbreviatae, a basi exeuntes, obsoletae; stria suturalis ab apice vix ultra medium extensa, minime cum stria exteriore conjuncta. Pygidium sub-conicum nigrum, confertissime punctatum. Corpus subtus nigrum, in medio longitudinaliter laevissimum, nitidum, lateribus confertissime punctatum. Pedes validi nigro-picei, tibiis anticis valde dilatatis, externe denticulis 4- aut 5 minutis armatis.

18. H. aeneus p. 89. *Payk. Mon. Hist.* 68. 52. *Tab.* 6. *f.* 6.

19. H. rufipes p. 90. excludatur, tamquam erroneae allatus, ut in parte 2ª add. p. l. indicavi. Loco ejus inseratur:

19-20. H. rugifer, P. 2. add. ad P. 1. *Payk. Mon. Hist.* 61. 45. *Tab.* 5. *f.* 5. *Act. Holm.* 1809. 230. *Tab.* 8. *f.* 3.

20. H. 4-striatus p. 90. *Payk. Mon. Hist.* 71. 55. *Tab.* 6. *f.* 5.

21. H. virescens p. 91. P. 3. add. p. 674. *Payk. Mon. Hist.* 69. 53. *Tab.* 6. *f.* 7.

21-22. H. speculifer: aeneus punctatissimus, thoracis disco, elytrorum macula sesqui-altera limboque nitidissimis politis, stria suturali integra, antice cum stria quarta conjuncta.

Payk. Mon. Hist. 70. 54. *Tab.* 6. *f.* 4. *Act. Holm.* 1809. 229. *Tab.* 8. *f.* 2.

H. pul-

H. pulcherrimus, *Schönh. Syn.* 1. 97. 58.
H. personatus, *Illig. Mag.* 6. 39. 13.
Habitat in Svecia meridionali rarissime. *Dom. de Paykull.*

Magnitudo et facies H. 4-striati. Caput parvum, deflexum, fronte sub-convexa, fusco-aenea, confertim punctulata; antennarum clava fusco-pubescens. Thorax antice cito angustatus, profunde emarginatus, angulis obtusis, lateribus reflexo-marginatus, basi bi-sinuatus, supra in disco convexus, aeneus, nitidissimus, politus, ad latera late, postice anguste confertissime punctatus. Scutellum minutum angustum triangulare, acutum. Elytra antice latitudine baseos thoracis, et mox pone basin nonnihil dilatata, dein sensim angustiora, apice truncata, supra modice convexa, in disco confertissime profunde punctata, tuberculo humerali, limbo exteriore et postico anguste, plaga magna interna, fere a basi ultra medium extensa, et illi anterius externe adjacente macula ovata, aeneis nitidissimis politis; stria suturalis integra, antice arcuatim cum stria quarta abbreviata, punctata, conjuncta, plagam politam includentia; striarum exteriarum rudimenta vix observanda. Corpus subtus nigro-aeneum, ad latera confertissime punctatum, medio longitudinaliter politum. Pedes validi nigro-aenei, tibiis anticis dilatatis, externe multi-crenatis.

22. H. metallicus p. 92. *Payk. Mon. Hist.* 67. 51. *Tab.* 6. *f.* 3.

Obs. Magnitudine valde variat. Dentes tibiarum anticarum numero variant, 3, 4 aut 5. Pedes, praesertim anteriores, saepe ferruginei. Rugae frontales interdum laeviores, obsoletae.

In arenosis Hallandiae, Scaniae saepe copiose occurrit.

22-23. H. rufipes: nigro-sub-aeneus, antennis pedibusque rufis, thorace non im-

pres-

presso, elytris striis exterioribus apicem fere attingentibus, tibiis anticis externe sex-denticulatis.

Payk. Mon. Hist. 74. 58. *Tab.* 7. *f.* 1. *Schönh. Syn.* 1. 96. 46.

Habitat in Svecia meridionali rarissime. *Dom. de Paykull.*

Parvus, H. aeneo dimidio minor. Caput parvum, deflexum, fronte aequali punctulata; antennae rufae, clava dilutiore. Thorax anterius angustior, emarginatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, aequalis, vel ad angulos anticos perparum impressus, undique punctulatus, in disco tamen parcius et subtilius. Elytra antice latitudine baseos thoracis, versus medium rotundato-dilatata, thorace dimidio longiora, supra parum convexa, confertim punctata, limbo, areaque antica a sutura ad striam tertiam laevibus politis; stria suturalis integra, antice cum stria quarta arcuatim juncta; striae exteriores ad apicem fere elongatae, extima tamen breviore. Corpus subtus confertim punctulatum, in medio longitudinaliter laeve, politum. Pedes validiusculi toti rufi, tibiis anticis dilatatis, externe sex-denticulatis.

Obs. H. rufipes Ins Sv. I. 90. 19. descriptus, pertinet ad H. affinem Payk. Mon. Hist. 76. 59, erroneae cum H. rufipede Payk. confusum.

23. H. rotundatus p. 95. *Payk. Mon. Hist.* 77. 61. *Tab.* 7. *f.* 3.

Var. *b*, duplo minor, elytrorum apice pedibusque rufescentibus. *Payk. l. c. var. β.*

Habitat cum a passim.

Obs. Stria suturalis antice juxta scutellum cum opposita juncta, quidem adest, sed brevissima, raro ad medium elytri descendit. Dentes tibiarum anticarum saepe obsoletae, interdum tamen evidentiores, 4 aut 5.

24. H.

24. H. punctatus p. 93. *Payk. Mon. Hist.* 79. 62. *Tab.* 7. *f.* 5.

25. H. pygmaeus p. 94. *Payk. Mon. Hist.* 81. 64. *Tab.* 7. *f.* 6.

25–26. H. piceus: sub-globosus rufo-piceus laevissimus, elytris stria marginali quatuorque dorsalibus utrinque abbreviatis, impunctatis, tibiis angustis sub-inermibus.

Payk. Mon. Hist. 81. 65. *Tab.* 7. *f.* 7. *Act. Holm.* 1809. 231. *Tab.* 8. *f.* 4.

Habitat prope Upsaliam. *Dom. de Paykull:* ad *Sparrsäter Westrogothiae. Dom. Schönherr.* Rarissime occurrit.

Statura sub-globosa H. pygmaei, sed plus duplo minor. Stria marginali elytrorum, et tibiis omnibus angustis, sub-linearibus, abunde distinctus. Corpus supra saturatius, subtus dilutius rufo-piceum. Caput parvum, deflexum, rotundatum, rufo-piceum, fronte fere plana, polita. Antennae corpori concolores. Thorax brevis, antice multo angustior, profunde semi-circulariter emarginatus, lateribus rotundatus, anguste marginatus, basi sub-bi-sinuatus, supra valde convexus, aequalis, rufo-piceus, laevissimus, politus. Scutellum minutissimum, triangulare. Elytra ampla, antice latitudine baseos thoracis, dein versus medium rotundato-dilatata, apice recta truncata, thorace plus duplo longiora, supra valde convexa, fere gibba, rufo-picea laevissima polita; sub lente in singulo elytro observantur striae quinque exteriores, valde tenues, impunctatae; marginalis longior, a basi ultra medium extensa; dorsales sensim breviores, utrinque abbreviatae. Corpus subtus dilutius rufo-piceum, ad latera omnium subtilissime punctulatum, medio longitudinaliter politum. Pedes medio-

diocres, dilutius rufescentes, tibiis angustis, sub-linearibus, vix denticulatis.

26. H. picipes p. 95. *Payk. Mon. Hist.* 89. 73. *Tab.* 8. *f.* 5.

27. H. flavicornis p. 96. *Payk. Mon. Hist.* 90. 74. *Tab.* 8. *f.* 6.

28. H. caesus p. 96. *Payk. Mon. Hist.* 94. 78. *Tab.* 11. *f.* 5.

29. H. vulneratus p. 97. *Payk. Mon. Hist.* 95. 79. *Tab.* 11. *f.* 6.

29-30. H. globulus: sub-orbiculatus, convexus, niger, punctatissimus, tibiis linearibus edentulis, anticis externe lunato-dilatatis.

Payk. Mon. Hist. 83. 69. *Tab.* 7. *f.* 8. *Zetterst. Act. Holm.* 1818. 252. 1.

Schönh. Synon. 1. 97. 56.

Habitat in Smolandia rarissime. *Dom. Zetterstedt.*

Sequenti, H. globoso similis et affinis, sed paulo major, minus convexus; tibiae anticae non angulariter dilatatae, et puncta elytrorum confertiora, hinc illinc in rugulas longitudinales confluentia. Caput parvum, deflexum, fronte fere plana confertim subtiliter punctulata; antennarum clava fusco-pubescens. Thorax brevis, antice angustior, profunde emarginatus, basi sub-bisinuatus, angulis prominulis, supra valde convexus, aequalis, niger, confertissime subtiliter punctulatus. Elytra antice latitudine baseos thoracis, mox pone basin rotundato-dilatata, dein sensim angustiora, apice sub-truncata, abdomen fere tegentia, thorace vix dimidio longiora, supra valde convexa, nigra, opaca, confertissime ruguloso-punctata, punctis, praeser-

sertim versus regionem scutelli et apicem striatim confluentibus. Corpus subtus nigrum, lateribus confertissime punctulatum, medio magis laeve. Pedes elongati rufo-picei, tibiis anticis basi angustis, versus medium externe nonnihil rotundato-dilatatis, minime vero angulatis, et versus apicem iterum angustatis; tibiae posteriores lineares edentulae.

30. H. globosus p. 98. *Payk. Mon. Hist.* 86. 70. *Tab.* 8. *f.* 2.

31. H. minutus p. 99. *Payk. Mon. Hist.* 87. 71. *Tab.* 8. *f.* 1.

Obs. H. nigricornis, Ent. Heft. 2. p. 127. a Dom. Schüppel communicatus, ab H. minuto distinctus videtur, colore obscuriore, corpore convexiore, antennis brevioribus, tibiis latioribus etc., sed in Svecia non occurrit, quantum mihi innotuit.

HOLOLEPTA, Payk.

1. H. depressa, *Payk. Mon. Hist.* 103. 1. Hister depressus, *Ins. Sv.* 1. *add.* 559. 13 — 14.

2. H. deplanata, *Dej. Cat. p.* 48. Hister deplanatus, *Ins. Sv.* 1. 86. 14. H. depressus var. *Payk. Mon. Hist.* 103. 1. *var.* δ, *Tab.* 8. *f.* 8.

3. H. plana: nigra, nitida, polita, thorace immarginato, elytris fossula marginali, stria prima dorsali baseos brevissima, secunda puncto indicata.

Payk. Mon. Hist. 107. 5. *Tab.* 9. *f.* 3.

Hister planus, *Sturm. Fn.* 1. 244. 28. *Schönh. Synon.* 1. 97. 59.

Ha-

Habitat in Finlandia ad Yllene, prope Aboam, rarissime. *Dom. Prof. Sahlberg.*

H. deplanata quadruplo major et ultra, valde depressa, fere plana. Caput parvum, rotundatum, porrectum, planum, nigrum, laeve, oculis parvis lateralibus. Mandibulae validae, porrectae simplices; antennarum articulus primus longissimus, basi angustus, rufescens, extrorsum incrassatus niger; flagellum et clava ferruginea. Thorax antice cito angustatus, profunde emarginatus, lateribus immarginatus, in medio rotundato-dilatatus, dein angustior, basi sub-truncatus, supra planus, niger, politus. Scutellum minutissimum, triangulare. Elytra antice latitudine baseos thoracis, lateribus vix dilatata, apice singulatim oblique truncata, unde sutura multo brevior margine laterali; supra plana, nigra, polita, fovea laterali superne conspicua, oblonga, rugulosa; intra humerum striola brevissima, obliqua, apice attenuata, et paullo interius punctum impressum, ut striolae secundae inchoamentum. Abdomen pone elytra late prominens, planum, politum, apice rotundatum. Corpus etiam subtus planum, nigrum, lateribus obsolete punctatum, medio longitudinaliter laeve, nitidum. Pedes breves compressi, nigri, posteriores basi valde distantes; tibiae omnes externe dilatatae, dentibus 3 vel 4 armatae.

Fam. 4. Sphaeridiota. Latr.

Palpicornes, *Dej. Cat. p.* 50.

SPHAERIDIUM p. 100.

1. S. Scarabaeoides p. 100. *var. c.* p. III. *add. p.* 675.

Var. *d*, elytris immaculatis. P. III. add.

Habitat in Finlandia, *Dom. Com. Mannerheim;* in Vestrogothia, *Ipse*, raro tamen occurrit.

Magnitudo et omnia ut in a, sed elytra immaculata; in uno specimine macula rubra humeralis obsoleta translucet, sed apex omnino immaculatus.

Obs. Derm. Scarabaeoides, Marsh. Ent. Br. 1. 65. 12., quem ex Anglia obtinui, distinctus videtur. Magnitudo S. Scarabaeoides. Thoracis margo luteus; in elytris macula humeralis rubra, et in apice macula magna lutea, antice emarginata, totum apicem occupans, et cum flavedine marginis connata.

2. S. marginatum p. 101.

Obs. Sub nomine: S. reni-pustulatum Megl. e Germania Insectum obtinui, S. marginato magnitudine aequale, thoracis elytrorumque margine pallido, elytris macula humerali rufa, apicis magna, lunata, lutescente, libera, nec cum flavedine marginis connexa; in disco elytrorum interiore striae irregulares, magis quam in nostris conspicuae; forte Spec. distincta; an S. sub-striatum, Dej. Cat. p. 51.

3. S. uni-punctatum p. 102.

4. S. melanocephalum p. 103.

5. S. pygmaeum p. 104. S. conspurcatum, *Sturm. Fn.* 2. 15. 16. *Tab.* 22. *f. b. B.*

6. haemorrhoidale p. 105.

Obs. A S. melanocephalo vere distinctum mihi videtur.

7. S. atomarium p. 106.

8. S. obsoletum p. 107.

9. S. haemorrhoum p. 107 sq.

Obs. Thorace pulvinato ab affinibus optime dignoscitur.

10. S. terminatum p. 108. S. aquaticum, *Dej. Cat. p.* 51.

Obs. In angulo antico thoracis utrinque punctum rubrum in a; in var. c, latera thoracis tota rufescentia,

tia, et pedes dilutiores, ceterum ejusdem magnitudinis et speciei certe; var. b, (Sphaeridium anale, Sturm. Fn. 2, 19. 9.) duplo minor, elytra profundius punctato-striata, forte specie distincta, etsi notae aegre eruendae. Var. d, magnitudine var. b, et forte ejus var. immatura.

11. S. minutum p. 110.

12. S. lugubre p. 111.

13. S. littorale p. 111. *Dej. Cat. p.* 51.

HYDROPHILUS p. 113.

1. H. piceus p. 113. *Schönh. Syn.* 2. 1. 1.

Obs. Variat segmentis ventralibus utrinque puncto rufo-ferrugineo notatis, in vivo Insecto forsan evidentioribus. Mus. Dom. Schönherr.

2. H. caraboides p. 114. *Schönh. Syn.* 2. 2. 5.

3. H. fuscipes p. 114. H. Scarabaeoides, *Schönh. Syn.* 2. 4. 14. *Dej. Cat. p.* 51.

4. H. luridus p. 115. *Schönh. Syn.* 2. 6. 29.

4-5. H. decorus: oblongus, supra pallidus, vertice, thoracis disco scutelloque viridi-aeneis, elytris confertissime punctato-striatis, punctis infuscatis, corpore subtus nigro, pedibus testaceis.

Habitat in Gottlandia, rarissime. *Dom. Faehreus. Mus. Dom. Schönherr.*

Striatura elytrorum ut in sequenti, sed de cetero abunde distinctus, statura multo longiore, minus convexa. Caput majusculum, sub-porrectum, pallide testaceum, antice subtilissime, postice profundius punctatum, vertice inaequaliter viridi-aeneo; in medio frontis linea angulata impressa; oculi oblongi depressi; antennae totae pallidae, clava elongata, thorax brevis

transversus, antice late et profunde emarginatus, angulis prominulis, lateribus rotundatus, basi sub-truncatus, supra in disco modice convexus, versus latera deplanatus, subtiliter confertim punctulatus, pallide testaceus; in medio disci plaga magna, inaequalis, viridi-aenea, margines nullibi tangens. Scutellum triangulare viridi-aeneum. Elytra antice latitudine baseos thoracis, et illo quadruplo longiora, posterius attenuata, apice sub-acuminata, supra modice convexa, pallide testacea, confertissime punctato-striata, striis in singulo usque ad viginti, e punctis impressis, nigris in disco, versus margines vero elytris concoloribus. Corpus subtus nigrum, opacum, punctulatum. Pedes longiusculi, toti testacei.

5. H. minutus p. 116. H. bi-punctatus, *Schönh. Syn.* 2. 9. 35. *Dej. Cat. p.* 51.

Var. *b*, dimidio major et ultra. *Schönh. l. c. var. b.*

H. striatulus, *Fabr. Syst. Eleut.* 1. 254. 25.

Habitat cum a, sat frequens, et magnitudine excepta, simillimus.

6. H. globulus p. 117. *Schönh. Syn.* 2. 5. 18.

Obs. Variat etiam dimidio major et ultra.

7. H. orbicularis p. 118. *Schönh. Syn.* 2. 4. 17.

8. H. seminulum p. 118. *Schönh. Syn.* 2. 5. 19.

9. H. melanocephalus p. 119. *Schönh. Syn.* 2. 7. 30. *et var.* γ, δ, ε.

9-10. H. grisescens: supra griseo-testaceus, vertice thoracisque disco obsoletius infuscatis, elytris subtilius punctulatis, stria suturali profunde impressa. *Dej. Cat. p.* 51.

H. me-

H. melanocephalus, Ins. Sv. 1. 119. 9., *var. b. Schönh. Syn.* 2. 7. 30. *var. β.*

Habitat in Bahusiae maritimis, sat frequens.

H. melanocephalo valde affinis, sed plerumque dimidio, interdum duplo major; color pallidior, minus nitidus, punctura thoracis et elytrorum respectu magnitudinis subtilior et habitatio alia, quare auctoritate Dom. Com. Dejean ut species distincta censendus. Forma partium ut in priori. Caput aut totum griseo-testaceum, aut vertice plus minusve infuscato, interdum umbra media fusca longitudinali notatum. Thorax grisescens, umbra media fusca obsoleta. Elytra grisescentia, confertim subtiliter punctulata, hinc illinc punctis fuscis irrorata, versus apicem pallidiora, minus convexa quam in priori. Corpus subtus nigrum, punctulatum. Femora basi et subtus nigra, apice superne testacea, uti etiam tibiae et tarsi.

10. H. bicolor p. 121. *Schönh. Syn.* 2. 7. 31.

11. H. griseus p. 122. *Schönh. Syn.* 2. 7. 32.

12. H. affinis p. 123. *Dej. Cat. p.* 51. H. marginellus, *Schönh. Syn.* 2. 6. 25. *var. β.*

Var. *b*, elytris etiam nigris, margine late testaceo.

H. marginellus, Schönh. l. c. a.

Habitat in aquis Scaniae. *Dom. Zetterstedt.*

Simillimus a, sed dimidio major et ultra. Color magis niger. Elytra nigra, margine late testaceo; tibiae etiam nigro-piceae, tarsis solis testaceis.

Species distincta, secundum sententiam Dom. Dufftschmidt in Faun. Austr. 1. 242. 6. 7. — an jure?

Variat a, etiam corpore toto subtus, cum pedibus pallide testaceo, forte immaturus.

13. H. truncatellus p. 123. *Schönh. Syn.* 2. 9. 39.

SPER-

SPERCHAEUS.

1. S. emarginatus p. 125. *Schönh. Syn.* 2. 1. 1.

ELOPHORUS.

1. E. aquaticus p. 126.

El. grandis, *Schönh. Syn.* 2. 39. 1. *Dej. Cat. p.* 50.

Obs. Variat magnitudine duplo, imo triplo minori, semper tamen sequenti longe major; structura thoracis et stria elytrorum abbreviata versus scutellum distinctus.

2. E. granularis p. 127. *Schönh. Syn.* 2. 39. 2.

El. minutus, *Dej. Cat. p.* 50.

3. E. griseus p. 128. *Schönh. Syn.* 2. 40. 3.

El. minutus, *var. Dej. Cat. p.* 50.

Obs. Praecedenti quidem valde affinis, sed elytris longioribus, minus convexis, minusque profunde punctatis distinctus mihi videtur.

4. E. tuberculatus p. 129. *Schönh. Syn.* 2. 40. 4.

Obs. In Vestrogothia etiam pluries lectus, recentiori aevo; etiam in Finlandia, Dom. Vasastjerna.

5. E. Fennicus p. 129. *Schönh. Syn.* 2. 40. 5.

6. E. nubilus p. 130. *Schönh. Syn.* 2. 40. 8.

7. E. elongatus p. 131. *Schönh. Syn.* 2. 41. 9.

Hydrochus elongatus, *Dej. Cat. p.* 50.

8. E. brevis p. 132. Elophorus crenatus, *Schönh. Syn.* 2. 41. 11.

Hydrochus brevis, *Dej. Cat. p.* 50.

Obs. Elophorus crenatus, Fabr. huc non pertinet.

9. E. pygmaeus p. 133.

Hy-

Hydraena riparia, *Schönh. Syn.* 2. 42. 3.
Ochthebius riparius, *Dej. Cat. p.* 50.
——— *pygmaeus*, *Ahr. Fn. Ins. Eur.* 8. *f.* 7.

10. E. marinus p. 134. *Ochthebius marinus*, *Dej. Cat. p.* 50.
Hydraena margi-pallens, *Schönh. Syn.* 2. 42. 2.

11. E. minimus p. 134. *Ahr. Fn. Ins. Eur.* 8. *f.* 6.
Hydraena longi-palpis, *Schönh. Syn.* 2. 42. 1. *Dej. Cat. p.* 50.

12. E. minutissimus p. 136. *Web. et Mohr it. Suec.* p. 64.
Hydraena minutissima, *Schönh. Syn.* 2. 42. 4. *Dej. Cat. p.* 50.
Habitat etiam in Finlandia, *Dom. Vasastjerna.*

Obs. Ad genus Ptilium pertinere autumat Dom. Com. Mannerheim.

Familia 3. Amphibii p. 137.

Obs. Genera huc relata a Dom. Com. Dejean, Cat. p. 49. 50., in Familia Clavicornium locata, Gyrino excepto, ad Hydrocantharos relato.

HETEROCERUS.

1. H. marginatus p. 137. *Schönh. Syn.* 2. 150. 1.
H. laevigatus, *Dufft. Fn. Austr.* 1. 310. 2.
Var. *d*, elytris ferrugineis, nigro-maculatis. *Sahlb. Ins. Fn.* 4. 45. 1. *var. e.*
Habitat cum prioribus rarius.

Obs. H. marginatus, Dufft. Fn. Austr. 1. 309. 1. corpore magis hirto differre videtur; H. variegatus,

tus, Dej. olim, huc pertinet, sed apud nos non inventus.

PARNUS.

1. P. prolifericornis p. 139. *Schönh. Syn.* 2. 116. 1.

2. P. auriculatus p. 140. *Schönh. Syn.* 2. 116. 2.

GEORISSUS.

1. G. pygmaeus Pars 3. add. 676. 1. *Dej. Cat. p.* 49.

Pimelia pygmaea, *Schönh. Syn.* 1. 136. 52.

GYRINUS.

1. G. natator p. 141. *Schönh. Syn.* 2. 36. 1.

2. G. bicolor p. 142. *Schönh. Syn.* 2. 38. 4.

3. G. dorsalis p. 142. *Schönh. Syn.* 2. 38. 3.

Var. *b*, elytris nigris, disco tantum posteriore plus minusve ferrugineo.

Habitat in lacubus Vestrogothiae, cum a, passim, *Dom. Schönherr*, jun.

4. G. marinus p. 143. *Schönh. Syn.* 2. 38. 2.

Obs. Interstitia striarum in elytris, sub oculo acute armato, subtilissime coriacea videntur. Pedes posteriores saepe infuscati; variat colore magis nigro, minus lucido, sub-opaco.

4-5. G. opacus: ovatus, coerulescenti-niger, obscurior, elytris subtilissime punctato-striatis, interstitiis planis, subtilissime punctulato-rugulosis, margine inflexo nigro-aeneo, pedibus ferrugineo-piceis. *Sahlb.*

Sahlb. Ins. Fen. 4. 47. 3.

Habitat in Finlandiae aquis rarissime. *Dom. Sahlberg.*

Insectum non vidi, quare descriptionem Dom. Sahlbergii l. c. afferre licet. Caput, thorax et scutellum ut in G. natatore, sed subtilissime punctulata et minus nitida, elytra antice thorace latiora, postice parum attenuata, apice truncata, angulis rotundatis, supra punctis minoribus subtilissime impressis striata, coerulescenti-nigra, magis quam in ceteris speciebus obscura, sutura margineque viridi-aeneis vel nigris; margo inflexus nigro-aeneus; interstitia plana subtilissime et creberrime punctato-rugulosa. Corpus subtus nigro-aeneum nitidum, segmento anali concolore. Pedes ferrugineo-picei.

Obs. An a praecedente satis distinctus?

5. G. minutus p. 143. *Schönh. Syn.* 2. 38. 14.

6. G. villosus p. 144. *Schönh. Syn.* 2. 39. 18.

Fam. 6. *Dermestideae.*

Obs. Genera pleraque hujus familiae apud Dom. Dejean in Familia Necrophagorum, Cat. p. 42., inveniuntur, reliqua in Familia Clavicornium.

DERMESTES.

1. D. lardarius p. 146. *Schönh. Syn.* 2. 83. 1.
2. D. vulpinus p. 147. *Schönh. Syn.* 2. 89. 21.
3. D. murinus p. 147. *Schönh. Syn.* 2. 90. 26.
4. D. affinis p. 148. *Schönh. Syn.* 2. 91. 27.
5. D. laniarius p. 149. *Schönh. Syn.* 2. 91. 28.
6. D. tessellatus p. 150. *Schönh. Syn.* 2. 91. 29.
7. D. pellio p. 151. *Schönh. Syn.* 2. 86. 6.
Attagenus pellio, *Dej. Cat. p.* 46.

8. D.

8. D. Schaefferi p. 152.
Attagenus Schaefferi, Dej. Cat. p. 46.
Sub Derm. Megatoma, Schönh. Syn. 2. 85. 5.
Obs. a D. megatoma Fabricii distinctus, teste Dom. Dejean.

9. D. marginatus p. 153. *Schönh. Syn.* 2. 94. 43.
Attagenus marginatus, Dej. Cat. p. 46.

9-10. D. glaber: oblongus niger, glaber, thorace pulvinato, postice utrinque impresso, antennis clava oblongo-ovata, tri-articulata, elytris margine sinuatis.
Sahlb. Ins. Fen. 4. 50. 7.
Habitat ad Vasam, rarissime. *Dom. Vasastjerna.*

Insectum non vidi, sed auctoritate Eximii Entomologi Dom. Prof. Sahlbergii afferre, ejusque descriptionem allegare debui.

Magnitudo D. pellionis, sed magis elongatus. Caput nigrum, deflexum, punctatum, pubescens. Antennae thorace paulo breviores, articulis duobus baseos crassis globosis nigris, sex insequentibus minutis piceo-nigris, clava tri-articulata, oblongo-ovata, non compressa, articulis sub-aequalibus nigris. Thorax brevis, antice truncatus, lateribus rotundatus, postice latior, sinuatus, supra creberrime et profunde punctatus, valde convexus, intra basin utrinque impressus, margine postico vix adscendente. Scutellum minutum, sub-triangulare punctatum. Elytra elongata, convexa, nigra, nitida, crebre, at tenuius quam thorax punctata, humeris gibbis, margine in medio sinuato Corpus nigrum punctulatum, vix pubescens. Pedes nigri, tarsis piceo-nigris.

Not. Specimen quod vidi, femineum esse, ob articulos clavae antennarum aequales, suspicor. Sahlberg.

10. D.

10. D. Serra p. 153. *Schönh. Syn.* 2. 94. 42.
Megatoma Serra, *Dej. Cat. p.* 46.

11. D. undatus p. 154. *Schönh. Syn.* 2. 87. 7.
Attagenus undatus, *Dej. Cat. p.* 46.

12. D. sub-fasciatus p. 155. *Schönh. Syn.* 2. 87. 8.
Trogoderma elongatula, *Dej. Cat. p.* 46.
Anthrenus elongatus, *Fabr. Syst. Eleut.* 1. 106. 3. *Schönh. Syn.* 1. 114. 3.

12-13. D. holosericeus: ovatus, niger, griseo- et nigro-pilosus, antennis nigris, clava magna, compressa tri-articulata; pedibus nigris, tarsis piceis.
Sahlb. Ins. Fen. 4. 52. 11.
Habitat ad Vasam, in pariete ligneo vetusto, media aestate a *Dom. Vasastjerna* semel captus.

Auctoritate Dom. Sahlbergii etiam hanc speciem, a me non visam, ejusque descriptionem, afferre licet. Magnitudine D. Sub-fasciatum aequat. Totus pilis longioribus cinereo-albidis et nigris alternatim tectus. Caput minutum, deflexum, punctatum. Antennae thorace breviores, nigrae; articulus primus paulo major, 7 insequentes minores, clava magna tri-articulata, compressa, articulo ultimo duobus ceteris simul sumtis longiori. Thorax elytrorum latitudine, antice emarginatus, postice sinuatus, trilobus, lateribus tenue marginatus, supra convexus, crebre et subtiliter punctulatus. Elytra latitudine vix dimidio longiora, convexa, pilis griseis et nigris alternatim dispositis, holosericea, fascia pone medium angusta, transversa, nigro-pilosa. Pectus, abdomen et pedes nigra, cinereo-pilosa. Tarsi picei."

13. D. tri-fasciatus p. 156. *Schönh. Syn.* 2. 88. 9.

Attagenus tri-fasciatus, Dej. Cat. p. 46.

14. D. tomentosus p. 157.

Bytyrus tomentosus, Schönh. Syn. 2. 95. 1. *Dej. Cat. p.* 44.

TRIXAGUS. Throscus. Dejean.

1. T. adstrictor p. 158. *Schönh. Syn.* 2. 96. 1.

ANTHRENUS.

1. A. Pimpinellae p. 160. *Schönh. Syn.* 1. 114. 2.

2. A. Scrophulariae p. 161. *Schönh. Syn.* 1. 114. 5.

3. A. musaeorum p. 162. *Dej. Cat. p.* 47.

Anthrenus varius, Schönh. Syn. 1. 115. 7. *var.* β.

Obs. In altero sexu, forte masculo, antennarum clava solida apparet; in femina vero articulus intermedius clavae evidenter distinctus, articulo ultimo triplo minor; infimus clavae articulus adhuc minor art. intermedio, attamen articulo antecedente flagelli nonnihil major. Observante D. Vasastjerna.

4. A. Verbasci p. 163. *A. varius, Schönh. Syn.* 1. 116. 7. *var.* γ. *forte.*

A. tricolor, Dej. Cat. p. 47.

5. A. hirtus p. 164. *Schönh. Syn.* 1. 116. 10.

Trinodes hirtus, Dej. Cat. p. 47.

CRYPTOPHAGUS.

1. C. Populi p. 165. *Schönh. Syn.* 2. 97. 1.

Obs. Thorax brevis, transversus, pone dentem medium lateralem oblique versus basin angustatus.

2. C.

2. C. Lycoperdi p. 166. *Schönh. Syn.* 2. 97. 2.

Obs. Punctura multo profundiore, pubescentia longiore, ut et colore ab affinibus distinctus.

3. C. fumatus p. 167. *Schönh. Syn.* 2. 97. 3.

Obs. Thorace multo longiore, fere quadrato etc., a reliquis diversus.

3-4. C. acutangulus: oblongo-ovatus ferrugineus, longius pubescens, subtiliter punctatus, thorace brevi, postice angustiore, utrinque acute bidentato, dente antico magno reflexo.

Habitat in quisquiliis passim, minus frequens.

C. Lycoperdi et fumato magnitudine fere aequalis et similis sed vere distinctus; priori punctura multo subtiliori, a posteriori thorace breviori postice angustiori etc. Caput triangulare rufo-ferrugineum, subtiliter punctulatum, oculis globosis nigris; antennae ut in prioribus constructae, basi obscure ferrugineae, extrorsum pallidiores. Thorax latitudine multo brevior, antice sub-truncatus, angulis lateralibus valde productis, oblique acuminatis; in medio laterali dens alter, rectus, acutus, sed parvus, et ab illo margo oblique retrorsum versus basin ductus; supra in disco modice convexus, subtiliter punctulatus, longius pubescens, totus ferrugineus. Scutellum breve, transversum, concolor. Elytra antice thoracis basi latiora, et illo plus triplo longiora, sub-linearia, apice rotundata, supra modice convexa, subtiliter confertim punctulata, pube longiori grisea, minus depressa adspersa, tota ferruginea. Corpus subtus dilutius ferrugineum, magis nitidum, subtilissime punctulatum. Pedes tenues, pallide testacei.

4. C. cellaris p. 168. *Schönh. Syn.* 2. 97. 4.

Var. *d*, corpore ferrugineo vel testaceo, elytro-

trorum sutura margineque laterali nigro-fuscis.

Obs. Thorace breviore, postice angustato, utrinque bidentato, dente anguli antici obliquo, brevi, et pubescentia breviore depressa, haec species ab affinibus distinguitur.

4-5. C. Lapponicus: oblongo-ovatus fusco-ferrugineus, confertim subtiliter punctatus, pubescens, antennis brevibus crassis, clava magna. Thorace transverso, lateribus calloso-reflexis sub-integris.

Habitat in Lapponia ad Björkvik. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Magnitudo, statura, punctura et pubescentia fere ut in C. cellari, sed thoracis lateribus reflexis, rotundatis, sub-integris et antennarum clava multo majore, ab illo et confinibus praecipue distinctus. Caput sub-triangulare ferrugineum, confertim punctulatum, pubescens, oculis prominulis nigris. Antennae breviusculae, crassae, inferne brunneae, clava pallidiori; articulis omnibus ut in Cr. cellari constructis; sed clava adhuc major, crassior. Thorax brevis, transversus, antice posticeque truncatus, lateribus rotundatus, margine elevato, reflexo, fere omnino integro, ad angulum anticum crassiore, calloso; supra convexus, confertim subtiliter punctulatus, pube cinerea depressa adspersus, totus obscure ferrugineus. Scutellum breve latum transversum concolor, vix punctulatum. Elytra antice latitudine thoracis, eique arcte applicata, sed illo quadruplo longiora, versus apicem angustiora, apice rotundata, supra convexa, confertim subtiliter punctulata, pube decumbente cinerea nitida adspersa, tota fusco-ferruginea. Corpus subtus pallidius ferrugineum, magis nitidum, pectore evidentius, ventre subtilissime punctulatis, segmentorum mar-

marginibus ciliatis. Pedes sub-tenues, rufo-ferruginei, tibiis arcuatis, versus apicem latioribus.

4-5. C. pilosus: oblongo-ovatus ferrugineus, longius pilosus, subtiliter punctatus, thorace longiore convexo, utrinque obsoletissime bi-dentato, in medio sub-latiori.

Habitat sub cortice arborum emortuarum et in quisquiliis passim, minus frequens.

Cr. cellari paulo longior, sed non latior, structura thoracis et pilositate distinctus. Caput triangulare ferrugineum punctatum, oculis globosis nigris. Antennae ut in C. cellari. Thorax sub-quadrangulus, longior quam in C. cellari, basi apiceque truncatus, lateribus sub-angulatus, ut in medio fere latior, dens enim anguli antici minutus, obliquus, reflexus, et loco denticuli medii angulus tantum prominens; margo praeterea subtiliter crenulatus; supra in disco convexus, confertim subtiliter punctulatus, ferrugineus, griseo-pilosus. Scutellum transversum concolor. Elytra thoracis basi vix latiora, sed illo triplo longiora, supra modice convexa, pallidius testacea, confertim punctulata, pilis longioribus griseis sub-erectis, aliisque depressis, adspersa. Corpus subtus rufo-testaceum, magis nitidum, subtilissime punctatum. Pedes tenues testacei.

4-5. C. sub-depressus: ovatus, latior, parum convexus, fusco-ferrugineus, subtiliter punctatus, pube depressa adspersus, thorace brevi quadrangulo, lateribus obsoletissime bi-dentato.

Var. *b*, pallide testaceus totus.

Habitat sub-cortice arborum emortuarum, passim.

Longitudo Cr. cellaris, sed latior, minus convexus.

vexus. Caput tri-angulare, fusco-ferrugineum, punctatum, oculis globosis, nigris; antennae ut in C. cellari constructae, inferne piceae, clava apice pallida. Thorax brevis, transversus, quadrangulus, apice truncatus, callo anguli antici sub-elevato, minime vero in dentem producto; denticuli medii lateralis rudimentum aegre observandum; basi sub-bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim subtiliter et concinne punctulatus, fusco-ferrugineus, pube depressa cinerea adspersus. Scutellum transversim ovale, concolor. Elytra antice latitudine thoracis, et illo triplo longiora, supra parum convexa, praesertim in dorso antico, plerumque dilutius ferruginea, confertim et concinne punctulata, pube depressa cinerea nitida adspersa. Corpus subtus dilutius rufo-ferrugineum, magis nitidum, subtilissime punctulatum, parce pubescens. Pedes tenues rufo-testacei.

Var. b, colore totius corporis pallidiore tantum differt.

5. C. abietis p. 170. *Schönh. Syn.* 2. 98. 5.

Obs. Dom. Com. Dejean in Cat. p. 45. plures ex antecedentibus ut varietates C. cellaris affert, sed me judice vere distinctae species sunt.

5-6. C. dorsalis: oblongo-ovatus, parum convexus, niger, subtiliter punctatus, thorace utrinque bi-dentato, antennis, pedibus elytrisque rufo-testaceis, his plaga suturali margineque nigris.

Sahlb. Ins. Fen. 4. 56. 4.

Habitat in Finlandia, *Dom. Vasastjerna*, in Westmannia *Dom. Crug*; in Vestrogothia ipse; raro tamen occurrit.

Cr. cellari minor, multo magis depressus et abunde distinctus. Caput triangulare nigro-piceum, confertissime punctulatum, antice dilutius rufo-piceum; oculi globosi nigri; antennae rufescentes, structu-

ctura ut in prioribus. Thorax latitudine antica multo brevior, antice latior, truncatus, angulo in dentem oblique deflexum, rotundatum, exeunte; in medio marginis dens alter, minor, sub-acutus, et ab illo margo oblique introrsum flexus, unde thorax basi multo angustior; supra parum convexus, confertissime subtiliter punctulatus, tenue pubescens, niger, opacus. Scutellum transversum, nigrum. Elytra antice thoracis basi latiora, et illo plus triplo longiora, apice rotundata, supra parum convexa, minus confertim sed profundius quam thorax punctulata, tenue pubescentia, rufo-testacea, sutura fere tota late nigro-fusca, margineque laterali etiam in medio infuscato. Corpus subtus nigro-piceum, magis nitidum, confertim punctulatum. Pedes tenues rufescentes.

6. C. crenatus p. 171. *Schönh. Syn.* 2. 98. 6.

7. C. serratus p. 171. *Schönh. Syn.* 2. 98. 7.

8. C. bimaculatus p. 172. *Schönh. Syn.* 2. 98. 8.

9. C. fungorum p. 172. *Schönh. Syn.* 2. 98. 9.

10. C. Schönherrii p. 173. *Schönh. Syn.* 2. 98. 10.

11. C. brunneus p. 174. *Schönh. Syn.* 2. 98. 11.

Obs. Etiam in Finlandia a Dom. Prof. Sahlberg inventus.

12. C. Typhae p. 174. Deleatur, vid. Pars II. add. pag. IV, et loco ejus inseratur:

C. Caricis P. 2. add. p. IV. 12.

12-13. C. Typhae P. 2. add. p. VI.

12-13. C. elongatus P. 3. add. p. 677.

Obs. Prope Aboam Finlandiae pluries a Dom. Prof. Sahlberg inventus, qui autumat illum esse Sil-

vanum lapidarium, Dej. Cat. p. 102., vix vero ad Xylophagos pertinere mihi videtur.

12–13. C. ferrugineus: oblongus, pubebescens, ferrugineus, thorace subquadrato, lateribus tenue marginato, subtilissime crenulato, antennis clava bi-articulata.
Sahlb. Ins. Fen. 5. 58. 11.
Habitat ad Vasam, rarissime. *Dom. Vasastjerna.*

Obs. Insectum non vidi, sed auctoritate Dom. Prof. Sahlbergii affero, ejusque descriptionem transscribo.

Minutus, magnitudine et statura C. Abietis, a quo differt thorace nec postice angustiori, nec antice dentato. Totus pallide ferrugineus, pubescens. Caput triangulare, subtiliter punctulatum, oculis globosis nigris. Antennae ferrugineae, capite thoraceque longiores, articulo nono ceteris vix crassiore, duobus vero ultimis, clavam constituentibus, majoribus. Thorax sub-quadratus, longitudine paulo latior, antice parum angustatus, lateribus tenue marginatus, oculo armato subtilissime crenulatus; supra parum convexus, punctulatus. Scutellum breve transversum. Elytra elongata, convexa, crebre punctulata. Corpus pallide rufescens. Pedes pallidi.

13. C. Silaceus p. 175. *Schönh. Syn.* 2. 98. 14.
Antherophagus nigricornis, *Dej. Cat. p.* 45.

14. C. pallens p. 177. *Schönh. Syn.* 2. 99. 15.
Antherophagus pallens, *Dej. Cat. p.* 45.

15. C. glaber p. 178. *Schönh. Syn.* 2. 99. 16.

16. C. semi-niger p. 178. *Schönh. Syn.* 2. 99. 17. deleatur, vide Lycoperdina semi-nigra antea in hac Parte.

16–17. C. plicatus Pars 3. add. 678.

17. C. nigripennis p. 179. *Schönh. Syn.* 2. 99. 18.

18. C. ater p. 179. *Schönh. Syn.* 2. 99. 19. *Cr. fimetarius, Dej. Cat. p.* 45.

19. C. mesomelus p. 180. *Schönh. Syn.* 2. 99. 20.

Var. *b*, capite thoraceque etiam testaceis vel ferrugineis.

Habitat cum a, passim.

Var. *c*, elytris testaceis, sutura margineque antice nigris.

Habitat in quisquiliis. *Mus. Dom. Schönherr.*

20. C. fimetarii p. 181. *Schönh. Syn.* 2. 99. 21.

20–21. C. umbrinus: oblongo ovatus niger, sub-pubescens, punctatus; thorace postice angulato, elytris fusco-ferrugineis, antennis pedibusque rufo-testaceis.

Dom. Schüppel in litt.

Cr. fimetarii, Ins. Sv. 1. 182. *var. c. Schönh. Syn.* 2. 99. 21. *var. γ.*

Var. *b*, saturate ferrugineus, antennis pedibusque dilutioribus.

Cr. fimetarii, Ins. Sv. et Schönh. Syn. l. c. var. b, β.

Habitat praecipue in Agaricis annuis, versus finem aestatis non infrequens.

Praecedenti valde similis et affinis, sed duplo minor, thorax postice utrinque angulatus etc., quare ut Species peculiaris considerandus. Caput triangulare, deflexum, nigrum, nitidum, punctulatum, ad oculos

usque intra thoracem retractum, ore rufo-piceo. Antennae crassae, pilosae, rufo-ferrugineae, longitudine capitis cum thorace. Thorax latitudine paulo brevior, basi apiceque truncatus, angulis sub-rectis, lateribus nonnihil rotundatus, in medio marginis plerumque leviter impressus, supra valde convexus, pulvinatus, niger, nitidus, tenue pubescens, confertissime et concinne punctatus. Scutellum breve transversum, piceum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris rectangulis, thorace plus triplo longiora, apice rotundata, supra modice convexa, pube cinerea adspersa, confertim et paulo profundius quam thorax punctata, aut fusco-ferruginea, apicem versus pallidiora, aut tota testacea. Corpus subtus nigro-piceum, confertissime punctatum. Pedes tenues, toti rufo-testacei.

Var. b, colore tantum differt; caput et thorax castanea, elytra pallidiora, ferruginea vel testacea.

21. C. fuscipes p. 182. *Schönh. Syn.* 2. 100. 22.

22. C. pusillus p. 183. *Schönh. Syn.* 2. 100. 23.

23. C. hirtus p. 184. *Schönh. Syn.* 2. 100. 28.

24. C. globulus p. 184. *Schönh. Syn.* 2. 100. 29.

25. C. brunnipes p. 185. *Schönh. Syn.* 2. 100. 30.

26. C. atomus p. 185. *Schönh. Syn.* 2. 100. 31.

SCAPHIDIUM.

1. S. 4-maculatum p. 186.

2. S. agaricinum p. 187.

3. S. atomarium p. 188.

Ptilium atomarium, Dom. Schüppel in litt.

Obs. Latridius fascicularis, Herbst. Col. 5. 8. 7., monente Dom. Schüppel, secundum Typum

in Musaeo Herbstiano a nostro distinctus, punctura evidentiore, antennis obscurioribus etc., quare Synonymon Herbstii deleatur. Verus L. fascicularis Herbstii, Ptilium fasciculare Schüppel et Cryptophagus fascicularis Dej. Cat. p. 45., a Dom. Schüppel communicatus, apud nos non inventus, quantum mihi innotuit.

4. S. pusillum p. 189.
Ptilium evanescens, *Dom. Schüppel in litt.*
Silpha evanescens, *Marsh. Ent. Br.* 1. 126. 34., *testante Dom. Schüppel.*

4–5. S. (Ptilium) punctatum: oblongo-ovatum, nigrum, nitidum, tenue pubescens, antennis pedibusque testaceis, thorace profundius, elytris subtilius vage punctatis.

Habitat in Hallandia, *Dom. Prof. Sahlberg. Mus. Dom. Schönherr.*

S. pusillo simile, sed paulo majus, praesertim longius, punctura et pubescentia distinctum. Caput majusculum, rotundatum, nigrum, nitidum, vix punctulatum, oculis non prominulis. Antennae longitudine dimidii corporis, pallide testaceae, longius pilosae, structura omnino ut in S. pusillo, articulis nempe 1 et 2 magnis, crassis, sub-cylindricis, 3—8, angustis, tenuibus, 9, majore perfoliato, 10, 11, adhuc crassioribus, ovatis. Thorax sub-transversus, latitudine elytrorum, basi apiceque truncatus, lateribus nonnihil rotundatus, supra modice convexus, aequalis, niger, nitidus, punctis majusculis, sat profundis, sed non crebris, impressus. Scutellum medium, triangulare, nigrum. Elytra antice latitudine thoracis, et illo triplo longiora, ob-ovata, lateribus nonnihil ampliata, apicem versus angustiora, rotundata, supra modice convexa, nigra, minus nitida, evidentius pubescentia, paulo subtilius quam thorax vage punctulata.

lata. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, vix punctulatum. Pedes elongati, tenues, pallide testacei.

5. S. armadillo p. 190.

Agathidium atomarium, Sturm. Fn. 2. 65. 8. *Tab.* 29. *f. a. et Dej. Cat. p.* 129. *teste Dom. Schüppel; vix vero Agathidii generis, an etiam Ptilium?*

6. S. longicorne p. 191.

Hypocyphtus, nov. Genus (in Familia Micropterorum), Dom. Schüppel in litt.

Tachyporus granulum, Gravenh. Monogr. 3. 1. certe huc pertinere videtur.

BYRRHUS.

1. B. pillula p. 192. *Sturm. Fn.* 2. 95. 4. *Tab.* 33. *f. omn.*

2. B. fasciatus p. 194.

a et b, B. dorsalis, Sturm. Fn. 2. 101. 9.

Var. *c*, B. cinctus, *Sturm. Fn.* 2. 98. 6. *Tab.* 34. *f. d. D.*

Var. *e, f,* B. ater, *Sturm. Fn.* 2. 99. 7.

Obs. Synonymon B. ornatus, Panz. Fn. 24. 1. delendum, utpote ad Speciem vere distinctam multo majorem, pertinens. Varietates a nobis sub hac specie descriptae, quoad signaturas quidem dissimiles, num vero Specie distinctae, aegre dijudicandum.

3. B. dorsalis p. 196.

B. fasciatus, Sturm. Fn. 2. 103. 10.

4. B. varius p. 197. *Sturm. Fn.* 2. 104. 11.

5. B. murinus p. 198. *Sturm. Fn.* 2. 106. 12.

6. B. setiger p. 199. *Sturm. Fn.* 2. 116. 22. *Tab.* 35. *f. d. D.*

Obs. Antennae longiusculae, tenues, nigrae, clava bre-

brevi, coarctata, tri-articulata, ultimo majore obtuso, ferrugineo. Pube et setis detritis corpus nigrum, nitidum evadit, et tunc thorax subtiliter punctulatus e elytra obsolete striata videntur. Observante Dom Prof. Zetterstedt.

7. B. semi-striatus p. 199. *Sturm. Fn.* 2. 111. 19.

8. B. picipes p. 200.

9. B. aeneus p. 201. *Sturm. Fn.* 2. 107. 13.

Fam. 7. Nitidulariae.

Obs. Genera pleraque hujus Familiae in Catalogo Dom. Com. Dejean, p. 42. et sequ. in Familia Necrophagorum locata; Triplax vero et Tritoma ad Chrysomelinos pag. 128, 129, et Sarrotrium ad Heteromera p. 67, relata.

ENGIS.

1. E. sanguinicollis p. 202.
2. E. humeralis p. 203.
3. E. bi-pustulata p. 203. *Dej. Cat. p.* 45.
4. E. rufifrons p. 204.

TRIPLAX.

1. T. Russica p. 205.

Obs. Articulus quartus tarsuum in hac specie et seqientibus valde parvus, vix observandus, ut in desciptione memoravi; meliore itaque jure Genera Triplax et Tritoma ad Tetrameros referenda.

2. T. bicolor p. 205. Nuper exclusa tota flavo-testacea, elytris brunneis e Lapponia. *Mus. Dom. Schönherr.*
3. T. aenea p. 206.
4. T. rufipes p. 207.

TRITOMA.

1. T. bipustulata p. 208.

2. T. glabra p. 208.

Obs. Insectum hoc nuper etiam in Lapponia detectum, teste Dom. Prof. Sahlberg.

3. T.? piliferum: ovali - sub - globosum, rufo - testaceum, supra villositate longa, erecta, tenuissima albicante, dense obvallatum, elytris crebre punctatis.

Müller in Germ. Mag. 4. *p.* 207.

Habitat in Scania ad Esperöd, sub muscis, loco silvestri, versus autumnum, semel a *Dom. Prof. Zetterstedt* captum.

Animalculum pusillum, Hydrophilo seminulo aequale et statura sub-simile; color rufo-testaceus, in disco anteriore thoracis et elytrorum saturatior, fere brunneus. Caput majusculum, deflexum, sub-quadratum, rufo-testaceum, nitidum, impunctatum, vix pubescens; oculi parvi, laterales, nigri; labrum sub-emarginatum. Palpi exserti, pallidi, articulo ultimo crasso, obtuso. Antennae longitudine fere thoracis, pallidae, articulo primo magno, oblongo ovato, externe inflato; secundo breviore, magis rotundato; 3—8, parvis, sub-aequalibus; tres ultimi clavam magnam, ob-ovatam, villosam formant, articulis nono et decimo cyathiformibus, nono minore; ultimo adhuc majore, ovato, obtuso. Thorax brevis, transversus, antice late et profunde emarginatus, angulis productis, caput ambientibus, lateribus valde deflexus, anguste marginatus, basi truncatus, supra convexus, aequalis et elytris adaequatus, impunctatus, rufo-testaceus, in disco antico saturatius brunneus, undique villositate erecta albida obductus. Scutellum minutissimum, vix observandum. Elytra maxima, antice thoracis basi latiora, humeris rotundatis, posterius attenuata, apice simultaneae rotundata, supra val-

valde convexa, sub-hemisphaerica, rufo-testacea, in disco anteriore brunnea, undique punctis majusculis, sed minus profunde impressis, vagis, crebre adspersa, villositate longiore erecta albida dense obducta. Corpus subtus minus convexum, parum pubescens, obsolete punctulatum, rufo-testaceum, disco abdominis saturatiore. Pedes breviusculi, tenues, pallidi, subpubescentes.

Obs. Etsi huic Generi propinquum videtur hoc Insectum, potius tamen cum Tritoma pilosum Helvigii et Trit. laevigatum Mülleri, in proprio genere collocandum credit oculatissimus Dom. Müller, loc. cit.

IPS.

1. I. 4-pustulata p. 210.

Obs. Maculae elytrorum magnitudine et structura variant. Individua, quorum elytra ad apicem suturae acuminata producta, masculini sexus sunt.

2. I. 4-punctata p. 211.
3. I. 4-guttata p. 211.
4. I. ferruginea p. 212.
5. I. 4-notata p. 213.

Obs. Nuper exclusa tota rufo-ferruginea, elytris dilute nigris, maculis pallide rufescentibus.

NITIDULA.

1. N. punctatissima p. 214. *Schönh. Syn.* 2. 142. 31.
2. N. varia p. 215. *Schönh. Syn.* 2. 142. 32.
3. N. marginata p. 216. *Schönh. Syn.* 2. 136. 6.
4. N. sordida p. 217. *Schönh. Syn.* 2. 142. 33.
5. N. colon p. 218. *Schönh. Syn.* 2. 143. 38.
6. N. discoidea p. 219. *Schönh. Syn.* 2. 144. 39.

7. N.

7. N. 10-guttata p. 220. *Schönh. Syn.* 2. 141. 30.

8. N. bi-pustulata p. 221. *Schönh. Syn.* 2. 135. 2.

Var. b, thoracis lateribus ferrugineis.

Obs. Magnitudo variat usque ad quadruplo minorem et ultra; in majoribus margo thoracis raro ferrugineus, in minoribus et minimis fere semper; in his etiam margo elytrorum saepe pallidior.

9. N. obscura p. 221. *Schönh. Syn.* 2. 136. 4.

Obs. Punctura thoracis multo subtilior quam in N. bi-pustulata, oculo armato tamen facile detegenda; elytrorum punctura subtilissima, aegre observanda. Magnitudo aeque ac in priori valde variat.

N. castanea, Sahlb. Ins. Fen. 6. 74. 7. huc pertinere mihi videtur, secundum varietatem pygmaeam, immaturam, descripta.

10. N. limbata p. 222. *Schönh. Syn.* 2. 143. 37.

Var. *b*. thoracis elytrorumque disco vix infuscato, corpore subtus testaceo.

Habitat cum a, rarius, colore pallidiore tantum diversa; statura brevis, ovata et thorax postice profundius transversim impressus, speciem a sequentibus distinguit.

11. N. obsoleta p. 223. *Schönh. Syn.* 2. 137. 10.

12. N. variegata p. 225. *Schönh. Syn.* 2. 138. 10.

Obs. Punctum nigrum elytrorum interdum obsoletum; distinguitur tamen a priori corpore breviore, confertius punctulato, thoracis marginibus latius explanatis, disco illius et elytrorum magis convexo etc.

13. N.

13. N. pygmaea p. 225. *Schönh. Syn.* 2. 138. 11.

14. N. oblonga p. 226. *Schönh. Syn.* 2. 138. 12.
Var. *c*, nigro-picea thoracis lateribus ferrugineis, pedibus piceis.
Habitat in Lapponia *Mus. Dom. Schönherr.*

15. N. pusilla p. 227. *Schönh. Syn.* 2. 138. 13.

16. N. aestiva p. 228. *Schönh. Syn.* 2. 138. 14.

16-17. N. laeviuscula: oblonga, convexa, ferruginea nitida glabra, obsoletissime punctulata, thorace longiore anguste marginato, elytris apice truncatis.
Habitat in floribus ad Sparrsäter Vestrogothiae rarius. *Mus. Dom. Schönherr.*

Statura elongata N. oblongae, sed minor, multo magis convexa et abuude distincta. Caput sub-triangulare, deflexum, rufo-testaceum, vix visibiliter punctulatum, oculis prominulis nigris; antennae ut in prioribus constructae, testaceae, clava obscuriore. Thorax majusculus, latitudine paulo brevior, anterius angustior ibique leviter emarginatus, lateribus parum rotundatus, anguste marginatus, basi truncatus, angulis nonnihil prominulis, supra magis quam in confinibus convexus, rufo-ferrugineus nitidus glaber, sub oculo tantum armato omnium subtilissime confertim punctulatus. Scutellum breve, latum, triangulare concolor. Elytra thoracis basi paulo latiora et illo triplo longiora, sub-linearia, apice truncata, angulo exteriore rotundato, supra convexa, rufo-testacea nitida, glabra, subtilissime et obsolete punctulata. Corpus subtus pallidius testaceum, evidentius punctulatum, ventris medio transversim piceo. Pedes mediocres pallide rufo-testacei.

17. N.

17. N. depressa p. 228. *Schönh. Syn.* 2. 137. 7.

18. N. Silacea p. 229. *Schönh. Syn.* 2. 137. 8.

Obs. Species 10 — 18., certe valde similes et affines notis vero constantibus distinctae, quare, me judice, ut species peculiares considerandae.

19. N. strigata p. 230. *Schönh. Syn.* 2. 141. 28.

Strongylus strigatus, *Dej. Cat. p.* 43.

Obs. Variat, forte secundum sexum, elytris apice rotundatis aut acuminatis, et juxta acumen sub-sinuatis; color etiam in his nigrior et signaturae pallidae elytrorum minores; unde vero simillimum videtur: Nitidulam lateralem, a Dom Prof. Sahlberg in Ins. Fen. 6. 77. 18. descriptam, modo hujus varietatem esse, elytris immaculatis, margine solum rufescente, nam in ceteris omni puncto conveniens est descriptio l. c. data.

20. N. imperialis p. 231. *Schönh. Syn.* 2. 141. 29.

Strongylus id. Dej. Cat. p. 43.

21. N. lutea p. 232. *Schönh. Syn.* 2. 139. 19.

Obs. Var. b et c, Illig. loc. cit. ad N. 4-punctatam pertinent; et ejus var. b, species has conjungere videtur.

22. N. 4-punctata p. 233. *Schönh. Syn.* 2. 139. 18.

Strongylus 4-punctatus, *Dej. Cat. p.* 43.

Var. b, corpore toto luteo aut ferrugineo immaculato, pectore tantum infuscato.

N. lutea ut ovum ovo simillima, vix distinguenda; sed in societate cum a, in agaricis annuis, versus finem aestatis copiose lecta, nunquam in floribus. Pectus et basis ventris plerumque obscuriora, fusco-

fusco-picea. Variat valde magnitudine usque ad quadruplo minorem, praesertim var. b.

23. N. fervida p. 234. *Schönh. Syn.* 2. 139. 17.

Var. b. Nitidula Sericea. Dom. Sturm in litteris.

Obs. Ad strongylos etiam pertinet.

24. N. rufipes p. 255. *Schönh. Syn.* 2. 144. 40.

Var. b, certe Nitidula atrata, Latr. Gen. Ins. 2. 13. 4.

Obs. Tibiae omnes compressae, versus apicem dilatatae, externe obtuse angulatae. parce ciliatae, sed vix denticulatae, nisi in ipso apice anteriorum interdum denticuli nonulli minuti observantur. Elytra confertissime punctulata, unde oblique inspecta interdum transversim rugulosa apparent.

Variat etiam pedibus fere totis nigris.

25. N. Pedicularia p. 256. *Schönh. Syn.* 2. 144. 41.

Obs. Thorax antice inspectus emarginatus quidem videtur, at minus profunde, quam in praecedente. Tibiae antice arcuatae, basi tenues, extrorsum latiores, apice oblique truncatae, ibique modo denticulis 3 s. 4 parvis armatae; tibiae mediae et posticae externe magis dilatatae, oblique truncatae, plus minusve angulatae. Copiose in floribus occurrit.

25-26. N. olivacea Pars 3. add. p. 678.

25-26. N. serripes: oblongo-quadrata, nigra, punctulata, tenuissime sericea, thorace brevi, antice vix emarginato, pedibus piceo-testaceis, tibiis anticis externe multidentatis.

Var. *b*, thorace utrinque foveola impresso. *Nitidula impressa*, *Latr. Gen. Ins.* 2. 14. 5.?

Habitat in floribus sat frequens.

Paulo minor N. Pedicularia, et thorace breviore,

viore, armatura tibiarum anticarum etc., distincta. Caput deflexum, angulatum, nigrum, confertissime punctulatum; antennae nigrae, medio piceae. Thorax brevis, transversus, antice angustior, vix emarginatus, lateribus parum rotundatus, anguste marginatus, basi truncatus, supra modice convexus, vix pulvinatus, niger, nitidus, confertissime punctulatus, pube minutissima sericea, praesertim versus margines, vestitus. Scutellum sub-triangulare, obtusum. Elytra antice latitudine baseos thoracis et illo plus triplo longiora, apice truncata, pygidium non occultantia, supra modice convexa, confertissime punctulata, nigra, nitidula, pube tenuissima parce adspersa. Corpus subtus nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum. Pedes breves, validi, nigro-picei, antici dilutiores, tibiis arcuatis, basi angustis, externe denticulis parvis sub-aequalibus fere per totam longitudinem serratis; tibiae posteriores extrorsum dilatatae, dense nigrociliatae.

Var. b, differt tantum thorace foveola intra-marginali impressa pone medium utrinque.

26. N. sub-rugosa p. 256. *Schönh. Syn.* 2. 145. 42.

Obs. Quod elytra, oblique inspecta, transversim rugulosa appareant, notam minus essentialem efficit, nam hoc etiam in N. rufipedi observatur; species tamen distincta videtur, thorace minus convexo, antice vix emarginato etc. Tibiarum structura et armatura ut in N. Pedicularia.

27. N. erythropa p. 257. *Schönh. Syn.* 2. 145. 45.

Obs. Colore antennarum pallidiore et parvitate a proxime praecedentibus distincta mihi videtur. Tibiarum armatura fere ut in N. Pedicularia sed posteriores minus dilatatae.

28. N. aenea p. 257. *Schönh. Syn.* 2. 145. 47.

Obs. Species duae, vere distinctae, hucusque a plu-

plurimis Entomologis confusae, quare, monente Cel. Dom. Schüppel, jam separandae.

N. aenea: oblongo-ovata, minus convexa, confertissime punctulata, tenue pubescens, virescenti-aenea aut violacea, subtus nigra, tibiis anticis externe sub-serratis.

a) Supra obscure virescenti-aenea, pedibus nigricantibus, tarsis omnibus tibiisque anticis rufescentibus, his externe subtilissime serrulatis.

Latr. Gen. Ins. 2. 12. 3. *var. A, B. Gyll. Ins. Sv. l. c. a.*

Var. *b*, eadem, sed tibiae anticae evidentius serrulatae. *Latr. l. c. var. F.*

Var. *c*, supra aut coerulescenti-nigra, aut coerulea, aut violacea, pedibus in a et b, aut rufescentibus, femoribus piceis; aut totis rufo-ferrugineis. *Latr. l. c. var. C, G; Gyll. Ins. Sv. l. c. var. b.*

Habitat in floribus ubique vulgatissima; var. *b* et *c*, vero parcius occurrunt.

Descriptio in Ins. Sv. l. c, data, huc pertinet, cui addendum: Tibiae anticae longae, arcuatae, basi tenues, versus apicem sensim modice latiores, externe interdum evidenter serratae, saepe vero subtilissime tantum; tibiae posteriores apicem versus multo magis dilatatae, oblique truncatae. — Color paginae superioris ut et pedum diversimode variat, ut in diagnosi varietatum dictum est. Variat etiam magnitudine, usque ad quadruplo minorem.

28-29. N. viridescens: oblongo-ovata con-

convexior, fere glabra, viridi-coerulea nitida, antennarum basi pedibusque rufo-testaceis, tibiis anticis muticis.

Nitidula aenea, Latr. Gen. Ins. 2. 12. 3. *var. D. Gyll. Ins. Sv.* 1. 237. 28. *var. c. Schönh. Syn.* 2. 145. 47. *var.* γ.

Var. *b*, supra nigro-coerulea tota. *Ins. Sv. l. c. var. d. Schönh. Syn. l. c. var.* δ.

Habitat in floribus, minus tamen copiose quam praecedens.

Statura convexiore, nitore splendidiore, glabritie, colore baseos antennarum et pedum pallide rufescente, et praesertim punctura elytrorum profundiore, minus crebra, tibiisque anticis omnino muticis, distincta. Caput deflexum, angulatum, viridi aeneum nitidum, confertim punctulatum, oculis lateraliter prominulis nigris; antennae ut in prioribus constructae, basi rufo-testaceae, clava magna fusco-ferruginea. Thorax ut in N. aenea constructus, modo supra magis convexus; confertissime punctulatus, viridi-aeneus nitidus, in disco glaber, versus latera pilis minutissimis parce adspersus. Scutellum triangulare, viride, opacum, subtilissime punctulatum. Elytra antice latitudine baseos thoracis, et illo vix triplo longiora, apice obtuse rotundata, supra convexa, coeruleo-virescentia, glabra, nitida, punctis profundioribus et rarioribus quam in N. aenea adspersa. Corpus subtus nigrum, parum nitidum, subtilissime punctulatum. Pedes validi rufo-testacei, geniculis interdum externe infuscatis, tibiis anticis arcuatis, externe omnino muticis, nisi in ipso apice oblique truncato denticuli 2 s. 3, minuti interdum detegi possunt.

29. N. ferruginea p. 239. *Schönh. Syn.* 2. 138. 15.

Strongylus ferrugineus, Dej. Cat. p. 43.

30. N.

30. N. atra p. 240. *Schönh. Syn.* 2. 139. 22. *Strongylus glabratus*, *Dej. Cat. p.* 43.

31. N. glabrata p. 241. *Schönh. Syn.* 2. 140. 23.

Entomologi recentiores pro hac specie peculiare condiderunt genus, et quidem jure; Dom. Fischou nomen Sarapus proposuit, sed descriptio in incendio Moscensi periit; D. Duftschmied in Faun. Austr. 1. 206. 1. hoc genus Sphaerites nominavit. Accuratissima delineatio et descriptio invenitur in Sturmii Faun. Germ. 1. 267. 41. Tab. 20. f. omnes, sub nomine: Hister glabratus.

32. N. orbiculata p. 242. *Schönh. Syn.* 2. 146. 48.

Etiam haec Species jam peculiare Genus constituit, sub nomine Arpidiphorus, a Dom. Ziegler ita nominatum, Dej. Cat. p. 47.

32–33. N. polita, P. 3. add. p. 680.

33. N. dubia p. 243. *Schönh. Syn.* 2. 146. 49.

Etiam ex hac Specie novum condere Genus placuit Dom Com. Dejean, qui in Catalogo suo p. 102, Insectum hoc Sphindus Gyllenhalii nominat; vix vero ad Familiam Xylophagorum referri potest, nam tarsi omnes 5–articulati mihi videntur.

34. N. bimaculata p. 244. *Schönh. Syn.* 2. 147. 58.

Obs. a Dom. de Paykull l. c., ut Sveciae incola allata; an jure?

CATHERETES.

1. C. pulicarius p. 245. *Catheretes gravidus*, *Schönh. Syn.* 2. 148. 1.

Var. *b*, femoribus tibiisque omnibus nigris, tarsis solis rufis.

Cercus atratus, *Dej. Cat. p.* 44. *Saltem secundum specimina ab ipso benevole communicata.*

Habitat cum a, passim, et colore pedum excepto, ne minimum diversus.

Variat color pedum in hac Specie diverso modo; jam quatuor anteriores rufescentes, et tum tibiae posticae etiam rufae, saltem apice; jam modo primi paris rufi, reliquis nigris, tibiarum medii paris apice interdum rufo; jam omnes nigri, tarsis vero omnibus semper rufis.

2. C. urticae p. 247. *Schönh. Syn.* 2. 148. 2.

Var. *d*, antennis nigro-fuscis, pedibus rufis.

Habitat cum prioribus rarius, colore antennarum unice diversa.

Variat haec Species frequentius segmento tantum ultimo abdominis ab elytris non occultato.

3. C. bipustulatus p. 248. *Schönh. Syn.* 2. 149. 3.

4. C. pedicularius p. 249. *Schönh. Syn.* 2. 149. 4.

5. C. glaberrimus p. 250. *Schönh. Syn.* 2. 150. 5.

6. C. brachypterus p. 251, deleatur; vid. Omalium brachypterum, Ins. Sv. P. 2. 207. 9.

PELTIS.

1. P. grossa p. 252. *Schönh. Syn.* 2. 132. 1.

2. P. ferruginea p. 253. *Schönh. Syn.* 2. 132. 2.

3. P. oblonga p. 254. *Schönh. Syn.* 2. 133. 3.

4. P. dentata p. 255. *Schönh. Syn.* 2. 134. 5.

5. P. limbata p. 256. *Schönh. Syn.* 2. 134. 6.

Thy-

Thymalus limbatus, *Dej. Cat. p.* 43. *Dufts. Fn. Austr.* 3. 127. 1.

NECROPHORUS.

1. N. Germanicus p. 257. *Schönh. Syn.* 2. 117. 1. *Herschel in Illig. Mag.* 6. 274.
2. N. humator p. 258. *Schönh. Syn.* 2. 118. 2. *Herschel l. c.*
3. N. vespillo p. 259. *Schönh. Syn.* 2. 119. 7.

Obs. Species duae vere distinctae, ab auctoribus plerisque confusae, jam a Dom. Herschel in Illig. Mag. 6. 274. egregie definitae. — S. vespillo, Linn. forte ad N. vestigatorem Herschelii pertinet, utpote apud nos vulgatissima; N. vespillo, Fabr. et Latreille vero, certe ad alteram speciem condylis spinosis, referenda; quare, ne augeatur confusio, denominationes et characteres a Dom. Herschel datas afferre idoneum censui.

N. vespillo: niger, antennarum capitulo elytrorumque fascia duplici aurantiacis, condylorum posticorum dente externo elongato, tibiis posticis incurvis.

Herschel in Illig. Mag. 6. *p.* 274. *Fabr. Syst. Eleut.* 1. 335. 7.

Latreille Gen. Ins. 2. 4. 1. *Sahlb. Ins. Fn.* 6. 86. 1.

Necrophorus curvipes, *Billb. Catal. Ins. p.* 12.

Var. *b*, fasciis aurantiacis elytrorum ad suturam interruptis.

Habitat in cadaveribus, fungis, passim, minus frequens quam species insequens.

Var. b, in Gottlandia Mus. Dom. Schönherr.

Statura et summa affinitas sequentis, plerumque paulo minor, et magnitudine variat. Formatio par-

tium, color antennarum, fasciae elytrorum in utraque Specie simillimae, quales in Ins. Sv. l. c. descriptae; sed differt haec Species a sequente: Macula lutea clypei minore, magis triangulari, saepe infuscata. Capite maris pone oculos minus tumido. Thorace antice supra flavo-aureo-pubescente; quod vix in sequenti exstat; et praecipue structura pedum posticorum, quorum tibiae multo longiores, valde incurvae, et condylus femorum multo longior, dente exteriore elongato, sub-acuminato. In utraque specie tarsi antici maris valde dilitati, fere lobati, lobis expansis hirsutis; in femina tarsi minus dilatati compressi.

3-4. N. vestigator: niger, antennarum capitulo elytrorumque fascia duplici aurantiacis, thorace supra sub-nudo, condylis femorum posticorum brevioribus apice emarginatis, tibiis posticis rectis.

Herschel in Illig. Mag. 6. *p.* 274. *Sahlb. Ins. Fen.* 6. 86. 2.

Necrophorus investigator, Zetterst. Act. Holm. 1824. *p.* 151. 44.

N. vespillo: auctorum plerorumque huc pertinet.

Var. *b. Ins. Sv. l. c.* huc referenda.

Var. *c*, fasciis aurantiacis elytrorum ad suturam late interruptis.

Habitat in cadaveribus, fungis, quisquiliis, frequens; var. *b* et *c*, rarius tamen occurrunt.

Obs. Tibiae pedum posticorum breves, rectae, apice dilatatae, et condyli femorum breviores, obtusae, apice emarginatae. Thorax supra non antice pubescens; cetera ut in desc. data.

3-4. N. Sepultor: niger, antennarum capitulo

pitulo elytrorumque fascia duplici aurantiacis, posteriore interrupta, condylis femorum posticorum apice emarginatis, tibiis rectis.

Dej. Cat. p. 42.

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Fallén. Mus. Dom. Schönherr.*

N. vespilloni simillimus, sed differt: fascia posteriore elytrorum interrupta, tibiis omnibus rectis, et condylis femorum posticorum emarginatis, dentibus sub-aequalibus. Caput et antennae ut in N. vespillone, macula lutea clypei triangulari. Thoracis forma eadem; limbus ejus totus, antice latius, lana flavo-aurea vel citrina tectus. Elytra profundius et minus crebre punctata quam in prioribus; fascia anterior magis inaequalis, posterius lobum longiorem, apice emarginatum emittens; fascia posterior e litura flexuosa exteriore et macula parva libera interiore formata. Corpus subtus ut prioribus. Pedes nigri, tibiis omnibus, etiam posticis rectis. Condyli femorum posticorum sub-conici, apice profunde emarginati, angulis aequalibus acuminatis.

4. N. mortuorum p. 260. *Schönh. Syn.* 2. 121. 8.

SILPHA.

1. S. littoralis p. 261. *Schönh. Syn.* 2. 122. 2.

Obs. Var. b, occurrit aut major, femoribus posticis crassissimis, subtus evidenter denticulatis, et tunc tibiae ejusdem paris valde arcuatae; aut paulo minor, femoribus posticis minus incrassatis, obsolete denticulatis et tunc tibiae minus arcuatae; hi omnes semper masculini Sexus, ut ex tarsis anticis valde dilatatis et abdomine septem-articulato judicari potest. Sed occurrunt etiam saepe mares, femoribus posticis simplicibus, muticis, ceterum omni puncto simil-

limi

limi et in societate cum reliquis pluries lecti; Silpha simplicipes, Dej. Cat. p. 42, ab ipso Comite benevole communicata, certe huc pertinet, an itaque pro peculiari specie habenda?

2. S. reticulata p. 263. *Schönh. Syn.* 2. 127. 15.

3. S. obscura p. 264. *Schönh. Syn.* 2. 125. 13.
Var. *b*, elytris sub-nitidis, lineis elevatis paulo evidentioribus.
S. tenebrosa, *Dom. Schönherr in litteris.*
Habitat in Svecia australi. *Dom. Quensel. Mus. Dom. Schönherr.*

In omnibus cum a, conveniens, modo elytra paulo magis nitida, unde etiam lineae evidentiores, etsi non magis elevatae; vix specie distinguenda.

4. S. tristis p. 265. *Schönh. Syn.* 2. 125. 11.
Var. *b*, Pars 3. add. p. 681.

5. S. laevigata p. 266. *Schönh. Syn.* 2. 126. 14.

6. S. atrata p. 266. *Schönh. Syn.* 2. 127. 16.

7. S. opaca p. 268. *Schönh. Syn.* 2. 129. 20.

8. S. carinata p. 269. *Schönh. Syn.* 2. 124. 10.

Obs. S. lunata, Fabr. Syst. Eleut. 1. 320. 15. qualem e Germania obtinui, certe huic simillima, sed vix eadem; dimidio enim major est, minus convexa, elytrorum margo multo latior, altius reflexus.

9. S. thoracica p. 270. *Schönh. Syn.* 2. 123. 6.

10. S. 4-punctata p. 271. *Schönh. Syn.* 2. 131. 24.

11. S. rugosa p. 272. *Schönh. Syn.* 2. 128. 17.

12. S.

12. S. Lapponica p. 273. *Schönh. Syn.* 2. 129. 18.

13. S. sinuata p. 274. *Schönh. Syn.* 2. 130. 22.

14. S. dispar p. 275. *Schönh. Syn.* 2. 130. 21.

AGYRTES.

1. A. castaneus Pars 3. add. p. 682.

CATOPS.

1. C. fornicatus p. 276.

Obs. Species plures, primo intuitu simillimae sub hac denominatione confusae, a Dom. Spence Esqu in exquisitissima Monographia hujus Generis egregie distinctae, quare etiam heic separandae, et nomen delendum.

1. C. tristis: oblongo-ovalis nigro-fuscus holosericeus, antennis longitudine thoracis, basi, tibiis tarsisque ferrugineis, capite ante antennarum basin per-brevi.

Choleva tristis, *Latr. Gen. Ins.* 2. 28. 3. *Spence. Monogr.* 144. 5.

Ptomophagus fornicatus, *Illig. Col. Bor.* 1. 89. 3.

Catops morio, *Payk. Fn.* 1. 344. 2.

Habitat in quisquiliis, locis umbrosis, passim.

Descriptio C. fornicati, Ins. Sv. l. c., quoad maximam partem ad hanc speciem pertinet, sed propter distinctionem a sequentibus, cum hac specie confusis, ulterius addendum: Caput ante antennarum insertionem brevissimum, obtusum, labro et ore ferrugineis. Antennae longitudine thoracis, versus apicem parum incrassatae, articulis 4, 5 vel 6 baseos ultimoque ferrugineis, reliquis nigro-fuscis, 8vo contiguis vix dimidio minore. Thorax basi apiceque latitudine sub-aequalis, lateribus aequaliter rotundatus, angulis posticis retrorsum prominulis acutis, unde ba-

sis late, sed parum profunde emarginata videtur. Elytra obsolete striata. Femora plerumque piceo-brunnea, antica maris apice incrassata; tibiae et tarsi semper ferruginei, tarsis anticis et primo articulo mediorum in mare incrassatis.

Obs. In Museo Cl. Dom. Schönherr specimen asservatur C. tristi in ceteris simillimum, sed antennarum articuli ultimi magis determinate seu abrupte majores, et octavus contiguis triplo minor; hic forte ad distinctam speciem pertinet, sed secundum individuum solitarium dubie tantum describendum.

1-2. C. alpinus: oblongo-ovalis niger, sericeo-pubescens, antennarum basi, tibiis tarsisque testaceis, elytris rufis, antennarum clava crassa, articulo octavo contiguis triplo minore.

Habitat in Lapponiae alpibus. *Dom. Praepos. Zach. Grape. Mus. Dom. Schönherr.*

Proximus C. agili, sed plus duplo major, et antennarum structura alia. Caput deflexum nigrum, confertim punctulatum, tenue pubescens, ore toto cum palpis labrique margine testaceis. Antennae crassiusculae, thoracis basin attingunt, articulis duobus primis rufo-testaceis, sequentibus nigro-piceis; basali longo, cylindrico, secundo tertioque aeque crassis sed dimidio brevioribus; 4—6, adhuc brevioribus, perfoliatis, sensim crassioribus, 7, 9, 10, magnis, cyathi-formibus, 8o omnium minimo, contiguis quadruplo minore; ultimo magno, breviter ovato, acuminato. Thorax transversus, longitudine fere duplo latior, antice non angustior, vix emarginatus, lateribus aequaliter rotundatus, basi truncatus, supra parum convexus, niger, confertim punctulatus, pube densiore depressa, fulvo-micante tectus. Scutellum majusculum, oblongo-triangulare, thoraci concolor. Elytra antice thoracis medio non latiora sed illo quadruplo longiora, lateribus evidenter reflexo-marginata,

nata, posterius attenuata, apice sub-acuminata, supra modice convexa, confertim ruguloso-punctata, pube simili uti thorax vestita, saturate rufescentia, apice et margine posteriore plerumque infuscata; juxta suturam stria unica impressa, in medio evidens et a sutura remota, anterius evanescens. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, tenue pubescens. Pedes mediocres rufo-testacei, femoribus quatuor posterioribus nigris aut nigro-piceis.

1-2. C. sericeus: convexior, ovatus, fusco-piceus, antennis thorace paulo longioribus pedibusque piceo-ferrugineis; thorace antice angustiore.

Fabr. S. El. 2. 564. 2.? *Payk. Fn.* 1. 342. 1.

Choleva sericea, *Spence Monogr.* 142. 4.

Habitat in quisquiliis, sub lapidibus, locis umbrosis, suffocatis, passim.

C. tristi simillimus et valde affinis, sed paulo brevior, latior et magis convexus. Caput ante antennarum insertionem longius productum, labro magis occultato, ciliato, oreque ferrugineis. Antennae paulo longiores quam in priori, ceterum ejusdem coloris et structurae, articulo octavo contiguis non nimis minore. Thorax antice angustior, compressus, lateribus aequaliter rotundatus, angulis posticis nonnihil prominulis, unde basi leviter emarginatus. Elytra antice latitudine baseos thoracis, dein ultra medium rotundato-dilatata, versus apicem iterum attenuata, supra magis convexa quam in C. tristi, alias quoad colorem, strias obsoletas, puncturam et pubescentiam ut in illo. Pedes quoad structuram et colorem omnino ut in priori, etiam secundum sexum.

1-2. C. nigricans: oblongo-ovalis, niger, antennis thorace paulo longioribus pedibusque ferrugineis, thorace basi evidentius sinuato.

Cho-

Choleva nigricans, *Spence Mon. p.* 141. *n.* 3.
Dermestes fornicatus, *De Géer. Ins.* 4. 216. 9. *Tab.* 8. *f.* 15.

Habitat in quisquiliis, locis umbrosis, apud nos rarius.

Praecedentibus iterum simillimus, sed statura longiore, antennis paulo longioribus et praecipue thorace postice, evidentius sinuato, distinctum. Caput nigrum, confertim punctulatum, pubescens, ante antennarum insertionem longius productum, ore palpisque ferrugineis. Antennae thorace paulo longiores, ferrugineae, versus apicem interdum infuscatae, articulis 7 — 11 sensim paulo crassioribus, 8vo contiguis non nimis minore, ultimo reliquis crassiore globoso-ovato, apice mucronato. Thorax longitudine paulo latior, antice angustior, compressus, truncatus, lateribus aequaliter rotundatus, basi in medio nonnihil dilatatus, angulis lateralibus retrorsum prominulis acutis, unde utrinque evidentius sinuatus; supra convexus, aequalis, niger, subtilissime confertim punctulatus, pube densiore depressa griseo-fulvescente vestitus. Scutellum triangulare concolor. Elytra antice latitudine baseos thoracis et illo bis et dimidio longiora, lateribus vix dilatata, apicem versus attenuata, supra modice convexa, nigro-fusca; punctura et pubescentia simili ut in thorace, striisque obsoletissimis notata. Corpus subtus nigro-piceum, magis nitidum, omnium subtilissime punctulatum. Pedes ferruginei, structura ut in prioribus, femoribus interdum nonnihil infuscatis.

1-2. C. festinans: oblongo-ovatus, niger, antennarum basi, labro elytris pedibusque rufo-testaceis, thorace breviore, antice angustiore basi parum sinuato.

Choleva festinans, *Spence Mon. p.* 145. *n.* 6.

Habitat in umbrosis, apud nos rarius.

A prioribus, quibus simillimus, praecipue differt: Thorace

race breviore, antice angustiore, basi perparum sinuato, ut et colore. Caput ut apud proxime praecedentem descriptum; antennae longitudine thoracis, articulis sex inferioribus ferrugineis, reliquis sensim crassioribus nigro-piceis, octavo contiguis dimidio minore, ultimo reliquis crassiore, apice acuminato. Thorax versus basin longitudine duplo latior, antice multo angustior, compressus, lateribus rotundatus, basi fere truncatus, angulis perparum prominulis; supra modice convexus, confertissime ruguloso-punctulatus, pubescens, niger, lateribus obscure ferrugineis. Scutellum ut in priori. Elytra antice latitudine baseos thoracis, et illo fere triplo longiora, pone basin nonnihil latiora, dein versus apicem attenuata, sub acuminata, supra modice convexa, confertissime ruguloso-punctata, pubescentia, obsoletissime striata, rufo-brunnea, ad suturam antice infuscata. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, subtiliter punctulatum, segmentorum marginibus anoque rufo-ciliatis. Pedes ferruginei, structura ut in prioribus, femoribus paulo obscurioribus.

2. C. agilis p. 277.
  Choleva fumata, *Spence Mon. p.* 155. *n.* 14.

3. C. truncatus p. 279.
  Choleva villosa, *Latr. Gen. Ins.* 2. 95. 5.
  Spence Mon. p. 152. *n.* 12.

4. C. brevicornis p. 280.
  Choleva brunnea, *Spence Mon. p.* 158. *n.* 18.
  Myloechus brunneus, *Latr. Gen. Ins.* 2. 30. 1. *Tab.* 8. *f.* 11, 12.?
  Catops brunneus, *Zetterst. Act. Holm.* 1824. *p.* 152. *n.* 46.?

Obs. Habitus Generis Catopis, sed antennarum structura longe alia, articulis nempe quatuor ultimis clavam magnam abrupte determinatam constituentibus, articulo 2. clavae seu 8. totius, nullo modo contiguis mi-

minore. Jure ideo Celeb. Latreille loc. cit. ad Genus peculiare, Myloechus retulit. Huc pertinent etiam plures in Finlandia detectae a Dom. Prof. Sahlberg in ejus Ins. Fenn. descriptae species, quas ego quidem non vidi, sed auctoritate Entomologi hujus oculatissimi afferre licet.

4-5. C. dentipes: oblongo-ovatus, fuscus, griseo-pubescens, punctatissimus, antennis brevibus, clava magna obtusa, 4-articulata, femoribus posticis unidentatis, tibiis rectis.

Var. *b*, pallidus, capite clavaque antennarum fuscis.

Sahlb. Ins. Fen. 7. 93. 5.

Habitat in Gramine ad Yllene Nygärd Finlandiae, Mense Julio.

Magnitudine et colore C. brevicorni omnino similis. Caput parvum, deflexum, creberrime punctulatum, pubescens, nigro-fuscum, ore piceo. Palpi pallidi; oculi magni globosi atri; antennae thorace breviores, ferrugineae, clava fusca, apice piceo-ferruginea, articulo primo magno, elongato, cylindrico; secundo breviori, angustiori; 3 tenui obconico; 4—7 brevibus perfoliatis coarctatis, sensim crassioribus; extimis quatuor magnis perfoliatis, clavam coarctatam apice obtusam constituentibus. Thorax magnus, valde convexus, fuscus, dense griseo-pubescens, creberrime punctulatus, antice angustatus, compressus, truncatus, postice sub-sinuatus, lateribus et angulis omnibus rotundatis. Scutellum triangulare fuscum, punctatissimum. Elytra oblonga, apicem versus attenuata, subacuminata, convexa, lateribus tenue marginata, creberrime punctata, fusca, pube grisea dense obducta, stria unica ad suturam, versus apicem profundiori, impressa. Corpus fusco-piceum nitidum punctulatum, ano piceo-ferrugineo. Pedes ferruginei femo-

ribus

ribus posticis apice crassioribus, dente tenui subulato, valde exserto, instructis, tibiis rectis, tarsis elongatis. Sahlberg.

Var. b., differt colore pallido et magnitudine minori.

4–5. C. appendiculatus: oblongo-ovatus fuscus, griseo-pubescens punctatissimus, antennis brevibus, clava magna obtusa 4-articulata, femoribus posticis appendiculo dentiformi instructis, tibiis posticis apice incurvatis.

Sahlb. Ins. Fen. 7. 94. 6. *Zetterst. Act. Holm.* 1824. *p.* 152. 45.

Habitat ad Yllene Nygärd Finlandiae, semel tantum lectus. In Gottlandia *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Praecedenti admodum similis magnitudine et colore, sed diversa tamen species, ob structuram pedum posticorum singularem. Caput cum antennis, thorax, scutellum et elytra omnino ut in praecedente. Corpus subtus fusco-piceum. Pedes ferruginei, femoribus posticis compressis, dilatatis, appendiculo tibiae latitudinis, lineari, apice oblique truncato, piloso, e medio fere femoris exeunte, et apicem ejus excedente instructis, tibiis posticis apice parum incrassato-incurvatis. Sahlberg.

4–5. C. bidentatus: oblongo-ovatus fuscus, griseo-pubescens, punctatissimus, antennis brevibus, clava magna, obtusa, 4-articulata, femoribus tibiisque posticis unidentatis, incurvatis.

Sahlb. Ins. Fen. 7. 95. 7.

Ad Vasam a *D. Vasastjerna* semel lectus.

Prae-

Praecedentibus valde similis, pedum structura solum distinctus. Caput, antennae, thorax, scutellum, elytra et abdomen ut in C. appendiculato. Pedes ferruginei, femoribus posticis compressis, parum incurvatis, dente magno, acuto, in medio instructis, tibiis posticis valde arcuatis, dente ad basin crasso, tuberculum referente. Sahlberg.

4-5. C. serripes: oblongo-ovatus fuscus, griseo-pubescens, antennis brevibus, clava magna obtusa, 4-articulata, femoribus tibiisque sub-rectis, posticis subtilissime crenulatis.

Var. *b*, piceo-ferrugineus, pube flavescenti tectus.

Sahlb. Ins. Fen. 7. 93. 8.

Habitat in Finlandia rarissime; in Bothnia orientali, *Dom. Vasastjerna*; in gramine ad Yllene Nygård var. b. semel capta.

Statura et magnitudine praecedentium, nec nisi pedum structura et colore paulo obscuriori ab his distinctus. Caput, antennae, thorax, scutellum, elytra et abdomen ut in proxime praecedentibus. Pedes ferruginei, femoribus posticis versus apicem dilatatis, tibiisque sub-rectis, latere interiori subtilissime crenulato-serratis.

Var. b, differt pube magis aureo-flavescenti. Sahlberg.

5. C. fuscus p. 281.

Choleva agilis, *Spence Mon. p.* 140. *n.* 2.

Obs. Synonymon Cl. Paykullii delendum, utpote ad C. sericeum antea pertinens.

6. C. elongatus p. 281.

Choleva oblonga, *Latr. Gen. Ins.* 2. 27. 1. *Spence Mon. p.* 138. *n.* 1.

Ci-

Cistela angustata, *Fabr. Syst. Eleut.* 2. 20. 23. *teste Dom. Spence l. c.*

SARROTRIUM.

1. S. muticum p. 283. *Schönh. Syn.* 2. 11:. 1.

Fam. 8. Palpatores.

SCYDMAENUS.

1. S. Helwigii p. 284. *Schönh. Syn.* 2. 59. 1.

1–2. S. Godarti: saturate castaneus pubescens, antennis extrorsum sensim crassioribus apice pedibusque pallide testaceis. Thorace cordato, postice sub-impresso, elytris vage punctatis.

Latr. Gen. Ins. 1. 282. 2. *Tab.* 8. *f.* 6.

Habitat ad Sparrsätra Vestrogothiae rarissime. *Mus. Dom. Schönherr.*

Magnitudo et statura S. Helwigii, sed abunde distinctus, antennis non abrupte clavatis, elytris evidenter punctatis etc. Caput deflexum, rotundatum, castaneum, nitidum, oculis minutis nigris. Palpi maxillares pallidi, articulo tertio ob-conico, parum incrassato, ultimo parvo, acuminato, exserto. Antennae longitudine dimidii corporis, inferne castaneae, apice pallidae, extrorsum sensim crassiores, adeo ut articuli tres ultimi, etsi antecedentibus gradatim majores, clavam abruptam tamen, non efficiant; articulus ultimus reliquis major, ovatus. Thorax cordatus, antice truncatus, lateribus ante medium rotundato-dilatatus, dein versus basin angustatus, supra valde convexus, praesertim anterius, totus saturate castaneus, nitidus, parce pubescens, vix punctulatus, versus basin transversim obsoletius impressus. Scutellum parvum triangulare concolor. Elytra magna, ovata, antice thoracis basi latiora, lateribus ante medium dilata-

latata, dein versus apicem angustata, supra valde convexa, evidenter, sed parce punctata, saturate castanea, nitida, pube longiori depressa parce adspersa. Corpus subtus castaneum nitidum. Pedes elongati, femoribus sub-clavatis testaceis, tibiis tarsisque tenuibus pallidis.

1-2. S. Dalmanni: niger, nitidus, fere glaber, antennis extrorsum sensim crassioribus pedibusque ferrugineis, thorace cordato, postice sub-impresso, elytris vage punctatis.

Habitat in Svecia rarissime. *Mus. Dom. Schönherr.*

Statura et magnitudo S. Helwigii. Caput rotundatum, nigrum, nitidum, supra planum, ore palpisque ferrugineis. Antennae longitudine dimidii corporis, ferrugineae, articulis exterioribus, a sexto sensim crassioribus, ultimo reliquis majore, ovato, acuminato, unde clava non determinata, ut in plerisque. Thorax latitudine longior, sub-cordatus, basi apiceque truncatus, lateribus paulo ante medium rotundato-ampliatus, posterius angustatus, supra in disco valde convexus, pulvinatus, juxta basin depressus et sub-impressus, totus niger, nitidus, politus. Scutellum vix observandum. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, ante medium ampliata, apice rotundata, supra convexa, nigra, nitida, parce et obsoletius punctata; in ipsa basi singuli elytri sulculi vel plicae duae brevissimae insculptae. Corpus subtus nigrum, parum nitidum, vix punctulatum. Pedes longiusculi fusco-ferruginei, femoribus extrorsum crasse clavatis.

Nomine Entomologi perspicacissimi ornatus.

1-2. S. clavatus: rufo-ferrugineus nitidus sub-pubescens, thorace oblongo, postice angu-

angustiore, haud foveolato, antennarum articulis tribus ultimis abrupte incrassatis.

Sahlb. Ins. Fen. 7. 98. 5.

Habitat ad Vasam Finlandiae rarissime. *Dom. Vasastjerna.*

Statura proxime praecedentis, sed dimidio minor, antennarum structura alia, thorax postice non impressus, color pallidior etc. Caput majusculum, sub-quadrangulare, rufo-ferrugineum, nitidum, laeve, oculis minutis nigris. Palpi maxillares elongati pallidi articulo primo longo, basi tenui, apice clavato; secundo brevi cylindrico; tertio magno, ovato, apice obtuso, quarto retracto, vix visibili. Antennae longitudine dimidii corporis, testaceae, articulis flagelli aequalibus nodosis, nono multo crassiore obconico, decimo adhuc crassiore, sed brevi, sub-globoso; ultimo magno, oblongo ovato. Thorax oblongus, antice coarctatus, capite angustior, lateribus ante medium dilatatus, dein versus basin iterum angustior, supra modice convexus, aequalis, absque impressionibus, rufo-ferrugineus, laevis, nitidus, tenue pubescens. Scutellum minimum, concolor. Elytra magna, ovata, antice thoracis basi latiora, in medio dilatata, apice rotundata, supra modice convexa, rufo-ferruginea nitida, subtilissime punctulata, basi plicata. Corpus subtus ferrugineum nitidum, ano dilutiore. Pedes elongati, pallidius testacei, femoribus basi angustis, apice clavatis, tibiis tarsisque tenuibus.

1-2. S. hirtus: piceo-niger nitidus, subhirsutus, thorace globoso, postice foveolis duabus geminatis impresso, antennarum articulis tribus ultimis incrassatis.

Sahlb. Ins. Fen. 7. 97. 1.

Habitat ad Vasam rarissime. *Dom. Vasastjerna.*

Parvus, S. hirticolli aequalis. Caput porrectum, rotundatum, piceo-nigrum, nitidum laeve, griseo sub-hirsutum. Palpi pallidi, versus latera angulatim flexi. Antennae crassae, pilosae, ferrugineae, clava fuscescente triarticulata, articulis 10, 11, orbiculatis, aequalibus, ultimo ovato. Thorax piceo-niger nitidus, pilis griseis hirsutus, globoso-convexus, antice paulo angustior, versus basin utrinque foveola, per carinulam in duas divisa, impressus. Scutellum minutum triangulare immersum. Elytra magna ovata, thorace multo latiora, in medio dilatata, apice rotundata, valde convexa, laevia, basi plicata, piceo-nigra, pilis griseis sparsis hirsuta. Corpus piceo-nigrum, ano dilutiori. Pedes elongati ferruginei, femoribus clavatis, tarsis elongatis tenuibus.

2. S. hirticollis p. 286. *Schönh. Syn.* 2. 59. 2.

Obs. Antennarum articulis quatuor ultimis abrupte majoribus praecipue distinctus.

2-3. S. Wetterhallii Pars 3. add. p. 693.

Obs. Etiam in Ostrobothnia a Dom. Vasastjerna lectus.

3. S. minutus p. 286. *Schönh. Syn.* 2. 59. 3.

4. S. impressus: niger nitidus pubescens, thorace postice vix angustiore, foveolis quatuor profundis impressus, duabus interioribus approximatis, elytris punctatis, antennis extrorsum crassioribus ferrugineis.

Sahlb. Ins. Fen. 7. 98. 4.

Habitat in Finlandia rarissime; ad Vasam, *D. Vasastjerna*; in Yllene, *D. Sahlberg*.

S. minutum magnitudine superat. Caput oblongo-ovatum, porrectum nigrum, nitidum, sub-pubescens, ore piceo, palpis anterioribus, ad latera angula-

gulatim flexis; oculi magni, valde prominentes, atri. Antennae crassae, pilosae, ferrugineae, articulis versus apicem sensim crassioribus, ultimo ovato. Thorax postice vix angustior, sub-quadratus, angulis fere rectis, supra convexus, niger, nitidus pubescens, ad angulos anteriores valde deflexos longius pilosus, foveolis quatuor ad basin impressis, duabus interioribus approximatis, carinula elevata tantum distinctis, duabus vero exterioribus, longitudinaliter juxta latera adscendentibus, profunde adeo excavatis, ut margines laterales thoracis postice elevati appareant. Scutellum minutissimum nigrum. Elytra magna, thorace multo latiora, ovata, in medio dilatata, apice rotundata, valde convexa, nigra, nitida, tenue pubescentia, punctulata, basi plicata. Corpus nigro-piceum nitidum pubescens. Pedes elongati, femoribus clavatis tibiisque ferrugineis tarsis tenuibus elongatis pallidis. Sahlberg.

Fam. 9. *Ptiniores. Latreille.*

ANOBIUM.

1. A. pertinax p. 288. *A. striatum, Schönh. Syn.* 2. 101. 3.

2. A. rufipes p. 289. *Schönh. Syn.* 2. 102. 5.
Obs. Canalicula thoracis interdum obsoleta, vix observanda.

3. A. castaneum p. 290. *Schönh. Syn.* 2. 103. 6.

3-4. A. denticolle: fusco-ferrugineum pubescens, thorace obsolete canaliculato, utrinque foveis duabus profundis impresso, angulis posticis in dentem acutum productis.
Schönh. Syn. 2. 101. 2. *Sahlb. Ins. Fen.* 7. 104. 4.
Habitat in Finlandiae domibus rarius. *Dom. Prof. Sahlberg.*

Statura praecedentium omnino; minoribus A. pertinacis individuis aequale; A. striato colore simile, sed plerumque majus, structura thoracis ab utroque distinctum. Caput parvum, retractum, punctulatum, pubescens, antennis obscure ferrugineis, ut in prioribus constructis. Thorax amplus, antice latior, sub-truncatus, lateribus depressus, reflexo-marginatus, inaequalis, basi sinuatus, angulis lateralibus in dentem acuminatum productis; supra valde convexus, confertissime granulato-punctatus, griseo-pubescens, in medio obsolete canaliculatus; intra basin utrinque fovea magna impressa sat profunda, et ab utroque latere versus angulum anticum alia ejusmodi. Scutellum oblongum, apice sub-emarginatum, dense pubescens. Elytra thoracis antico angustiora, sed illo fere quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, supra convexa, sat regulariter striato-punctata, tenue pubescentia, fusco-ferruginea opaca. Corpus subtus dilutius ferrugineum sub-nitidum, subtilissime punctulatum et pubescens. Pedes tenues, femoribus obscurius, tibiis tarsisque dilutius ferrugineis.

4. A. striatum p. 291. *A. pertinax*, *Schönh. Syn.* 2. 103. 7.

Obs. Var. b, ut distincta species consideranda, testantibus Dom. Herbst, Dom. Schönherr et Dom. Com. Dejean etc., sub nomine:

4-5. A. nitidum: nigro-piceum, vix pubescens, antennis pedibusque testaceis, thoracis disco posterius triangulariter elevato, foveis includentibus profunde impressis, arcuatis.

Schönh. Syn. 2. 103. 8. *Dej. Cat. p.* 40.

Habitat in ligno putrescente et fungis arboreis passim.

Praecedenti simillimum et certe valde affine; differre tamen videtur: Pubescentia corporis tenuissima tan-

tantum, vix dignoscenda; foveis posticis thoracis, plagam triangularem elevatam includentibus, multo profundioribus, altius assurgentibus, arcuatis, et colore antennarum pedumque dilutius testaceo; femora tamen interdum obscuriora, sub-infuscata; formatio partium praeterea eadem. Nomen A. nitidum, per confusionem, ut videtur, ortum, minime huic speciei competit, nam corpus totum opacum, obscurum.

5. A. paniceum p. 293. *Schönh. Syn.* 2. 105. 15.

6. A. pusillum p. 294. *Schönh. Syn.* 2. 106. 18.

6-7. A. exile: oblongo-ovatum, nigro-piceum, tenuissime holosericeo-pubescens, ore, antennis pedibusque testaceis, thorace postice acutangulo, elytris obsolete punctato-striatis.

Dom. Sturm in litteris.

Habitat ad Sparrsätra Vestrogothiae rarius. *Dom. Schönherr.*

Parvum, magnitudine A. panicei; A. pusillo simile sed abunde distinctum: forma thoracis, elytris obsolete tantum striatis et antennarum structura. Caput deflexum, piceum, subtilissime punctulatum, ore palpisque pallide testaceis; oculi majusculi brunnei. Antennae longitudine thoracis, inflexae, ferrugineae, articulis 9, 10, subtus valde dilatatis, ultimo elongato-ovato. Thorax antice compressus, sub-sinuatus, lobo medio rotundato, supra caput protenso, lateribus valde deflexus, rotundatus, basi truncatus, marginatus, angulis lateralibus acutis. Supra valde convexus, subtilissime punctulatus, tenue holosericeus, antice plerumque rufescens, posterius nigro-piceus; intra angulum posticum utrinque fovea transversa impressa. Scutellum rotundatum piceum. Elytra

tra antice latitudine baseos thoracis, et illo triplo longiora, apice rotundata, supra modice convexa, nigra, opaca, subtiliter ut obsolete striato-punctata, pube tenuissima cinerea micante tecta. Corpus subtus nigro-piceum, magis nitidum, subtilissime punctulatum, ano dilutiore. Pedes tenues rufo-testacei femorum basi saepe infuscata.

7. A. tessellatum p. 295. *Schönh. Syn.* 2. 101. 1.

8. A. molle p. 296. *Schönh. Syn.* 2. 104. 10.

9. A. abietis p. 297. *Schönh. Syn.* 2. 104. 11.

10. A. abietinum p. 298. *Schönh. Syn.* 2. 105. 12.

DORCATOMA.

1. D. Dresdensis p. 299. *Schönh. Syn.* 2. 114. 1.

2. D. Bovistae: sub-globosa nigra, antennis pedibusque fusco-piceis, elytris margine sub-tristriatis, oculis sulco divisis.

Ent. Heft. 2. 100. 2. *Tab.* 3. *f.* 11. *Schönh. Syn.* 2. 114. 3. *Zetterst. Act. Holm.* 1824. *p.* 153. 47.

Habitat in Scania, *Dom. Zetterstedt*; Vestrogothia *Dom. Schönherr*; Smolandia *Dom. Boheman.*

Magnitudo et facies D. Dresdensis, sed brevior, magis globosa et fortius punctata. Caput convexum, nigrum, crebre subtiliter punctulatum, pilis minutis cinereis sub-depressis adspersum, ore rufo-piceo; oculi ovati nigri, parum prominuli, sulco profundo cuneiformi, versus os latiore, in duas partes fere divisi. Antennae fusco-ferrugineae, structura ut in praecedenti. Thorax quoad structuram fere ut in priori,

priori, anterius tamen paulo angustior, et supra magis convexus, niger, sub-nitidus, crebre punctulatus, cinereo-pubescens. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thorace paulo latiora, tuberculo satis magno intra humerum notata, thorace plus triplo longiora, apice rotundata, supra modice convexa, nigra, crebre et sat profunde punctata, pilis parvis cinereis sub-depressis adspersa; intra marginem utrinque lineae duae impressae, fere integrae, et tertia a basi, sub tuberculo humerali incipiens, vix dimidium elytri attingens. Corpus subtus nigrum nitidum crebre punctulatum, parce pubescens. Pedes fusco-ferruginei, structura ut in priori.

3. D. rubens: globosa ferruginea, thorace postice rotundato, elytris margine tri-striatis, oculis integris.

Ent. Heft. 2. 103. 3. *Tab.* 3. *f.* 12. *Schönh. Syn.* 2. 114. 4.

Habitat in ligno carioso Quercus, ad Kinnakulle Vestrogothiae. *Dom. Schönherr* et *Boheman.*

Magnitudo D. Dresdensis sed brevior, latior, et magis globosa, tota rufo-ferruginea, capite thoracisque disco interdum infuscatis. Caput transversum ferrugineum, subtilissime punctulatum, oculis parvis nigris. Antennae breviores et crassiores quam in prioribus, ceterum ejusdem structurae. Thorax brevissimus, transversus, antice perparum emarginatus, lateribus et basi rotundatus, angulis posticis omnino nullis; supra valde convexus, confertim subtiliter punctulatus, tenue pubescens, rufo-ferrugineus, subnitidus, disco interdum transversim infuscato. Scutellum parvum, breve, latum, concolor. Elytra brevia, lata, undique marginata, marginibus nempe baseos et suturae etiam elevatis, humeris rotundatis, lateribus in medio rotundatis, supra valde convexis, subtili-

tiliter confertim punctulatis, parce pubescentibus, rufo-ferrugineis sub-nitidis; intra marginem cujusvis elytri striae tres longitudinales integrae, interiore tenuiore. Callus humeralis parum prominulus. Corpus subtus rufo-ferrugineum punctulatum. Pedes breviusculi ferruginei, validiores quam in D. Dresdensi.

PTILINUS.

1. P. pectinicornis p. 301. *Schönh. Syn.* 2. 112. 2.

Species duae, antea a plerisque auctoribus ut varietates inspectae, tamen distinctae videntur.

P. pectinicornis: elongatus, sub-cylindricus nigro-fuscus, antennis pedibusque pallide testaceis, elytris brunneo testaceis, vix costatis, thorace sub-globoso antice integro.

Mas: Antennarum radiis longissimis filiformibus.

Femina: Antennis profunde serratis.

Ins. Sv. l. c. var. b. c.

Synonyma ibi allata fere omnia huc pertinere videntur, Dom. Illiger l. c. hanc et sequentem ut varietates descripsit.

Habitat in ligno antiquo, carioso; saepe in domibus.

Magnitudo variat, sequenti plerumque minor; feminae majores masculis. Caput deflexum, punctulatum, nigrum, opacum, ore testaceo; oculi magni, globosi, nigri. Antennae maris dimidio corpore longiores, pallide testaceae, flabellatae, articulis octo exterioribus interne radios filiformes longissimos emittentes; articulus tertius a basi reliquis crassior, acute triangularis. Antennae feminae breviores acute et profunde serratae. Thorax valde convexus, sub-globosus,

sus, niger, opacus, confertissime punctulatus et saepe granulatus, margine antico reflexo, sed non emarginato. Scutellum triangulare nigrum, punctulatum. Elytra sub-linearia, thoracis medio angustiora, sed illo plus triplo longiora, supra valde convexa, aut fusco-aut pallidius testacea, opaca confertim inaequaliter punctata, punctis versus margines sub-striatim ordinatis; costae elevatae, quae in sequenti sat evidentes vix in hac specie observandae. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, punctulatum. Pedes tenues pallide testacei, femoribus interdum basi infuscatis.

Variat interdum thorace fusco-testaceo praesertim antice.

1-2. P. costatus: elongatus, sub-cylindricus, saturate niger, antennis, tibiis tarsisque luteo-ferrugineis, elytris lineis elevatis perspicuis, thorace sub-globoso, antice leviter emarginato.

Mas: Antennarum radiis brevioribus, extrorsum crassioribus, sub-clavatis.

Femina: Antennis profunde serratis.

Ptilinus pectinicornis, *Ins. Sv.* 1. 301. 1. *a.*

Anobium pectinicorne, *Illig. Col. Bor.* 1. 337. 12. *a.*

Ptilinus ater, *Dom. Com. Dejean in litt.*

Var. *b*, thorace elytrisque castaneis.

Habitat in truncis vivis Populi, Salicis, passim.

Statura et summa affinitas praecedentis, sed plerumque major, magis holosericeo-ater, praesertim thorax. Antennae laete luteo-ferrugineae, radiis brevioribus quam in priori et extrorsum crassioribus, subclavatis. Thoracis margo anticus in medio plus minusve emarginatus. In singulo elytro lineae 2 s. 3. ele-

elevatae, sat perspicuae. Femora plerumque, interdum etiam tibiae nigro-picea. Cetera ut in priori.

2. P. pectinatus p. 302. *Schönh. Syn.* 2. 112. 3.

Obs. Synonymum Marshami excludendum.

Var. b, l. c. Speciem propriam constituere videtur, nempe:

3. P. ater: ovatus niger opacus, tibiis tarsisque solum rufo-testaceis; capite thoraceque evidentius coriaceis.

Xylatinus ater, *Dej. Cat. p.* 40.

Habitat in ligno putrescente passim; etiam in arenosis Hallandiae ad littora maris aliquoties lectus.

Magnitudo, statura et summa affinitas praecedentis, sed differt: ore nigro, mandibulis latis, in disco tantum rufo-piceis; antennis nigris; capite thoraceque evidentius ruguloso-coriaceis, et femoribus omnibus nigris; cetera ut in praecedenti omnino.

4. P. laticollis: ovatus niger, opacus, holosericeo-pubescens, antennis serratis nigris, tibiis tarsisque solum testaceis, thorace subtilissime punctulato, lateribus valde ampliato.

Orion laticollis, *Dom. Megerle a Mühlfeldt, in litteris.*

Dermestes rufipes, *Marsh. Ent. Br.* 1. 62. 5. *teste Dom. Kirby.*

Habitat in Vestrogothia rarissime. *Dom. Schönherr.*

Magnitudo, statura et summa affinitas P. pectinati. Caput deflexum nigrum, subtilissime coriaceum,

ceum, fronte carinula elevata perspicua. Antennae totae nigrae, maris arcuatae, radiis longioribus. Feminae rectae, brevius serratae. Thorax totus niger, subtilissime punctulatus, pubescens, structura ut in P. pectinato, lobo laterali deflexo fere adhuc longiore. Scutellum et elytra ut in illo. Corpus subtus nigrum, punctulatum, sericeo-pubescens. Pedum structura eadem, sed femora nigro-picea, tibiis tarsisque rufo-testaceis.

PTINUS.

1. P. imperialis p. 304. *Schönh. Syn.* 2. 109. 6.
2. P. rufipes p. 305. *Schönh. Syn.* 2. 106. 2.
3. P. elegans p. 306. e specierum numero deleatur, utpote absque dubio femina praecedentis.
4. P. sex-punctatus p. 306. *Schönh. Syn.* 2. 107. 4.
5. P. fur p. 307. *Schönh. Syn.* 2. 107. 5.

Obs. In diagnosi addendum: Thorace postice late constricto, depresso, dorso quadri-fasciculato etc.

Varietates distinctius determinandae:

a) ferrugineus, elytris brunneis, fasciis duabus albis, saepius interruptis, macularibus. Schönh. l. c. α. β.

Var. b, ferrugineus totus, elytris maculis albis adspersis. Schönh. l. c. var. γ.

Var. c, ferrugineus immaculatus. Schönh. l. c. var. δ.

Facillime dignoscuntur sexus a forma elytrorum quae in feminis exacte ovata, antice angustata, absque tuberculo humerali, et supra magis convexa. In masculis vero elytra sub-linearia, elongata, minus convexa, antice vix angustiora, humeris prominulis.

6. P. crenatus p. 309. *Schönh. Syn.* 2. 109. 7.

Obs. In diagnosi addendum: Thorace postice anguste constricto, dorso obsolete bi-tuberculato. — Ptinus bidens, Oliv. Ent. 2. 17. 8. 6. huc pertinere videtur.

RHY-

RHYSODES.

Palpi omnes filiformes, articulo ultimo elongato, lanceolato. Maxilla brevissima, apice setosa. Corpus lineari-elongatum, durum. Caput triangulare, porrectum, collo angusto thoraci adnexum. Antennae crassae, moniliformes, rectae. Tarsi omnes 5-articulati, articulis integris, distinctis.

1. R. exaratus: nigro-piceus, glaber, capite bi-sulcato, thorace oblongo, sulcis tribus latis exarato, elytris linearibus, profunde sulcato-punctatis.

Dalman Analect. Ent. p. 93. 3. ubi Insectum hoc accuratissime descriptum.

Rhysodes europaeus, Ahrens Fn. Eur. Fasc. 6. f. 1. Dej. Cat. p. 40.

Gyll. Ins. Sv. p. 3. add. p. 720. obs.

Habitat in ligno putrido abietis, in Blekingia a *Dom. Baroni de Paykull* inventus.

Statura elongata linearis et magnitudo Dendrophagi crenati, sed multo convexior. Caput exsertum, porrectum, triangulare, piceum nitidum, fronte sulcis duabus profundis, crenatis exarata, prope verticem rotundatim dilatatis; supra os foveola parva cuneiformis; oculi laterales brunnei, modice prominuli; antennae longitudine dimidii corporis, crassae, nigrae, parce pilosae, exacte moniliformes, articulis 11. globosis, primo majore, ultimo apice acuminato; collum angustum, distinctum. Thorax oblongo-ovatus, antice angustatus, truncatus, lateribus ante medium rotundato-dilatatus, marginatus, posterius iterum angustior, basi truncatus, angulis rectis; supra modice convexus, piceus nitidus, sulcis tribus profundis exaratus,

ratus, media percurrente, antice posticeque latiore, punctata, lateralibus basi latis, ruguloso-punctatis, anterius angustatis, abbreviatis. Scutellum nullum. Elytra a thorace spatio remota, antice thoracis basi latiora, humeris prominulis, et in ipsa basi singulatim rotundato-excavata, thorace plus duplo longiora, sub-linearia, lateribus inflexa, abdomen includentia, versus apicem attenuata, sub-acuminata, supra modice convexa, plerumque dilutius rufo-picea, nitida, singulo sulcis septem profunde punctatis exarata, praeter marginalem tenuiorem; interstitia sulcorum convexa, laevia. Corpus subtus rufo-piceum, nitidum, inaequaliter punctatum. Pedes breviusculi, dilutius rufescentes, antici crassiores, tibiis apice spinosis.

Familia 9—10. *Cucujipes. Latr.* *P.* 2. *add. p. VII.*

Obs. Ad Familiam Xylophagorum a Dom. Com. Dejean referuntur, vid. Cat. p. 103. 104.

CUCUJUS.

1. C. depressus P. 2. add. p. VII. *Schönh. Syn.* 3. 52. 4.
2. C. dermestoides P. 2. add. p. VIII. *Schönh. Syn.* 3. 54. 11.
3. C. muticus P. 2. add. p. X. *Schönh. Syn.* 3. 54. 12.
4. C. monilis P. 2. add. p. XI. *Schönh. Syn.* 3. 54. 13.
5. C. testaceus P. 2. add. p. XII. *Schönh. Syn.* 3. 55. 17.
6. C. bimaculatus P. 2. add. p. XIII. *Schönh. Syn.* 3. 55. 20.

DEN-

DENDROPHAGUS.

1. D. crenatus P. 2. add. p. XIV. *Schönh. Syn.* 3. 58. 1. *Ahr. Fn. Ins. Eur.* 6. *f.* 7.

Familia 10. *Clerii. Latreille.*

CLERUS.

1. C. formicarius p. 310. *Schönh. Syn.* 2. 43. 5.

Var. b, *Clerus femoralis*, *Dej. Cat. p.* 41.

Var. *c*, pectore pedibusque nigris. *Sahlb. Ins. Fen.* 8. 107. 1. *var. c.*

Habitat cum prioribus raro.

Simillimus a, modo pectus nigrum.

Var. *d*, pectore nigricante, tibiis tarsisque rufescentibus.

Habitat cum prioribus rarius.

Differt tantum pectore nigro aut piceo, et pedibus maxima parte rubris, femoribus tamen, saltem versus apicem, nigris.

NOTOXUS.

1. N. mollis p. 312. *Schönh. Syn.* 2. 25. 1.

TILLUS.

1. T. elongatus p. 313. *Schönh. Syn.* 2. 45. 1.

Familia 11. *Malacodermi.*

LYMEXYLON.

1. L. Dermestoides p. 314.

Xylecoethus Dermestoides, *Schönh. Syn.* 3. 44. 1.

Obs. Variat femina elytris apice plus minusve infuscatis. E Finlandia.

1 – 2. L.

1-2. L. flabellicorne: pubescens nigrum, elytris rufis apice nigris, antennis flabelliformibus pedibusque rubris, femoribus posticis nigro-fuscis.

Sahlb. Ins. Fen. 8. 110. 2.

Xylecoethus flabellicornis, Schönh. Syn. 3. 46. 2.

Habitat in Finlandia rarissime. *Dom. Sahlberg, Uddman.*

Magnitudo et statura L. navalis. Caput subovatum nigrum, ore palpisque ferrugineis. Antennae rufescentes, arcuatae, uno latere valde pectinatae, basi sub-nudae, appendiculo foliaceo instructae. Thorax brevis transversus, niger pubescens. Scutellum oblongum nigrum. Elytra latitudine thoracis, sub-linearia, thorace triplo longiora, supra convexa, lineis nonnullis elevatis notata, rufo-ferruginea nitida, apice oblique nigro-fusca. Abdomen atrum, ano ferrugineo. Pedes mediocres rufo-ferruginei, femoribus posticis nigris vel nigro-fuscis.

Obs. Xylecoethus analis, Schönh. Syn. 3. 46. 3. Cantharis, Uddman Diss. 25. 49. mihi ignotus; feminam prioris autumat Dom. Uddman, loc. cit.

2. L. navale p. 316. *Schönh. Syn.* 3. 46. 1.

LAMPYRIS.

1. L. noctiluca p. 318. *Schönh. Syn.* 3. 59. 1.
2. L. splendidula p. 319. *Schönh. Syn.* 2. 61. 2.
3. L. hemiptera P. 3. add. p. 684. *Schönh. Syn.* 3. 66. 45.

LYCUS.

1. L. sanguineus p. 320. *Schönh. Syn.* 3. 74. 32.

2. L.

2. L. aurea p. 321. *Schönh. Syn.* 3. 76. 36.
3. L. affinis p. 322. *Schönh. Syn.* 3. 76. 38.
4. L. minutus p. 323. *Schönh. Syn.* 3. 75. 35.

DASYTES.

1. D. coeruleus p. 324. *Schönh. Syn.* 3. 14. 16.

1–2. D. obscurus P. 3. add. p. 685. *Schönh. Syn.* 3. 14. 14. *Sahlb. Ins. Fen.* 8. 113. 1.

2. D. niger p. 325. *Schönh. Syn.* 3. 12. 9.

3. D. floralis p. 326. *Schönh. Syn.* 3. 13. 10.

4. D. nigricornis p. 327. *Schönh. Syn.* 3. 13. 22.

4–5. D. fusculus: elongatus, fusco-aeneus, sericeo-pubescens, thorace canaliculato, elytris obsoletius punctulatis, antennis pedibusque nigris, tibiis pallidis.

Schönh. Syn. 3. 14. 15.

Habitat in floribus Vestrogothiae rarius; ad Sparrsätra *Dom. Schönherr*; in Kinnakulle, Ipse.

Statura elongata D. flavipedis, sed fere duplo major. Caput rotundatum, obscure fusco-aeneum, pubescens, confertissime punctulatum, fronte impressa, interdum tri-foveolata. Antennae nigrae, thorace longiores, in utroque sexu obtuse serratae. Thorax longitudine parum latior, basi apiceque sub-truncatus, lateribus aequaliter rotundatus, supra convexus, evidenter canaliculatus, confertim sed obsolete punctulatus, fusco-aeneus pubescens. Scutellum apice rotundatum, concolor. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris prominulis, thorace fere quadruplo longiora, sub-linearia, apice sub-acuminata, supra parum convexa,

vexa, confertim sed subtiliter et obsolete ruguloso-punctata, fusco-aenea, pube depressa cinereo-sericea densiore tecta. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, subtilissime punctulatum, tenue pubescens. Femora nigro-aenea nitida; tibiae totae testaceae; tarsi nigro-picei.

4-5. D. rufitarsis: elongatus nigro-coerulescens sub-glaber, thorace elytrisque parcius sed profunde punctatis, antennis profunde et acute serratis, basi tarsisque rufescentibus.

Sahlb. Ins. Fen. 8. 113. 3.

Habitat ad Vasam rarissime. *Dom. Vasastjerna.*

D. obscuri latitudine, sed paulo longior. Caput exsertum, aeneo-coerulescens, thorace angustius, punctatum, sub-pilosum, foveolis duabus inter oculos, tertiaque in vertice magis obsoleta, impressis; oculi nigri. Antennae longitudine dimidii corporis, nigrae cinereo-pubescentes, profunde serratae, dentibus elongato-triangularibus acuminatis; articulis tribus baseos rufescentibus. Thorax longitudine dimidio latior, antice truncatus, lateribus et postice rotundatus, tenuissime marginatus, supra modice convexus, aequalis, distincte punctulatus, nigro-sub-coeruleus, ad latera pilosus. Scutellum nigro-coerulescens, rotundatum, punctulatum. Elytra thoracis medio vix latiora sed quintuplo longiora, apice rotundata, supra convexa, humeris elevatis, nigro-coerulescentia nitida, ad margines sub-pilosa, parce et profunde punctata. Corpus nigro-coeruleum punctulatum, sub-pubescens. Pedes elongati pilosi nigri, tarsis rufo-ferrugineis. Sahlberg.

4-5. D. tarsalis: oblongus, virescenti-coerulescens hirtus, fronte tri-foveolata, ely-

elytris profunde punctatis, antennis profunde et acute serratis, basi tarsisque piceo-ferrugineis.

Sahlb. Ins. Fen. 8. 114. 4.

Habitat in floribus rarissime; ad Vasam, *D. Vasastjerna*, in Ylläne. *Dom. Sahlberg.*

Magnitudine D. floralis. Caput thorace angustius, virescenti-coeruleum, hirtum, punctatum, foveolis vel sulculis tribus, duabus inter-ocularibus, tertia verticali, sat profunde impressis. Oculi nigri. Antennae nigrae, vix dimidii corporis longitudine, profunde et acute serratae, dentibus elongato-triangularibus; articuli tres baseos piceo-ferruginei. Thorax viridi-coeruleus nitidus hirtus, postice latior, antice truncatus, lateribus parum dilatatus, angulis posticis rotundatis, supra modice convexus, aequalis, crebre punctulatus. Scutellum viridi-coerulescens, rotundatum, tenuissime punctulatum. Elytra thorace quadruplo longiora, apice rotundata, supra convexa, humeris elevatis, viridi-coerulescentia nitida, pilosa, profunde et parcius punctata. Corpus viridi-coeruleum subtilissime punctulatum, pubescens. Pedes viridi-coerulescentes, tarsis piceo-ferrugineis.

Obs. Quamvis D. florali magnitudine, antennarum structura elytrorumque punctura valde similis, ab eo tamen differt colore, fronte foveolata, thoracisque lateribus minus rotundatis, atque diversa Species mihi videtur. A praecedente corpore minus elongato, colore pubescentia et foveola verticali profundius impressa distinguitur. Sahlberg.

5. D. flavipes p. 327. *Schönh. Syn.* 3. 13. 13.

6. D. linearis p. 328. *Schönh. Syn.* 3. 16. 25.

CANTHARIS.

1. C. fusca p. 329. *Schönh. Syn.* 2. 60. 1.

Variat femina thoracis disco fere toto nigro.

Var. *b*,

Var. *b*, thorace rufo immaculato.

Habitat in Finlandia. *Mus. Dom. Schönherr.*

Simillima a, modo macula nigra in disco thoracis obsoleta vel nulla.

2. C. rustica p. 330. *Schönh. Syn.* 2. 61. 2.

3. C. dispar p. 331. *Schönh. Syn.* 2. 61. 3.

4. C. pellucida p. 332. *Schönh. Syn.* 2. 65. 18.

5. C. violacea p. 333. *Schönh. Syn.* 2. 64. 13.

Var. *b*, thorace postice litura flexuosa nigra notato.

Habitat cum praecedente rarius.

In omnibus simillima a, sed in posteriore parte thoracis litura nigra valde flexuosa, plagulam rufam fere includens, simili modo ac in C. liturata; masculos tantum hujus var. vidi.

6. C. nigricans p. 333. *Schönh. Syn.* 2. 65. 17.

Var. *c*, tibiis posticis etiam rufescentibus. *Schönh. l. c. var. γ.*

Var.? *d*, antennarum articulis primis quinque fuscis; elytris vitta elongata rufescente, tibiis posticis rufis.

Sahlb. Ins. Fen. 8. 117. 5. *var. d.*

Habitat ad Vasam rarissime. *D. Vasastjerna*; in Fennia australi *Dom. Sahlberg.*

Varietati c, magnitudine et statura simillima. Antennae articulo primo ad basin rufescente, apice nigro; sequentibus quatuor nigro-fuscis, reliquis rufo-testaceis. Elytra nigra, pube densa cinerea tecta, vitta prope ad basin incipiente et in medio evanescente, nec suturam nec marginem attingente, rufo-testacea. Pedes testacei, femorum posticorum apice fusco. An diversa Species? — Sahlberg.

7. C. obscura p. 334. *Schönh. Syn.* 2. 64. 15.

7–8. C. Lapponica Pars 2. add. p. XV. *Sahlb. Ins. Fen.* 8. 117. 7.

8. C. elongata p. 335. *Schönh. Syn.* 2. 66. 29.

9. C. paludosa p. 336. *Schönh. Syn.* 2. 67. 30.

10. C. atra p. 336. *Schönh. Syn.* 2. 67. 31.

11. C. flavilabris p. 337. *Schönh. Syn.* 2. 67. 32.

Var. *b*, thoracis limbo vix testaceo.

Habitat cum a, sat frequens.

Var. *c*, antennis thoraceque totis nigris.

Habitat cum a, rarius.

Var. *d*, thorace pedibusque fere totis testaceis.

Habitat cum prioribus rarissime.

Obs. Masculos tantum varietatum b, et c, vidi; ex var. d, individuum tantum unicum femineum. A C. paludosa haec Species dignoscitur praecipue thoracis angulis posticis rectis, nec rotundatis, et quod fere duplo major. In graminosis ad littora maris in Bahusia copiose occurrit, mense Junio.

12. C. pulicaria p. 338. *Schönh. Syn.* 2. 67. 33.

12–13. C. torquata: atra, mandibulis, thorace abdomineque rufis, thorace transverso inaequali, ruguloso, antennis validis.

Habitat in Blekingia rarissime. *Dom. Schönherr.*

Facies C. thoracicae, sed plus duplo major et abunde distincta. Caput deflexum atrum, confertim ruguloso-punctatum, mandibulis solis testaceis, apice nigris; oculi globosi, prominuli, nigri; antennae validae, dimidio corpore longiores, totae atrae. Thorax brevis, transversus, antice sub-rotundatus, lateribus

ribus inaequalis, anterius reflexo-marginatus, dein pone medium in masculo excisus, dentem emittens; basi sub-truncatus, angulis prominulis acutis; supra modice convexus, valde inaequalis, punctatus, rugulis foveisque inordinatis leprosus, saturate rufus, sub-nitidus, lineolis nonnullis nigris sparsis, in mare evidentioribus, notatus. Scutellum majusculum, atrum, punctatum, apice sub-emarginatum. Elytra antice latitudine baseos thoracis, et illo fere quintuplo longiora, sub-linearia, lateribus reflexo-marginata, apice rotundata, supra modice convexa, confertissime ruguloso-punctata, tota atra, parum nitida. Thorax subtus in medio niger, lateribus late rufus; pectus totum nigrum, subtilissime punctulatum. Abdomen latum, lateribus serratum, pallidius rufescens, supra antice in medio nigrum, nitidum, subtus maculis duabus transversis fuscis in singulo segmento, notatum. Pedes elongati, toti nigri.

13. C. thoracica p. 338. *Schönh. Syn.* 2. 67. 34.

13-14. C. fulvicollis: nigra, ore, antennarum basi, thorace, ano pedibusque rufo-testaceis.

Sahlb. Ins. Fen. 8. 118. 12. *Schönh. Syn.* 2. 70. 50.

Var. *b*, thoracis disco infuscato.

Sahlb. l. c. var. b.

Habitat in floribus et frutetis Fenniae australis haud infrequens. *Dom. Prof. Sahlberg.*

Magnitudo praecedentis, eique similis et affinis. Caput deflexum, cum oculis latitudine thoracis, nigrum, punctulatum, ore testaceo, palpis maxillaribus apice fuscis; oculi globosi nigri; antennae longitudine dimidii corporis vel ultra, nigrae, articulis 3 vel 4 baseos testaceis. Thorax longitudine paulo latior, antice cum angulis rotundatus, lateribus subrectis, late reflexo-marginatis, basi sub-truncatus, angulis laterali-

ralibus rectis, supra inaequalis, in disco posteriori convexus, in medio obsolete canaliculatus. intra basin et latera impressus, ruso-testaceus nitidus, vix punctulatus, interdum intra apicem et in disco postico lituris nigris notatus. Scutellum sub-triangulare piceum punctulatum. Elytra latitudine thoracis, et illo quadruplo longiora, linearia, apice rotundata, supra modice convexa, confertim ruguloso-punctata, nigra pubescentia. Thorax subtus in medio niger, lateribus late testaceis; pectus nigrum, punctulatum; abdomen latum, lateribus serratum, subtus flavo-testaceum, segmentis anterioribus plaga magna transversa nigra notatis. Pedes longiusculi ruso-testacei, tarsis saepe apice infuscatis.

13-14. lateralis: nigra, capite antice, antennis inferne, thorace toto, abdominis limbo pedibusque ruso-testaceis, elytrorum margine laterali apiceque flavis.

Schönh. Syn. 2. 65. 23.

Habitat Upsaliae. Cl. a *Linné*, *Fn. Sv.* n. 707., sed post ejus tempora non intra patriam lecta, quantum mihi innotuit.

Magnitudo, statura et affinitas proxime praecedentium. Caput deflexum, cum oculis latitudine thoracis, postice nigrum, ruguloso-punctatum, antice ultra antennarum insertionem sinuatim flavo-testaceum; oculi globosi nigri; antennae longitudine dimidii corporis, ferrugineae, extrorsum nigro-fuscae, articulo primo etiam interdum infuscato. Thorax quoad structuram ut in C. fulvicolli, totus ruso-testaceus. Scutellum sub-triangulare nigrum, subtiliter punctulatum. Elytra latitudine thoracis et illo quadruplo longiora, linearia, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, subtiliter ruguloso-punctata, nigra, pube brevi densa depressa cinerea adspersa, margine laterali angustius, apicali paulo latius pallide flavescentibus. Thorax subtus flavus, pectus nigrum, punctula-

ctulatum, pubescens. Abdomen latum, lateribus subserratum, subtus flavescens, segmentis plerisque anterioribus plaga magna transversa nigra notatis. Pedes longiusculi testacei, femoribus anticis tibiisque posticis saepe linea nigra notatis.

Sectio 2. p. 340. proprium constituit genus, a Dom. Latreille in Gen. Ins. 1. p. 261. Malthinus dictum, ut etiam antea Ins. Sv. p. 345 et 560. allatum est.

14. C. flaveola p. 340.
Malthinus flavus, *Schönh. Syn.* 2. 73. 1.

15. C. fasciata p. 341.
Malthinus fasciatus, *Schönh. Syn.* 2. 74. 3.

16. C. biguttula p. 341.
Malthinus biguttulus, *Schönh. Syn.* 2. 74. 4.

17. C. biguttata p. 342.
Malthinus biguttatus, *Schönh. Syn.* 2. 74. 5.

18. C. sanguinolenta p. 343.
Malthinus sanguinicollis, *Schönh. Syn.* 2. 75. 6.

Var. *b*, thoracis disco litura cruciformi nigra notato.

Habitat cum a, frequentius, in umbrosis; mas et femina saepius similiter colorati.

Var. *c*, thoracis disco fere toto nigro, elytris apice concoloribus.

Habitat cum prioribus rarius; ad Mysseberg Vestrogothiae lecta.

Magnitudo et statura praecedentium omnino; differt tantum thoracis disco latius nigro, et elytris apice concoloribus absque macula flava. Feminas tantum hujus varietatis vidi.

Species ab affinibus dignoscitur: Capite postice attenuato; antennis basi testaceis, articulis plerumque duo-

duobus, rarius tribus aut pluribus; thoracis lateribus anterius immarginatis, angulo antico prominulo etc.

19. C. minima p. 344.

Malthinus marginatus, *Schönh. Syn.* 2. 75. 7. *vix vero id. Dom. Latreille l. c. quare nomen reliquorum retinendum.*

Obs. Var. b, elytris absque macula apicis flava, semper duplo minor, an Specie diversa?

20. C. brevicollis p. 345.

Malthinus brevicollis, *Schönh. Syn.* 2. 76. 8.

Habitat praecipue in frondibus abietis junioribus.

Fam. 2. *Elytris pallescentibus.*

21. C. alpina p. 346. *Schönh. Syn.* 2. 64. 11.

Var. *c*, capite thoraceque testaceis elytris totis nigris.

Lecta in floribus Pruni spinosae ad Esperöd Scaniae. *Dom. Prof. Fallén*; in Vestrogothia *Dom. Schönherr*.

Simillima a, sed elytra tota nigra. Specimen visum masculini sexus erat.

Var. *d*, tota nigra, ore, thoracis lateribus, tibiis segmentorumque ventralium marginibus pallidis.

Lecta in floribus Padi ad Kinnakulle Vestrogothiae, rarissime; in Lapponia *Dom. Schönherr.*

Colore excepto, prioribus omni puncto conveniens.

22. C. livida p. 346. *Schönh. Syn.* 2. 62. 4.

23. C. assimilis p. 347. *Schönh Syn.* 2. 63. 8.

24. C. liturata p. 348. *Schönh. Syn.* 2. 63. 9.

Obs. Var. γ. Fallén. et Schönh. l. c. simillima a, modo thorax et femora fere immaculata, forte secundum specimen immaturum descripta.

25. C. clypeata p. 349. *Schönh. Syn.* 2. 72. 68.

26. C. rufa p. 350. *Schönh. Syn.* 2. 63. 7.

27. C. bicolor p. 351. *Schönh. Syn.* 2. 71. 67.

28. C. fuscicornis p. 352. *Schönh. Syn.* 2. 71. 61.

29. C. melanura p. 353. *Schönh. Syn.* 2. 70. 60.

30. C. pilosa p. 354. *Schönh. Syn.* 2. 63. 10.

Var. *c*, rufo-testacea, elytris pallidioribus.
Sahlb. Ins. Fen. 9. 111. 18. *var. c.*
Cantharis linearis, *Dom. Com. Dejean in litteris.*
Habitat in Finlandia rarissime. *Dom. Sahlberg;* in umbrosis ad Mysseberg Vestrogothiae pluries lecta.

Colore excepto omni puncto simillima a et b. Caput rufo-testaceum, oculis globosis nigris. Palpi maxillares elongati fuscescentes. Antennae longae, fusco-testaceae, basi pallidae. Thorax totus rufo-testaceus. Scutellum et elytra pallide testacea. Pectus et venter infuscata, suturis pallidis. Pedes elongati pallidi, tarsis nigro-fuscis.

31. C. pallida p. 354. *Schönh. Syn.* 2. 68. 42.

Var. *c*, femoribus, aut anterioribus, aut omnibus, aut tantum posticis nigris.
Sahlb. Ins. Fen. 9. 111. 19. *var. c.*
Habitat cum prioribus rarius.

Dif-

Differt ab a, colore femorum tantummodo, quae rarius tota nigra, minus raro linea nigra notata; feminas tantum ita coloratas vidi.

Obs. C. femoralis, Ziegler, Dej. Cat. p. 37. ab ipso Comite benevole communicata huic varietati simillima, sed femora omnia et tibiae etiam posticae nigrae, tarsique omnes fusci. An vere dist. species?

32. C. testacea p. 355. *Schönh. Syn.* 2. 72. 69.

MALACHIUS.

1. M. aeneus p. 356. *Schönh. Syn.* 2. 76. 3.

Obs. Plaga viridis, basin et suturam anticam elytrorum occupans, magnitudine quidem valde variat, apud nos vero non ita, ut in Illig. Col. Bor. 1. 302. 1. a et var. *γ*, descripta.

2. M. bipustulatus p. 357. *Schönh. Syn.* 2. 77. 4.

3. M. viridis p. 358. *Schönh. Syn.* 2. 78. 6.

4. M. sanguinolentus p. 359. *Schönh. Syn.* 2. 78. 7.

5. M. fasciatus p. 360. *Schönh. Syn.* 2. 81. 29.

Var. *b*, fascia rubra elytrorum parva, valde abbreviata.

Habitat cum a, rarius.

6. M. pulicarius p. 361. *Schönh. Syn.* 2. 81. 25.

7. M. rubricollis p. 362. *Schönh. Syn.* 2. 81. 26.

8. M. cardiacae p. 363. *Schönh. Syn.* 2. 80. 23.

9. M. praeustus p. 364. *Schönh. Syn.* 2. 79. 19.

Var. *b*, elytrorum apice ipso obsolete flavescente.

Ha-

Habitat in Vestrogothia, *Dom. Schönherr;* in Smolandia *Dom. Boheman.*

Simillima a, sed apex elytrorum anguste tantum flavescens; feminas tantum hujus varietatis vidi.

10. M. flavipes p. 365. *Schönh. Syn.* 2. 80. 20.

CYPHON.

1. C. melanurus p. 366. *Schönh. Syn.* 2. 321. 2.

2. C. lividus p. 367. *Schönh. Syn.* 2. 321. 1.

3. C. marginatus p. 368. *Schönh. Syn.* 2. 322. 3.

3–4. C. serraticornis: breviter ovatus rufo-testaceus, flavescenti-pubescens, thorace brevissimo sinuato, elytris confertim profunde punctatis, antennis serratis.

Müller in Germ. Mag. IV. 221. 20. *Zetterst. Act. Holm.* 1824. *p.* 154. 48.

Habitat in Scania ad Esperöd rarissime. *Dom. Prof. Fallén.* et *Zetterstedt.*!

Statura breviter ovata fere C. hemisphaerici sed major. Caput breve, latum, deflexum, antice rotundatum, ore angustato, producto; totum rufo-testaceum nitidum, vix visibiliter punctulatum, pallido-pubescens; oculi laterales globosi nigri. Antennae longitudine dimidii corporis, filiformes, testaceae pubescentes, articulo primo magno, sub-orbiculato, compresso; secundo parvo ob-conico, sub primo fere occultato; tertio adhuc minore, nodoso; 4—10 elongatis, sub-aequalibus, in mare interne longe productis, egregie pectinatis, in femina breviter serrulatis; articulus ultimus oblongo-ovatus, apice rotundatus. Thorax brevissimus transversus, longitudine triplo latior, antice bis emarginatus, lobo medio rotundato, late-

lateralibus porrectis, acuminatis, deflexis; lateribus brevissimis, rectis; postice etiam bi-sinuatus, angulis rectis, lobo medio magno, rotundato; supra convexus, rufo-testaceus nitidus, tenue pallido-pubescens, vix punctulatus. Scutellum majusculum, oblongo-triangulare, acutum, rufo-testaceum nitidum, sub-laeve. Elytra magna, thorace multo latiora et sextuplo longiora, apice acuminata, supra valde convexa, rufo-testacea, minus nitida, confertim et sat profunde punctata, pube densiore pallida adspersa. Alae longae nigro-fuscae. Corpus subtus rufo-testaceum nitidum, subtilissime confertim punctulatum, pallido-pubescens. Pedes breviusculi tenues, pallidius testacei, pubescentes, tarsuum articulo quarto bilobo.

4. C. pubescens p. 369. *Schönh. Syn.* 2. 322. 4.

5. C. griseus p. 370. *Schönh. Syn.* 2. 322. 5.

Obs. Var. c, ut species distincta a pluribus consideratur; Dom. Schüppel sub nomine C. unicolor Illig. communicavit; C. testaceus, Dej. Cat. p. 35. forte etiam huc pertinet. Praeter colorem tamen notas distinctivas eruere non potui.

Var. d, pallide testaceus, elytris versus apicem macula nigra notatis.

In umbrosis ad Kinnakulle Vestrogothiae semel lectus.

Simillimus var. c, totus pallide testaceus, oculis nigris, et versus apicem singuli elytri macula oblonga nigricans.

6. C. Padi p. 371. *Schönh. Syn.* 2. 322. 6.

7. C. hemisphaericus p. 372. *Schönh. Syn.* 2. 323. 8.

Scyrtes hemisphaericus, *Latr. Dej. Cat. p.* 35.
Scirtes, *Illig. Mag.* 6. 301. 302.

ATOPA.

1. A. cervina p. 373. *Schönh. Syn.* 2. 331. 1.

Fa-

Familia 12. *Sternoxi.*

ELATER.

1. E. rufus p. 375. *Schönh. Syn.* 3. 274. 48.
2. E. fasciatus p. 376. *Schönh. Syn.* 3. 282. 91.
3. E. conspersus p. 377. *Schönh. Syn.* 3. 282. 92.
4. E. atomarius p. 378. *Schönh. Syn.* 3. 282. 90.
5. E. lepidopterus p. 379. *Schönh. Syn.* 3. 283. 94.
6. E. murinus p. 380. *Schönh. Syn.* 3. 279. 78.
7. E. holosericeus p. 381. *Schönh. Syn.* 3. 280. 82.
8. E. castaneus p. 381. *Schönh. Syn.* 3. 290. 121.
9. E. trifasciatus p. 382.
   El. undulatus, *Schönh. Syn.* 3. 287. 108.
10. E. bifasciatus p. 383. *Schönh. Syn.* 3. 287. 109.

Obs. Exstat in Musaeo Dom. Schönherr specimen immaturum, elytris totis pallidis.

11. E. linearis p. 384. *Schönh. Syn.* 3. 292. 126.
    Campytus linearis, *Fisch. Entom. Ross. II. p.* 151. 1. *Tab.* 24. *f.* 7, 8, 9.
    Var. *d*, thorace rufo, macula disci nigra, elytris nigris margine pallido.
    Habitat cum prioribus rarius.

Si-

Simillimus var. c, sed thorax aut macula magna disci nigra, aut stria ejusdem coloris in fundo canaliculae notatus.

12. E. borealis p. 385. *Schönh. Syn.* 3. 293. 128.

Obs. In individuis illaesis caput et thorax pilis depressis cinereis parce adspersa videntur.

13. E. cinctus p. 386. *Schönh. Syn.* 3. 293. 130.

13-14. E. hyperboreus: brevior niger sub-pubescens, antennis pedibus anoque rufo-testaceis, thorace punctato lateribus rotundato, elytris sulcatis, interstitiis punctulatis.

Var. *b*, rufo-testaceus, capite elytrisque infuscatis.

Habitat ad Nord-Cap Norvegiae, *Dom. Marklin, Mus. Dom. Schönherr.* In Lapponia boreali *Dom. Praepos. Zach. Grape.*

Latitudo El. cincti, sed brevior, statura fere El. obscuri. Caput porrectum, nigrum, punctulatum, pubescens, antice foveolis duabus impressum, ore piceo; oculi laterales brunnei, parum prominuli. Antennae longitudine dimidii corporis, rufo-ferrugineae, articulo primo crasso, ovato, sequentibus obconicis, ultimo acuminato. Thorax oblongus, antice bis emarginatus, angulis deflexis acuminatis, lateribus ultra medium dilatato-rotundatus, versus basin coarctatus, angulis iterum prominulis, retrorsum acuminatis; basi tri-sinuatus; supra convexus, obsolete canaliculatus, subtiliter punctatus, niger nitidus pubescens. Scutellum majusculum rotundatum nigrum, vix punctulatum. Elytra antice thoracis basi angustiora, humeris rotundatis, dein dilatata, apice acuminata, thorace

race vix triplo longiora, supra modice convexa, sat profunde sulcata; sulcis et interstitiis confertim punctatis, nigra, minus nitida, tenue pubescentia. Corpus subtus nigro-piceum, subtilissime punctulatum, densius holosericeo-pubescens, ano testaceo. Pedes mediocres, toti rufo-testacei.

Var. b, colore dilutiore tantum differt, immatura forte.

14. E. pectinicornis p. 387. *Schönh. Syn.* 3. 285. 104.

15. E. aeneus p. 388. *Schönh. Syn.* 3. 283. 100.

Obs. Occurrit frequentius thorace versus posteriora utrinque foveola impresso.

16. E. melancholicus p. 389. *Schönh. Syn.* 3. 284. 101.

17. E. impressus p. 390. *Schönh. Syn.* 3. 284. 102.

18. E. cruciatus p. 391. *Schönh. Syn.* 3. 290. 119.

19. E. metallicus p. 392. *Schönh. Syn.* 3. 285. 103.

20. E. tessellatus p. 393. *Schönh. Syn.* 3. 281. 85.

21. E. assimilis p. 394. *Schönh. Syn.* 3. 281. 86.

Var. *c*, supra coeruleo-virescens, ceterum ut a.

Var. *d*, fusco-aeneus, thorace foveolis duabus impresso, tibiis tarsisque ferrugineis.

Habitant cum prioribus rarius.

Var. c, colore coeruleo-virescente tantum differt. Var. d, quoad colorem ut in a et b, sed in medio tho-

thoracis foveolae duae, pares, remotae, impressae, et tibiae tarsique testacei; cetera ut in a et b.

22. E. cylindricus p. 394. *Schönh. Syn.* 3. 281. 88.

23. E. nigripes p. 395. *Schönh. Syn.* 3. 282. 89.

24. E. Equiseti p. 396. *Schönh. Syn.* 3. 306. 190.

25. E. rufipes p. 397. *Schönh. Syn.* 3. 307. 198.

25-26. E. Ebeninus: niger, sub-nitidus, thorace immarginato, gibbo, vix punctulato, scutello cordato, canaliculato, elytris profundius punctato-striatis, pedum geniculis rufo-piceis.

Germ. Ins. Spec. 1. 58. 94.

Elater rufipes var. Schönh. Syn. 3. 307. 198. *var. δ.*

Habitat in Oelandia rarissime. *Dom. Marklin.*

El. rufipedi similis et affinis, thorace convexiore, pedum colore etc. tamen distinctus. Caput rotundatum nigrum, vix punctulatum, antice impressum, margine elevato; oculi depressi brunnei. Antennae longitudine thoracis, nigrae obtuse serratae, articulo primo crasso clavato, secundo parvo, ob-conico. Thorax latitudine fere brevior, antice late et profunde emarginatus, angulis acutis, lateribus immarginatus, aequaliter rotundato-dilatatus, angulis baseos parvis, brevibus. Supra valde convexus, niger, nitidus, vix visibiliter punctulatus. Scutellum cordatum nigrum, laeve, canaliculatum, apice acuminatum. Elytra antice thoracis basi angustiora, humeris rotundatis, thorace duplo longiora, versus apicem attenuata, supra parum convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis, nigra, sub-nitida, versus apicem tenue pubescentia. Corpus subtus nigrum, nitidum,

tidum, subtilissime punctulatum, tenue pubescens. Pedes mediocres nigri, genubus et articulationibus tarsuum rufo-piceis.

26. E. Quercus p. 397. *Schönh. Syn.* 3. 307. 196.

27. E. minutus p. 398. *Schönh. Syn.* 3. 308. 200.

28. E. longulus p. 399. *Schönh. Syn.* 3. 308. 201.

29. E. serraticornis p. 400. *Schönh. Syn.* 3. 308. 202.

Obs. Femina forte, antennis obtuse tantum serratis, ceterum simillima; lecta cum mare.

30. E. Bructeri p. 401. *Schönh. Syn.* 3. 310. 213.

31. E. riparius p. 402. *Schönh. Syn.* 3. 310. 209.

32. E. rivularius p. 403. *Schönh. Syn.* 3. 310. 210.

33. E. costalis p. 403. *Schönh. Syn.* 3. 310. 212.

34. E. bipustulatus p. 404. *Schönh. Syn.* 3. 315. 248.

35. E. affinis p. 405. *Schönh. Syn.* 3. 278. 71.

36. E. niger p. 406.

Elater hirtus, *Schönh. Syn.* 3. 277. 70.

37. E. fulvipes p. 407. *Schönh. Syn.* 3. 287. 112.

Var. *d*, thorace foveolis duabus anticis, aliisque posticis obsoletioribus impresso.

Habitat cum prioribus.

Thorax in hac varietate, uti etiam in var. c, minus convexus, antrorsum magis angustatus; foveolae duae rotundae, remotae, ante medium dorsi, et interdum duae aliae posteriores, obsoletiores.

38. E. ruficaudis p. 409. *Schönh. Syn.* 3. 288. 114.

Elater haemorrhoidalis, Fabr. Dej. Cat. p. 32.

39. E. vittatus p. 410. *Schönh. Syn.* 3. 288. 116.

Var. *c*, thorace elytrisque totis nigris.

Habitat cum a, et b, rarius, quibus simillimus, colore thoracis et elytrorum excepto.

40. E. sub-fuscus p. 411. *Schönh. Syn.* 3. 289. 117.

41. E. longicollis p. 412. *Schönh. Syn.* 3. 307. 193.

42. E. scrutator p. 413. *Schönh. Syn.* 3. 291. 122.

Sectio 2. Fronte convexa.

43. E. ferrugineus p. 414. *Schönh. Syn.* 3. 274. 50.

Var. *b*, thorace nigro. *Schönh. l. c. var. β.*

Habitat in Finlandia rarissime. *Dom. Pfeiff.*

Obs. Simillimum, etsi paulo minorem, ex America boreali, sub nomine Elater fulvus, communicavit Dom. Schneider.

44. E. sanguineus p. 415. *Schönh. Syn.* 3. 299. 165.

45. E.

45. E. Ephippium p. 416. *Schönh. Syn.* 3. 301. 166.

46. E. praeustus p. 417. *Schönh. Syn.* 3. 301. 167.

Obs. El. elongatulus, Fabr. Oliv. forte huc pertinet.

47. E. elongatulus p. 418. *Schönh. Syn.* 3. 301. 168.

Obs. Nomen mutandum; El. crocatus Ziegler Dej. Cat. p. 33, huc pertinere videtur.

48. E. balteatus p. 419. *Schönh. Syn.* 3. 301. 174.

49. E. ustulatus p. 419. *Schönh. Syn.* 3. 303. 175.

50. E. tristis p. 420. *Schönh. Syn.* 3. 295. 149.

51. E. nigrinus p. 421. *Schönh. Syn.* 3. 296. 150.

51–52. E. Erythrogonus: niger nitidus, fusco-pubescens, antennis, pedibus thoracisque angulis rufescentibus, elytris crenato-striatis.

Müller in Germ. Mag. 4. 186. 2. *Ahr. Fn. Ins. Eur.* 5. *f.* 7.

Elater auritus, *Schönh. Syn.* 3. 298. 158. *App.* 139. 190. *Sahlb. Ins. Fenn.* 10. 141. 44. *var. b.*

Var. *b*, thoracis lateribus fere totis rufescentibus. *Sahlb. l. c. var. a.*

Habitat in Bothnia orientali. *Dom. Vasastjerna*, in frondibus abietis Fenniae australis, rarius. *Dom. Sahlberg.*

El. auritus Herbstii, ex America boreali, forte alius, quare nomen Mülleri praeferendum. Statura El. nigrini omnino, sed paulo minor. Caput rotundatum nigrum, confertim punctulatum, pubescens, fronte modice convexa; oculi globosi brunnei; antennae thorace paulo longiores, rectae, rufo-ferrugineae, obtuse serratae, articulis 2 et 3, parvis, nodosis. Thorax latitudine media vix longior, antice paulo angustior, leviter emarginatus, angulis valde deflexis, acuminatis; lateribus aequaliter rotundatus, anguste marginatus, basi sub-sinuatus, angulis elongatis acutis, sub-rectis; supra modice convexus, aequalis, niger, nitidus, parce pubescens, antice confertim et profundius, postice parcius et subtilius punctulatus. Anguli postici semper late rufi; anguli antici etiam plerumque, et in var. b, latera tota, in medio angustius, rufa. Scutellum ovale nigrum, subtiliter punctulatum. Elytra thorace fere triplo longiora, apicem versus acuminata, supra modice convexa, crenato-striata, interstitiis punctatis et transversim rugulosis; nigra, minus nitida, pubescentia. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, confertissime subtiliter punctulatum, cinereo-pubescens, ano rufo-piceo. Pedes mediocres toti rufi.

52. E. ruficollis p. 422. *Schönh. Syn.* 3. 297. 156.

53. E. pulchellus p. 423. *Schönh. Syn.* 3. 311. 219.

54. E. 4-pustulatus p. 424. *Schönh. Syn.* 3. 315. 251.

Synonymum Fabricii delendum, utpote ad sequentem pertinens, testante Dom. Germar in litt.

Obs. Var. b, differt tantum guttulis elytrorum obsoletis vel nullis, minime specie diversa. Elater minimus, Dej. Cat. p. 34., forte alius, nota quadam magis essentiali distinctus.

54–55. E. quadrum: niger pubescens, thorace non carinato, angulis posticis acutis rufis, maculis quatuor oblongis elytrorum pedibusque pallidis.

Elater agricola, *Zetterst. Act. Holm.* 1824. *p.* 155. 49.

Elater 4-pustulatus, *Fabr. S. El.* 2. 248. 137. *teste Dom. Germar in litt. sec. Mus. Hübneri.*

Habitat in Graminosis Scaniae ad Esperöd' *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Magnitudo, statura et facies El. 4-pustulati, sed thorace breviore, magis convexo, lateribus ante medium ampliato, supra non carinato, abunde distinctus. Caput sub-porrectum, nigrum, tenue pubescens, punctulatum, supra fere planum, antice obtuse rotundatum, margine anguste reflexo; oculi laterales rotundati nigri, modice prominuli; os et palpi testacei. Antennae vix basin thoracis attingunt, articulo primo crasso fusco-testaceo; 2, 3, minoribus obconicis pallidis, reliquis nigris, exterioribus sensim paulo crassioribus, etiam ob-conicis, ultimo acuminato. Thorax latitudine media non longior, antice emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, praesertim anterius, supra valde convexus, aequalis, absque rudimento carinulae dorsalis; niger nitidus, tenue pubescens, subtilissime punctulatus, spinis angularibus baseos validis, extrorsum flexis, acutis, totis rufo-testaceis. Scutellum majusculum sub-triangulare nigrum. Elytra oblongo ovata, thoracis medio non latiora et illo vix triplo longiora, supra minus convexa, nigra, pubescentia, sat profunde striata, striis obsolete punctatis, interstitiis subtilissime confertim punctulatis: In singulo elytro macula magna humeralis oblonga laete pallida, et alia versus apicem longior sed angustior, ejusdem coloris. Corpus subtus nigrum, magis niti–

nitidum, parum pubescens, subtilissime punctulatum. Pedes tenues, toti pallidi, tarsis elongatis.

Obs. Insectum, jam descripto simillimum, ex Insulis Americae meridionalis communicavit Dom. Forsström; hunc El. nitidulum Fabricii crederem, si non antennas totas flavas et magnitudinem El. pulchello triplo minorem Insecto suo adscripserit.

Fam. 2. Ore deflexo, fronte obtusa.

55. E. aterrimus p. 425. *Schönh. Syn.* 3. 278. 73.

56. E. brunneus p. 426. *Schönh. Syn.* 3. 298. 160.

57. E. fugax p. 428. *Schönh. Syn.* 3. 298. 161.

57–58. E. incanus: niger sub-pubescens, mandibulis, tibiis tarsisque testaceis, thorace oblongo, subtilissime punctulato, antice tumido et ante medium latiore, elytris sub-depressis.

Habitat in Vermelandia rarissime. *Dom. Mellerborg. Mus. Dom. Schönherr.*

Magnitudo et statura El. fugacis, et ejus var. b, colore similis, sed forma et punctura thoracis distinctus. Caput breve nigrum, confertim profunde punctatum, fronte sub-convexa aequali; mandibulae validae, apice bifidae, ferrugineae, latere externo et apice nigrae; oculi laterales brunnei, parum prominuli; antennae longitudine thoracis, compressae, nigrae, articulo primo magno, crasso, sub-arcuato; secundo parvo, breviter ob-conico; sequentibus obconicis exterioribus sensim latioribus, ultimo oblongo-ovato, apice sub-acuminato. Thorax latitudine longior, antice late sed parum profunde emarginatus; lateribus ante medium rotundato-dilatatus, basi sub-bisinuatus, angu-

gulis elongatis, acuminatis, vix lateraliter prominulis; supra antice convexus, tumidus, paulo pone medium foveola transversa laterali impressus, totus niger, subnitidus, confertissime sed omnium subtilissime punctulatus, tenue pubescens. Scutellum rotundatum nigrum, subtilissime punctulatum. Elytra latitudine medii thoracis, et illo plus duplo longiora, supra parum convexa, nigra, sub-nitida, tenue pubescentia, regulariter striata, striis confertim subtiliter punctatis, interstitiis fere planis, confertissime punctulatis. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, confertissime punctulatum, tenue pubescens. Pedes validiusculi, femoribus compressis nigris, apice, tibiis tarsisque testaceis.

58. E. segetis p. 428. *Schönh. Syn.* 3. 305. 184.

59. E. obscurus p. 430. *Schönh. Syn.* 3. 304. 182.

60. E. sputator p. 431. *Schönh. Syn.* 3. 304. 183.

Var. *d*, thorace fere toto nigro, elytris nigro-fuscis, humeris et margine laterali sub-testaceis, femoribus medio infuscatis.

Habitat cum prioribus rarius.

61. E. marginatus p. 432. *Schönh. Syn.* 3. 296. 152.

62. E. limbatus p. 433. *Schönh. Syn.* 3. 309. 207.

62-63. E. equestris: oblongo-ovatus niger nitidus, sub-pubescens, elytris vage punctatis, fascia antica fulva, antennis arcuatis, acute serratis.

Schönh.

Schönh. Syn. 3. 312. 228. *Sahlb. Ins. Fen.* 10. 142. 46.

Drapetes equestris, *Dej. Cat. p.* 34.

Var. *b*, fascia fulva elytrorum interne abbreviata.

Habitat sub cortice arborum putrescentium rarissime; in Finlandia, *Dom. Sahlberg* et *Prytz;* in Vestrogothia ad Sparrsäter, *Dom. Schönherr.*

Certe ad genus peculiare referendum est hoc Insectum, quod dudum a Dom. Comite Dejean, Drapetes nominatum est, sed ejus determinationem hac vice supersedeo. Agmen numerosum Familiae Sternoxium, eadem diligentia ac Familiae Carabicorum et Curculionidum illustratum, certe copiam ad plura genera formanda praebet. Insectum jam describendum parvum est, El. pulchello sub-aequale. Caput mediocre, insertum, declivum, nigrum, nitidum, pubescens, fronte convexa, crebre evidenter punctata. Antennae thorace vix longiores, arcuatae, nigrae, articulo primo maximo, crasso, recurvo; 2° parvo, 3° minutissimo, transversis, 4-10 introrsum longe productis, acutis, exterioribus gradatim minoribus, ultimo ovato, acuto. Thorax sub-quadratus, antice late, sed parum profunde emarginatus, lateribus perparum dilatatus, basi bi-sinuatus, angulis lateralibus productis, acuminatis, elytrorum humeros amplectentibus; supra parum convexus, niger, sub-nitidus, pubescens, evidenter punctatus, ante basin transversim impressus. Scutellum mediocre, subtriangulare, nigrum, vix punctulatum. Elytra antice latitudine thoracis, et illo duplo longiora, apicem versus attenuata, supra parum convexa, nigra, nitida, fusco-pubescentia, evidenter punctata, punctis hinc illinc seriatim digestis, sed nullo modo striatis; ante medium fascia lata rufo-fulva, sub-obliqua, inae-

qua-

qualis, quae in var. b, ad suturam interrupta. Corpus subtus nigrum, nitidum punctatum, griseo-pubescens. Pedes breviusculi nigri, ſemoribus anticis crassis, clavatis, basi tenuibus ruſo-piceis, tarsis ſusco-piceis.

63. E. Alni p. 434.

Obs, Haec et sequentes species ad peculiare Genus Eucnemis dictum a Dom. Ahrens in Nov. Act. Hall. 2. 2. 38, primo propositum, et a Dom. Comite C. G. de Mannerheim in elegantissima et exquisitissima ejus Monographia hujus generis elaboratum.

EUCNEMIS.

Labrum membranaceum, sub-integrum. Mandibulae uni-dentatae. Palpi apicem versus crassiores, articulo ultimo oblongo-ovato, sub-securiformi. Maxillae membranaceae, bifidae. Labium sub-emarginatum. Ligula integra, apice rotundata. Antennae in fronte valde approximatae, articulo primo elongato, secundo minimo.

1. E. cruentatus: sub-cylindricus, nigro-piceus obscurus, antennis, pedibus, thoracis elytrorumque marginibus ventrisque signaturis sanguineis.

Mannerh. Eucnem. 16. 2. *Tab.* 1. *f.* 3. 41. *Sahlb. Ins. Fen.* 10. 146. 1.

Elater cruentatus, *Gyll. Ins. Sv.* 1. 433. 64. *Schönh. Syn.* 3. 314. 239.

2. E. Alni: sub-cylindricus niger, antennis crassis pedibusque rufo-sanguineis, elytris rufis, umbra postica nigricante.

Man-

Mannerh. Eucnem. 18. 3. *Tab.* 1. *f.* 5, 6.
Elater Alni, *Gyll. Ins. Sv.* 1. 434. 63. *Schönh. Syn.* 3. 314. 138.

3. E. capucinus: oblongo-ovatus niger, sub-cylindricus, punctatissimus, antennis pedibusque fusco-piceis, thorace postice foveolatim impresso, elytris sub-striatis.
Mannerh. Eucnem. 23. 5. *Tab.* 1. *f.* 9, 10. *Schönh. Syn.* 3. 318. 1.
Habitat in Suecia rarissime. *Dom. Billberg* et *Zetterstedt.*

Caput nigrum, flavescenti-pubescens, subtiliter punctulatum, vertice valde convexo, carinato, carina usque ad apicem clypei producta. Clypeus profunde emarginatus, valde deflexus; mandibulae validae nigrae, apice acuminatae. Palpi sanguinei; oculi rotundati nigri; fovea antennalis profunda, lobum parvum supra oculos emittens. Antennae longitudine capitis cum thorace, compressae, obtuse serratae, fusco-piceae, apicem versus dilutiores, curvatae. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice late emarginatus, angulis et lateribus valde deflexus, pectus fere includens; postice profunde bi-sinuatus, angulis supra humeros productis, apice obtusis; supra valde convexus, confertissime punctulatus, tenue pubescens; intra basin fovea transversa, arcuata, in medio profundior, ibique canalicula abbreviata aucta, versus angulos magis obsoleta; in medio disci interdum foveolae duae impressae, parvae, obsoletiores, et alia oblonga versus marginem utrinque. Scutellum sub-ovatum nigrum punctulatum. Elytra antice latitudine fere baseos thoracis, et illo duplo longiora, apicem versus attenuata, supra, pone scutellum nonnihil depressa, ceterum valde convexa, nigra, confertissime punctata, sub-pubescentia, stria suturali antice abbreviata, postice profunde impressa, aliisque in disco valde

valde obsoletis. Corpus subtus nigrum, pectoris lateribus parce sed profundius punctatis, glabris, ventre subtilius confertim punctato, densius pubescente. Pedes breves compressi, fusco-picei, tarsis ferrugineis, articulo primo magno, elongato, reliquis parvis, brevibus, femoribus sub lamina pectorali abscondendis. Magnitudo E. alni, vel paulo minor.

4. E. Sahlbergii: elongatus, sub-cylindricus, ferrugineus, oculis nigris, thorace brevi, anterius valde elevato, elytris rugoso-punctatis, sub-striatis, antennis crassis serratis.

Mannerh. Eucnem. 27. 7. *Tab.* 2. *f.* 3, 4.
Sahlb. Ins. Fen. 10. 146. 2.

Habitat in truncis putridis Pini Finlandiae rarissime.

E. cruentato angustior, sed non brevior. Caput valde deflexum, ferrugineum, confertissime punctulatum, parce pubescens, supra os impressum; mandibulae apice nigrae; oculi rotundati nigri. Antennae longitudine dimidii corporis, crassae, arcuatae, ferrugineae, maris acute, feminae obtusius serratae, apicem versus sensim tenuiores. Thorax latitudine brevior, antice latior, sub-truncatus, elevato-marginatus, angulis valde deflexis, obtusis, lateribus bi-marginatus, costa superiore ex angulo postico oblique antrorsum excurrente, cum inferiore utrinque in angulum acutum confluente, simul lobum thoracis inflexum, ovato-lanceolatum, includente; basi profunde bi-sinuatus, lobo medio sub-emarginato, angulis posticis rectis, sub-acuminatis, humeros elytrorum amplectentibus. Supra antice valde convexus, gibbosus, posterius declivis, basi depressus, inaequalis; in medio dorsi canaliculae rudimentum, postice in lineolam elevatam, laevem, terminatum; totus ferrugineus confertissime punctulatus, tenue pubescens. Scutellum parvum, rotun-

tundatum, concolor. Elytra thorace fere quadruplo longiora, sub-linearia, apice rotundata, supra valde convexa, praesertim anterius; confertissime ruguloso-punctata, obsoletissime striata, stria suturali postice et nonnullis in ipso apice evidentioribus; tota suturate ferruginea, tenue flavo-pubescentia. Pectus ferrugineum, fortius confertim punctatum; venter pallidior, subtilius punctulatus, pubescens. Pedes tenues pallide ferruginei, articulo primo tarsuum magno, longitudine trium insequentium, unguiculari iterum longiore.

5. E. pygmaeus: oblongus, sub-cylindricus, confertim rugoso-punctatus, niger, tibiis tarsisque pallidis, antennis crassis, maris longius pectinatis, feminae acute serratis.

Mannerh. Eucn. 30. 8. *Tab.* 2. *f.* 4, 5, 6. *Sahlb. Ins. Fen.* 10. 146. 3.

Elater pygmaeus, *Schönh. Syn.* 3. 314. 240. *Gyll. Ins. Sv.* 1. 436, 65., *ubi femina descripta, erroneae pro masculo habita.*

Habitat in Silvaticis rarius, in Finlandia, Bothnia etc.

Obs. Mas verus hujus speciei olim mihi ignotus erat; feminam ideo pro mare, et speciem sequentem ut ejus feminam assumsi, praeeunte Celeb. Dom. de Paykull, in Fauna sua Svecica l. c.

Parvus; mas El. limbato minor, brevior; femina dimidio major et ultra. Caput deflexum, non vero inflexum, anterius angustatum, nigrum, confertissime punctatum, tenue pubescens, vertice convexo; os inflexum, palpis rufescentibus; clypeus triangularis; oculi rotundati brunnei. Antennae longitudine dimidii corporis, crassae, nigrae, pubescentes, basi approximatae, maris longius pectinatae, dentibus extra medium crassioribus; feminae acute serratae, dentibus tri-

triangularibus, exterioribus longioribus. Thorax postice longitudine fere latior, antice truncatus, angulis valde deflexis, lateribus deflexus, rotundatus, marginatus, basi bi-sinuatus, lobo medio emarginato, angulis lateralibus rectis, acuminatis; supra modice convexus, confertissime punctatus, tenue griseo-pubescens, totus niger, opacus; paulo ante medium dorsi foveolae duae rotundatae, pares, impressae; in medio ipsius baseos duae aliae parvae, et externe alia oblonga utrinque. Scutellum parvum rotundatum nigrum pubescens. Elytra thorace triplo longiora, versus apicem sensim angustiora, sub-acuminata, supra convexa, sed dorso longitudinaliter deplanata, nigra, parum nitida, tenue pubescentia, confertim ruguloso-punctata, in disco vix striata, sed in ipso apice striolae nonnullae punctatae, abbreviatae. Corpus subtus nigrum, magis nitidum confertim punctulatum. Pedes tenues, femoribus piceis, tibiis tarsisque dilutius testaceis, structura ut in priori.

6. E. procerulus: lineari-elongatus, griseo-pilosus, antennis perfoliatis extrorsum, tibiis tarsisque rufescentibus, thorace sublongiore, elytris evidentius striatis.

Mannerh. Eucn. 32. 9. *Tab.* 2. *f.* 7. 8.

Elater pygmaeus, *Gyll. Ins. Sv.* 1. 436. 65. *femina.*

Habitat in sylvis rarius; in Bothnia, *Dom. Marklin*; in Vestrogothia *Dom. Schönherr* et *Ipse.*

Parvus, magnitudine maris praecedentis et primo aspectu illi valde similis, antennarum structura praecipue diversus. Caput deflexum, rotundatum, convexum, nigrum, confertim punctulatum, carinula elevata a vertice ad apicem clypei notatum; os inflexum palpis rufis; oculi rotundati nigri. Antennae thorace parum longiores, crassae, basi nigrae, extrorsum rufe-

fe-

fescentes, articulo primo magno, crasso, ob-conico; secundo parvo nodoso; tertio longiore sub-cylindrico; 4—10 cyathiformibus, perfoliatis, exterioribus sensim paulo majoribus, ultimo oblongo-ovato, acuminato. Thorax latitudine longior, antice truncatus, compressus, angulis valde deflexis, lateribus parum rotundatus, anguste marginatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio leviter emarginato, angulis lateralibus elongatis, acutis, elytrorum humeris arcte applicatis; supra convexus, fere pulvinatus, niger, aequalis, confertissime punctulatus, tenue griseo-pubescens. Scutellum apice rotundatum, nigrum. Elytra antice latitudine baseos thoracis et illo triplo longiora, apicem versus angustiora, apice rotundata, supra convexa, dorso antico deplanata, nigra, sub-opaca, tenue pubescentia, confertissime ruguloso-punctata, obsolete quidem, at evidentius quam in priori striata, striis versus apicem profundioribus. Corpus subtus nigrum, opacum, subtilissime punctulatum, densius cinereo-holosericeum, ano rufescente. Pedes breviusculi, femoribus compressis piceis, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis, tarsuum articulo primo longo cylindrico, 2—4 sensim brevioribus, unguiculari longiore tenui.

MELASIS.

1. M. Buprestoides p. 437.

Melasis flabellicornis, *Schönh. Syn.* 2. 115. 2.

2. M. elateroides: nigra, opaca, thorace profunde canaliculato, angulis anticis parum prominulis, rotundatis.

Illig. Mag. 5. 227. *B. Schönh. Syn.* 2. 115. 3.

Habitat in truncis putrescentibus ad Sparrsätra Vestrogothiae, ab amicissimo *Dom. Schönherr* pluries cum praecedenti lecta et benevole communicata; forte modo sexu a praecedente distincta.

Prae-

Praecedenti in plerisque omnino simillima, quare discrepantias tantum indicare opus est. Frons capitis obsolete canaliculata. Thoracis anguli antici multo minus producti, obtuse rotundati, et canalicula dorsalis thoracem secundum totam longitudinem permeat, etsi anterius magis profunda. Pedum color variat, aut toti rufescentes, aut femora nigro-picea, aut fere toti nigricantes, tarsis solis rufescentibus, et in his antennae etiam obscuriores, piceae. Magnitudo valde variat.

Obs. M. elateroides, Latr. Gen. Ins. 1. 247. not. certe aliud Insectum, Cerophytum elateroides, Dej. Cat. p. 34.

BUPRESTIS.

1. B. aenea p. 439. *Schönh. Syn.* 3. 217. 26.
2. B. Berolinensis p. 440. *Schönh. Syn.* 3. 216. 25.
3. B. conspersa p. 441. *Schönh. Syn.* 3. 217. 28.
4. B. rustica p. 442. *Schönh. Syn.* 3. 221. 48.
5. B. flavo-maculata p. 444. *Schönh. Syn.* 3. 225. 65.
6. B. 8-guttata p. 445. *Schönh. Syn.* 3. 222. 49.
7. B. Mariana p. 446. *Schönh. Syn.* 3. 229. 84.
8. B. Chrysostigma p. 447. *Schönh. Syn.* 3. 234. 111.
9. B. affinis p. 449. *Schönh. Syn.* 3. 235. 112.
10. B. tarda p. 450. *Schönh. Syn.* 3. 237. 125.
11. B. appendiculata p. 451. *Schönh. Syn.* 3. 237. 126.

Obs. Thorax saepissime foveolis parvis impressis notatus, ut etiam observavit Dom. Prof. Sahlberg in Ins. Fen. 10. 151. 11. var. b, c, d; sed numero et situ multifariam variant, ut vix secundum illas peculia-

liares varietates enumerare opus sit; saepissime foveola unica baseos, in apice canaliculae dorsalis, var. b. Sahlb. l. c. alia vice praeter illam paulo anterius duae, pares, in triangulum positae; iterum duae, pares, ante medium disci locatae; porro juxta marginem utrinque foveola aut una aut duae, praeter illas baseos et disci; rarior est varietas, cui foveola media baseos et unica tantum marginalis utrinque.

12. B. biguttata p. 452. *Schönh. Syn.* 3. 243. 151.

13. B. viridis p. 453. *Schönh. Syn.* 3. 244. 152.

14. B. olivacea p. 454. *Schönh. Syn.* 3. 245. 153.

15. B. splendida p. 455. *Schönh. Syn.* 3. 250. 193.

16. B. acuminata p. 457. *Schönh. Syn.* 3. 251. 199.

16–17. B. moesta: supra fusco-aenea obscura, subtus cuprea, thorace rugis quatuor longitudinalibus elevatis, elytris subattenuatis, truncatis, lineolis abruptis elevatis nigris.

Zetterst. Act. Holm. 1818. 252. 2. *Schönh. Syn.* 3. 252. 202.

Habitat in Suecia, *Dom. Prof. Dalman*; in Smolandia *Dom. Prof. Zetterstedt*; rarissime apud nos occurrit.

B. acuminatae similis, sed brevior, elytra praesertim minus attenuata, thoracis latera magis dilatata et ejus discus magis rugosus etc. Caput rotundatum fusco-aeneum, confertim rugoso-scrobiculatum, fronte impressa; oculi laterales oblongi nigri. Antennae breves tenues, obtuse serratae, fusco-cupreae. Thorax bre-

brevis transversus, antice late et sat profunde emarginatus, lateribus ante medium valde rotundato-ampliatis, immarginatis, versus basin angustatis; basi late sed parum profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus nonnihil prominulis, sub-acuminatis; supra inaequalis, versus latera late depresso-explanatus, disco antico convexo; in medio dorsi rugae duae longitudinales elevatae, nigrae, nitidae, lateribus erosae, et ab utroque latere anterius rugula ejusmodi, sed brevior, pone medium a fovea magna rotunda profunde impressa abrupta. Superficies tota inter rugulas nigras confertim et profunde reticulato-rugulosa, fusco-aenea. Scutellum sub-cordatum, depressum, canaliculatum, nigrum, laeve. Elytra antice thoracis basi latiora et illo quadruplo longiora, pone basin et iterum pone medium dilatata, dein versus apicem attenuata, apice ipso oblique truncata, supra parum convexa, inaequalia, obsoletissime striata, superficie tota confertissime et subtilius quam thorax reticulato-rugulosa, obscure aenea; in interstitiis alternis 2, 4 et 6 a sutura lineolae elevatae, abbreviatae, erosae, supra politae, plerumque nigrae, interdum virescentes, inaequaliter sparsae. Corpus subtus cupreo-aeneum nitidum, confertissime et profunde reticulato-rugulosum, segmento anali sub-triangulari integro. Pedes mediocres cuprei, confertim ruguloso-punctati, tarsis latis nigro-cupreis.

Obs. Specimina Suecana, jam descripta, feminini sexus, ut puto fuerunt. E. Germania sub nomine B. 4-lineata Herbstii, specimen masculinum obtinui, segmento anali nempe emarginato, cui color paginae superioris magis aeneo-nitidus, rugulae thoracis et elytrorum magis implicatae, antennae acutius serratae, et tarsi saturate cuprei.

17. B. Tenebrionis p. 457. *Schönh. Syn.* 3. 253. 208.

18. B. 4-punctata p. 458. *Schönh. Syn.* 3. 257. 226.

19. B. nitidula p. 459. *Schönh. Syn.* 3. 261. 252.

20. B. pusilla p. 460. *Schönh. Syn.* 3. 259. 242. *Aphanisticus pusillus, Dej. Cat. p.* 31.

TRACHYS.

1. T. pygmaea p. 461. *Schönh. Syn.* 3. 265. 3. Var. *c*, corpore supra nigro aut sub-coerulescente.

Habitat cum prioribus rarius. *Mus. Dom. Schönherr.*

2. T. minuta p. 462. *Schönh. Syn.* 3. 265. 6.
3. T. nana p. 464. *Schönh. Syn.* 3. 267. 14.

Fam. 13. *Hydrocanthari.*

DYTISCUS (potius Dyticus).

1. D. latissimus p. 465.
2. D. marginalis p. 466.
Ahr. Nov. Act. Hall. 1. 6. 50. 2.

Obs. Ob distinctionem a sequentibus descriptioni addendum: Elytra undique punctulata, etsi anterius subtilissime et minus dense.

Var. b, observante Cl. Dom. Prof. Kunze, propriam constituit speciem, quam proposuit sub nomine.

2-3. D. conformis: olivaceo-nigricans, thoracis limbo vittaque elytrorum marginali luteis, elytris posterius latioribus, undique vage subtiliter punctulatis.

Kunze Nov. Act. Hall. 2. 4. 58.
Dytiscus marginalis, Ins. Sv. 1. 466. 2. *var. b.*
Habitat in aquis stagnantibus non infrequens.

Ma-

Masculis D. marginalis simillimus, sed differt praecipue elytris feminae non sulcatis, sed laevibus ut in mare. Praeterea thoracis discus confertim subtiliter punctulatus, qui in masculis D. marginalis laevissimus. Elytra posterius magis dilatata et illorum margo latius explanato-reflexus. Superficies elytrorum praeter strias ordinarias, usque ad basin subtiliter punctulata. Elytra a latere inspecta obsoletissime longitudinaliter costata apparent. Corpus subtus aut flavum aut saturatius testaceum, suturis pectoris et fasciis abbreviatis ad basin segmentorum ventralium nigrofuscis. Sterni laciniae breves, latae, lanceolato-acuminatae, ut in D. marginali omnino. Pedes pallidi, tarsis ferrugineis, anticis simplicibus, articulis apice annulo nigro cinctis ungulisque nigris; forte modo femina adhuc nobis cognita.

2-3. D. circum-cinctus: sub-olivaceo-niger, thoracis limbo inaequaliter elytrorumque margine luteis, elytris serie punctorum inter singulas strias ordinarias, ceterum laevibus, sterni laciniis acutis.

Ahr. Nov. Act. Hall. 1. 6. 55. 7.

Habitat in aquis stagnantibus passim.

D. marginali iterum simillimus, sed paulo longior, magis niger, punctura elytrorum et sterni structura praecipue distinctus. Caput rotundatum nigrum, vix punctulatum, striolis obsoletissimis tantum notatum; fascia antica et anguli lutei; lunula frontalis parva obsoleta. Antennae piceae, basi pallidiores. Thoracis forma ut in D. marginali omnino; margines laterales late lutei; margo anticus angustius et posticus adhuc tenuius inaequaliter luteo-ferruginei; discus niger laevissimus, impunctatus. Scutellum ut in D. marginali. Elytra oblonga, lateribus vix dilatata, supra parum convexa, nigra, striis tribus ordinariis crebrius punctatis; versus apicem plus mi-

nusve punctulata, ceterum laevissima, modo in singulo interstitio striarum series regularis e punctis parvis remotis; margo lateralis totus luteus, et intra apicem interdum striga obsoleta nigro-irrorata ejusdem coloris, ut in affinibus. Corpus subtus aut dilutius flavescens, aut saturatius ferrugineum; sterni laciniae longiores, latere interno rectae, apice valde acutae. Pedes flavo-testacei punctati, pilosi, antici femoribus tibiisque crassis, tarsuum patellis magnis, orbiculatis. Masculos tantum hujus speciei vidi. — Dom. Ahrens loc. cit. asseverat, feminam, in copula captam, mari simillimam esse, elytris aeque laevibus, tarsis anticis simplicibus solum distinctam; tales etiam a Dom. Com. Dejean, e Gallia boreali et Austria missas, in Musaeo Dom. Schönherr vidi.

2-3. D. dubius: oblongo-ovatus niger, supra confertim subtiliter punctulatus, thoracis limbo angustius, elytrorumque margine flavo-testaceis, sterni laciniis acutis. Femina.

Dytiscus marginalis, feminae varietas problematica. Ahr. Nov. Act. Hall. 1. 6. 51.

Dytiscus circum-scriptus (circum-cinctus Ahr.) femina. Dom. Eschscholts in litteris, et uterque sexus ab illo benevole communicatus.

Habitat in aquis stagnantibus passim.

Feminas tantum hujus speciei vidi; a D. marginalis femina differt non modo statura paulo longiore, thoracis lateribus angustius luteis et elytris postice non dilatatis, latius marginatis, sed etiam et praecipue forma-laciniarum sterni; in his omnibus cum D. circum-cincto exacte convenit; sed dum Dom. Ahrens loc. cit. asseverat, feminam D. circum-cincti, in copula captam, elytris laevibus gaudere, ad ulteriorem examinationem Insectum dubium proponitur. — Statura D. circum-cincti omnino. Caput ut in illo, lunula frontali majore vel minore notatum, an-

antice laevissimum, vertice subtiliter et obsolete punctulato. Antennae ferrugineae, basi pallidae. Thoracis limbus saturatius ferrugineus, aeque anguste ac in D. circum-cincto, praesertim postice, ubi etiam saepe fusco-irroratus; discus niger, confertissime subtiliter punctulatus et strigulosus. Elytra oblongo-ovata, pone medium vix latiora, lateribus late reflexo-marginata, nigra, margine laterali testaceo; ultra medium profunde sulcata, interstitiis confertissime punctulatis. Corpus subtus flavo-testaceum, ventris medio interdum infuscato; sterni laciniae valde acutae, interne rectae, extrorsum rotundatae, omnino ut in praecedenti. Pedes testacei.

3. D. Lapponicus p. 468.

Var. b. loc. cit. pari modo ac D. conformis a marginali distinguitur, et ut propria species consideranda, praesertim cum ambo sexus, in copula capti, adsint.

3-4. D. septemtrionalis: niger, thoracis limbo, elytrorum vitta marginali lineisque plurimis luteis, sterni laciniis acutis, elytris laevibus et tarsis anticis simplicibus in utroque sexu.

Mas: thoracis disco nigro, impunctato, tibiis tarsisque omnibus nigro-piceis.

Femina: thoracis disco nigro subtilissime punctulato, pedibus testaceis, posticis tantum infuscatis.

Dytiscus Lapponicus, *Ins. Sv.* 1. 468. 3. *var. b.*

Habitat in Finlandiae aquis rarius, a *Dom. Vasastjerna* in copula captus. *Mus. Dom. Schönherr.*

D. Lapponico simillimus et valde affinis, attamen vere distinctus videtur. Caput maris nigrum niti-

ti-

tidum, subtilissime et obsolete punctulatum, antice flavum, litura frontali tricuspide et angulis anterioribus rufis; labrum transversum emarginatum luteum; os et mandibulae nigro-piceae, palpis maxillaribus longis pallidis. Antennae rufo-testaceae, extrorsum nigricantes. Thoracis structura ut in priori, limbo ut in illo latissime et inaequaliter luteo, ut potius luteus dicendus, plaga magna transversa, postice triloba, nigra notatus, quae in masculis laevis, nitida, impunctata. Scutellum nigrum, macula transversa flava versus apicem. Elytra oblongo-ovata, ultra medium nonnihil latiora, versus apicem oblique truncata, apice ipso sub-acuminata, supra modice convexa, nigra nitida, margine laterali late luteo et in disco lineis longitudinalibus plurimis obscure luteis notata; externis minus regularibus; praeterea in disco cujusvis elytri striae tres ordinariae e punctis sat crebris, et interstitia versus apicem confertim et sat profunde, antrorsum parce et obsoletius punctulata et sub-rugosa. Corpus subtus flavo-testaceum, suturis pectoris et fasciis abbreviatis nigris in antico ventris notatum. Sternum postice bi-furcatum, laciniis elongatis, angustis acuminatis. Pedes validi, femoribus testaceis, tibiis tarsisque in mare nigro-piceis, articulis tribus primis tarsuum anticorum paulo latioribus, subtus fulvo-spongiosis, concavis. Femina differt macula frontali majore et limbo toto circum oculos rufo; thoracis disco nigro confertim subtilissime punctulato; scutelli fascia flava latiore; elytrorum lineis luteis evidentioribus et pedibus quatuor anterioribus totis testaceis.

4. D. dimidiatus p. 469. *Ahr. Nov. Act. Hall.* 1. 6. 52. 3.

5. D. punctulatus p. 470. *Ahr. Nov. Act. Hall.* 1. 6. 53. 4.

6. D. sulcatus p. 471.

Obs. Propter distinctionem a sequenti, diagnosis haec erit: ovalis depressus nigricans, lunulis quatuor fronta-

tali-

talibus; thoracis limbo fasciaque media abbreviata, utrinque dilatata, luteis; corpore subtus nigro.

6–7. D. canaliculatus: ovalis depressus nigricans, capite antice, lunulis duabus verticis, thoracis limbo fasciaque media abbreviata, utrinque dilatata, luteis; ventre flavo.

Mas: elytris glabris, confertissime punctulatis, tarsis anticis patellatis.

Femina: elytris sulcis quatuor villosis, tarsis omnibus simplicibus.

Dytiscus sulcipennis, *Sahlb. Ins. Fen. p.* 157. *Zetterst. Act. Holm.* 1824. *p.* 156. 50.

Dytiscus canaliculatus, *Nicol. Diss. Col. Halens. p.* 29. 8.

Dyt. dispar, *Ziegl. Dej. Cat. p.* 18.

Var. *b*, pectore etiam flavo.

Habitat in aquis stagnantibus passim, minus frequens.

Statura et summa affinitas praecedentis, sed fere dimidio minor et aliter coloratus. Caput transversum luteum, posterius nigrum, lunulis duabus verticis, antrorsum curvatis, luteis. Antennae ut in priori. Thoracis forma eadem, sed fascia media lutea latior, nigredine angustiore circum–circa inclusa. Scutellum, elytra et thorax subtus ut in priori. Pectus plerumque nigricans, confertissime ruguloso–punctatum; ventris segmentum primum totum flavum; reliqua flava, fascia abbreviata baseos nigro–fusca. Pedes pallidi, tarsis obscurioribus.

Feminae caput, corpus et pedes ut in mare. Thorax etiam similiter coloratus, sed fascia media lutea angustior, in impressione transversa, versus latera profundiore, sita; quae vero glabra est, unde evidenter a femina prioris differt. Elytra sulcis quatuor latis, den–

dense villosis, omnino ut in femina praecedentis. Tarsi omnes simplices.

In var. b, corpus totum subtus flavum suturis tantum anguste nigris. Masculos modo hujus varietatis vidi.

6–7. D. verrucifer: ovalis, depressus, niger, capite flavo-variegato, thorace strigoso, limbo fasciaque transversa integra flavis, elytris confertissime verrucosis, corpore flavo-testaceo.

Humnal Essai Ent. 3. 17.

D. verrucifer, Dom. Prof. Sahlberg in litteris.

Habitat in Finlandiae aquis stagnantibus rarissime. *Dom. Sahlberg.*

Feminas tantum hujus speciei vidi. Statura omnino duarum proxime praecedentium et magnitudo fere D. canaliculati. Caput rotundatum subtilissime punctulatum, maxima parte flavum, posterius nigrum, maculis quatuor flavis, anterioribus obliquis, conniventibus, verticalibus transversis, sub-lunatis, cruribus posteriora spectantibus. Os nigrum, palpis pallidis; antennae thorace paulo longiores, testaceae, articulis exterioribus apice nigro-fuscis. Thorax brevissimus transversus, forma ut in prioribus, niger, margine antico anguste, lateralibus latius, postico angustissime luteis; fascia praeterea in medio, transversa, sub-arcuata, integra, versus margines latior ejusdem coloris. Superficies tota dense et profunde strigosa, strigis in medio e centro circum-circa excurrentibus, versus latera vero longitudinaliter digestis, arcuatis, irregularibus. Scutellum breve, latum, sub-triangulare, nigrum, apice luteum. Elytra magna, ovata, thorace sextuplo longiora, antice latitudine baseos thoracis et illi arcte applicata, lateribus parum dilatata, apice rotundata, supra anterius sub-convexa, posterius deplanata, nigra, margine laterali toto late luteo, pun-

punctis nigris irrorato. Sutura tota elevata, laevis, anterius lutescens. Superficies reliqua verrucis vel tuberculis elevatis, glabris, anterius oblongis, versus apicem magis rotundatis, confertissime adspersa. Corpus totum subtus flavo-testaceum, suturis pectoris et maculis intra-marginalibus ventris fuscis. Pedes mediocres flavo-testacei, tarsis posticis brunneis.

Obs. Mas, postea visus, differt: Elytris omnino laevibus, nigris, margine laterali late pallido, punctisque plurimis obscure flavescentibus in disco sparsis.

7. D. bi-lineatus p. 473.

8. D. cinereus p. 474.

9. D. zonatus p. 475.

10. D. striatus p. 476.

Var. c, ad sequentem pertinet.

10-11. D. Bogemanni Pars 3. add. p. 687.

11. D. fuscus p. 477.

12. D. dolabratus p. 478.

Obs. Non solum in Lapponiae, sed etiam in Vestrogothiae aquis stagnantibus pluries lectus, et hic paulo major.

13. D. Hübneri p. 479.

14. D. transversalis p. 480.

14. D. stagnalis p. 481.

Obs. Species jam sequentes, a me sub hoc genere descriptae, a recentioribus Entomologis ad peculiare Genus, Colymbetes dictum, referuntur. Vid. Dej. Cat. p. 19.

16. D. conspersus p. 482.

Obs. Secundum sententiam Dom. Com. Dejean, hic D. notatus Fabr. erit; sed Cl. Fabricius sub hac denominatione plures confudisse videtur, ut ex descriptione ambigua in Ent. Syst. 1. 195. 38. videtur; D. notatus Illigeri, in Col. Bor. 1. 261. 15. certe huc non pertinet.

Obs.

Obs. Individua elytris laevibus, quotquot vidi, semper Masculini sexus, tarsis anticis latioribus. In Catalogo Dom. Com. Dejean p. 19, hic D. suturalis vocatur. Individua elytris strigosis semper tarsos anticos simplices gerunt, unde ex analogia cum pluribus aliis hujus generis speciebus, illas sexu modo distinctas esse credimus.

18. D. agilis p. 484.

Var. *b*, elytris nigro-fuscis, pedibus piceis.

Habitat in aquis Lapponiae. *Mus. Dom. Schönherr.*

Elytra margine flava, disco nigro-fusca, obsoletissime flavo-irrorata. Pedes piceo- et ferrugineo-variegati; cetera ut in a.

19. D. collaris p. 485.

Dytiscus adspersus, Dej. Cat. p. 19.

20. D. adspersus p. 486.

Obs. Species a praecedenti certe distincta mihi videtur.

21. D. bipunctatus p. 487.

22. D. abbreviatus p. 488.

23. D. vitreus p. 489.

24. D. maculatus p. 490.

25. D. arcticus p. 492.

26. D. Sturmii p. 493. var. *c*. Tom. 3. add. p. 688.

27. D. oblongus p. 494.

Habitat etiam in Gottlandiae aquis. *Dom. Zetterstedt*, *Fähreus* et *Odhner*; etiam in Blekingia. *Dom. Schönherr.*

28. D. fuliginosus p. 495.

29. D.

29. D. ater p. 496.
30. D. fenestratus p. 497.
31. D. guttiger p. 499.

Var. *c*, guttulis elytrorum obsoletis vel nullis.

Habitat in Lapponia. *Mus. Dom. Schönherr.*

Variat etiam elytris fusco-aeneis.

31–32. D. vittiger: oblongo-ovatus, nigro-subaeneus, minus convexus, palpis antennisque ferrugineis, pedibus rufo-piceis, elytris linea unica laterali rufescente abbreviata.

Var. *b*, elytrorum linea rufescente obsoleta vel nulla.

Habitat in Lapponiae borealis aquis. *Dom. Praepos. Zach. Grape. Mus. Dom. Schönh.*

D. guttigero paulo minor, alias statura similis et affinis. Superficies tota, sub oculo acute armato, subtilissime reticulato-strigosa; color niger, saepius sub-aeneo-micans. Caput cum ore nigrum, palpis ferrugineis; in vertice maculae duae, transversim oblongae, rufescentes, saepe obsoletae. Antennae thorace longiores, ferrugineae. Thorax quoad structuram ut in prioribus, parum convexus, nigro sub-aeneus, immaculatus. Scutellum breve, latum, triangulare, nigrum. Elytra magna, elongata, basi truncata, lateribus non ampliata, apicem versus attenuata, rotundata, supra minus convexa, nigro-subaenea, margine concolore. Series tres solitae in singulo constant punctis multo majoribus quam in priori et valde dispersis, inordinatis; in medio laterali cujusvis elytri linea unica rufescens, plerumque longior quam in prioribus et nonnihil obliqua; saepe tamen obsoleta et in var. b, omnino deest. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum. Pedes rufo-picei, antice dilutiores.

32. D. angustior p. 500. var. *c*. Pars. 3. pag. 688.

Statura paulo minore, angustiore, et elytris absque guttulis pellucidis, distinctus videtur. Color paginae superioris plerumque nigro-aeneus. Sed e Lapponia varietatem obtinui, corpore supra saturate nigro et pedibus maxima parte nigris, vix tamen specie distinctam.

33. D. serricornis p. 500.

Agabus Serricornis, *Ahrens Faun. Ins. Europ. Fasc.* 5. *f.* 3.

34. D. guttatus p. 502.

Var. *b*, paulo major, guttulis elytrorum majoribus, sub-ferrugineis, anteriore didyma.

Habitat in Lapponiae aquis. *Dom. Hässner.*

Differt tantum magnitudine paulo majore et colore guttularum saturatiore, sub-ferrugineo; ceterum omni puncto simillima. Guttula anterior elytrorum saepe etiam in a, didyma aut duplicata, praesertim in masculis.

Var. c, corpore subtus pedibusque pallide testaceis; supra fusco-brunneo, guttulis elytrorum albidis.

Sub lapidibus in rivulis exsiccatis saepius lecta, immatura forte.

35. D. affinis p. 503.

Macula pellucida apicis elytrorum interdum major, sub-rotunda. Dom. Vasastjerna.

Var. b, duplo major, elytrorum lineolis pellucidis elongatis.

Var. c, etiam duplo major, elytris immaculatis.

Habitant var. b, et c, in aquis Lapponiae. Mus. Dom. Schönherr.

Var. b. et c, fere duplo majores quam a; ceterum omnimodo convenientes, ut specie distingui non possint;

sint; in var. b, lineolae elytrorum rufescentes et longiores quam in a; in var. c, lineolae nullae pellucidae detegi possunt, in exsiccatis saltem.

55–56. D. elongatus: oblongus, convexus, nigro-sub-aeneus, ore lineolis duabus verticis, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, elytrorum margine toto rufo-brunneo.

Habitat in aquis Lapponiae passim. *Dom. Praepos. Zach. Grape.*

Ceteris plerisque magis elongatus; D. affini, a, vix latior, sed fere dimidio longior. Caput majusculum, sub-rotundatum, nigrum nitidum, subtilissime punctulatum, labro oreque toto rufo-ferrugineis; in ipso vertice lineolae duae transversales rufae, in medio distantes; mandibulae valde arcuatae, acutae; oculi depressi brunnei. Antennae thorace longiores, totae rufo-ferrugineae. Thorax brevissimus, transversus, antice late emarginatus, angulis acutis, lateribus fere rectis, evidenter marginatis, basi truncatus, angulis rectis; supra modice convexus, confertim subtilissime punctulatus, niger, sub-nitidus; anguli tam anteriores quam postici interdum anguste ferruginei. Scutellum parvum, breviter triangulare, nigrum. Elytra antice latitudine baseos thoracis, et illo plus quam quintuplo longiora, apice acuminata, supra modice convexa, dorsi medio longitudinaliter deplanata; subtilissime coriacea, fusco-aenea sub-nitida, margine laterali late rufo-brunneo; striae ordinariae e punctis majoribus impressis, valde irregulares. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, subtilissime strigulosum. Pedes rufi, femoribus posticis piceis; tibiae anticae latiores quam in plerisque affinibus fere oblongo triangulares.

56. D. Chalconotus p. 504.

Obs.

Obs. Var. c, forte specie distincta, sed aegre destinguenda.

37. D. Grapii p. 505.

Dytiscus (Colymbetes) Grapii, *Ahr. Fn. Ins. Fasc.* 6. *f.* 4.

Colymbetes niger, *Dej. Cat. p.* 19.

38. D. carbonarius p. 506.

39. D. fuscipennis p. 507.

Colymbetes fossarum, *Dom. Eschscholts in litteris.*

40. D. striolatus p. 508.

41. D. congener p. 509.

Var. b, certe femina. Variat quoque elytris fere totis testaceis et corpore subtus pallidiori, immaturus forte.

42. D. paludosus p. 510.

43. D. confinis p. 511.

44. D. uliginosus p. 512.

45. D. femoralis p. 513.

Sect. 2. Ex-scutellati.

46. D. minutus p. 514.

Laccophilus minutus, *Dej. Cat. p.* 19.

47. D. crassicornis p. 516.

Noterus capricornis, *Dej. Cat. p.* 19.

Obs. D. crassicornis Latr. Gen. Ins. 1. 232. 4. et Oliv. Ent. 3. 40. 37. 45. Tab. 4. f. 34. a, b, differt a nostro antennarum structura in utroque sexu nonnihil diversa; sed D. crassicornis Illig. Payk. D. clavicornis De Géer et D. capricornis Herbst. loc. cit. certe nostro competunt.

Hy-

HYPHYDRUS.

1. H. gibbus p. 517.

2. H. ovalis p. 518.

Obs. Femina praecedentis, teste Dom. Com. Dejean, Cat. p. 20, quod etiam verosimillimum videtur, Dom. Duftschmid in Fauna Austriae 1. 287. 1. H. gibbum nostrum, elytris subtiliter punctulatis, feminam esse dicit, sed vix jure, nam hoc contra analogiam in Familia Hydrochantarum.

Var. *b*, thorace maculis duabus baseos fuscis obsoletis, elytrorum margine maculisque pallidis.

Habitat in Gottlandiae aquis, *Dom. Fähreus. Mus. Dom. Schönherr.*

Adest uterque sexus etiam ex hac varietate; mas, ut opinor, omnino ut H. gibbus descriptus, sed in thorace, praeter marginem anticum nonnihil infuscatum, in medio baseos maculae duae majusculae rotundatae fuscae obsoletae. Elytrorum discus obscurior, sed margo lateralis totus, baseos in-aequaliter, stria intra-marginalis prope scutellum, macula disci pone medium et stria obliqua e margine versus apicem ducta pallidiora. In femina, H. ovali ceterum simillima signaturae thoracis eaedem ac in masculo; in elytris margo itidem pallidus; stria juxta suturam, macula parva ad basin, alia major pone humerum et tertia pone medium, margini pallido connexae; demum intra apicem externe stria obliqua, libera. Accedit haec varietas ad H. variegatum, Dej. Cat. p. 20, sed in illo signaturae aliter ordinatae et vivaciores.

3. H. in-aequalis p. 519.

Hydrachna inaequalis, *Dufts. Fn. Austr.* 1. 288. 2.

4. H. reticulatus p. 520.

Hydrachna inaequalis femina. Dufts. loc. cit.

5. H.

5. H. confluens p. 522.

6. H. assimilis p. 522. *Kunze Nov. Act. Hall.* 2. 4. 63. 7.

Obs. Statura corporis brevi, convexa, et stria arcuata thoracis utrinque sub profunde insculpta, a plerisque affinibus dignoscitur; maculae nigro-fuscae in dorso thoracis saepius connexae in fasciam, utrinque attenuatam. Lineae nigrae elytrorum saepe confluunt, praesertim exteriores, apex vero semper flavus. Dytiscus amoenus Olivieri, a Dom. Kunze huc relatus, fere absque dubio ad Haliplum obliquum pertinet.

6-7. H. rivalis: brevis convexus, supra flavo-testaceus, thorace utrinque stria laterali insculpto, elytrorum disco-nigro, flavo-maculato.

Habitat ad Nord-Cap. Norvegiae *Dom. Marklin. Mus. Dom. Schönherr.* Idem ex Anglia, a *Dom. Spence*, Esqu. sub nonomine: H. rivalis, *Leach. var.* ad *Dom. Schönherr* missus.

Magnitudo, statura et summa affinitas H. assimilis, sed elytrorum pictura longe alia. Caput et antennae omnino ut in priore. Thoracis structura et striae laterales insculptae etiam ut in illo, sed intra basin vix vel parum impressus, dorso macula transversa fusca abbreviata, utrinque attenuata, notatus. Elytrorum forma eadem, supra subtilissime punctulata, striis duabus disci evidentius punctatis; flavo-testacea, disco plaga magna saturate nigra tecto, ad utrumque latus stria obliqua confluente aucta; flavedo baseos, laterum et apicis latior, in-aequalis, suturae vero angusta, linearis. In medio disci, prope suturam, macula oblonga flava, et pone medium arcus flavus cum margine flavo connexus. Corpus subtus ni-

nigrum, subtiliter punctulatum. Pedes mediocres testacei, femoribus posticis basi piceis.

6–7. H. Septentrionalis: oblongo-ovatus, minus convexus, supra ferrugineus, thorace utrinque stria laterali insculpto, disco nigro-maculato, elytris striis sex maculisque lateralibus nigris.

Habitat in Lapponiae aquis rarissime. *Mus. Dom. Schönherr.*

Facies et striolae thoracis insculptae, affinitatem cum H. assimili produnt, sed paulo minor, statura longior et multo minus convexa. Caput majusculum ferrugineum, verticis margine parum infuscato. Palpi apice nigri; antennae ferrugineae, apice nigro-maculatae. Thoracis structura ut in prioribus, supra ferrugineus, in disco lituris duabus, nigris notatus, singula quasi e maculis duabus, una supra alteram positis, conflata; intra marginem utrinque stria arcuata profunde impressa, ut in H. assimili, et intra basin fovea transversa. Elytra oblongo-ovata, antice thorace paulo latiora et illo quintuplo longiora, lateribus parum dilatata, apice obtuse rotundata, supra minus convexa, subtilissime punctulata, pallidius ferruginea; in singulo lineae sex nigrae et extra illas maculae duae oblongae, ejusdem coloris; lineae duae exteriores pone medium a macula testacea interruptae; apex latius testaceus. Corpus subtus nigrum, pectore profundius punctato. Pedes toti ferruginei.

7. H. griseo-striatus p. 523.

Var. *b*, flavedine frontis in vertice utrinque ramulum emittente, figuram anchoriformem mentiente.

Habitat in Finlandia. *Dom. Prof. Sahlberg.* In Vestrogothia *Ipse.*

Var. *c*, thoracis litura nigra minore, in maculas duas angulatas divisa, elytrorum lineis nigris angustioribus.

Habitat in aquis Lapponiae rarius. *Dom. Schönherr* et *Prytz.*

Obs. H. Halensis Kunze Nov. Act. Hall. 2. 4. 66. 8. a Dom. Sturm et Schüppel e Germania missus, H. areolatus, Dej. Cat. p. 19. ab ipso Comite benevole communicatus, H. griseo-striato quidem quoad signaturas similis, sed minor, multo brevior, et vere distinctus, ut antea loc. cit. indicavi; ille vero apud nos non occurrit, quantum mihi innotuit.

8. H. alpinus p. 524.

Obs. Propter distinctionem a sequente, diagnosis ita exponenda: H. alpinus: oblongo-ovatus, subtus niger, ano pallidiore, supra flavo-testaceus, vertice anguste nigro, thorace elytris angustiore undique impresso, elytris nigro lineatis, apice acuminatis.

8-9. H. borealis: oblongo-ovatus, subtus niger, supra flavo-testaceus, vertice utrinque arcu nigro, thorace elytris angustiore undique impresso, lineaque laterali insculpto, elytris nigro-lineatis, apice sub-acuminatis.

Dytiscus alpinus, *Dufts. Fn. Austr.* 1. 273. 33.

Hyphydrus alpinus, *Kunze Nov. Act. Hall.* 2. 4. 67. 9.

Habitat in aquis Lapponiae rarius; ad Wittangi, *Dom. Prof. Zetterstedt.*

H. alpino simillimus et valde affinis, pictura verticis et elytris apice minus acutis praecipue distinctus. Caput rotundatum flavo-testaceum, arcu ni-

nigro a medio verticis ad medium oculi utrinque notatum; antennae pallidae apice nigro-maculatae. Thorax quoad structuram ut in H. alpino, supra pallidus, intra margines undique impressus, arcu laterali profundius insculpto ut in H. assimili; discus transversim elevatus, laevis; in impressione baseos lineola angusta fusca utrinque. Elytra ob-ovata, antice thorace latiora, humeris rotundatis, posterius attenuata, apice tamen minus acuta, quam in H. alpino; supra modice convexa, flavo-testacea nitida, glabra, parce et obsolete punctulata; lineae et maculae laterales nigrae ut in priori. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, ano concolore. Pedes pallide testacei. An modo var. vel alter sexus praecedentis?

9. H. bidentatus p. 525.

10. H. depressus p. 526.

Obs. Maculae in postico thoracis semper in nostris magnae, saepe basi confluentes: H. depressus Kunze Nov. Act. Hall. 2. 4. 63. 6. minime huc pertinet.

10-11. H. figuratus: oblongo-ovatus, subdepressus, pallidus, thoracis medio, elytrorum basi interiore, puncto humerali, plaga magna disci, maculis lineaque apicis nigris, pectore brunneo.

Habitat in aquis Lapponiae rarissime, *Dom. Praepos. Zach. Grape. Mus. Dom. Schönherr.*

Statura H. depressi, sed paulo minor. Caput rotundatum pallidum, vix punctulatum, umbra fusca arcuata juxta singulum oculum. Palpi maxillares apice fusci; oculi depressi nigri. Antennae thorace paulo longiores, basi pallidae, extrorsum nigrae. Thorax brevis transversus, antice paulo latior, late emarginatus, angulis acuminatis, lateribus nonnihil rotundatus, basi bi-sinuatus, lobo medio triangulari, angulis lateralibus sub-rectis; supra in medio nonnihil convexus,

xus, intra basin transversim impressus, confertim punctatus, antice anguste, lateribus late sinuatim pallidus, medietate reliqua, posterius latius, nigra. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi latiora, dein ultra medium ampliata, apice oblique sub-acuminata, supra parum convexa, omnium subtilissime confertim punctulata, pilis parvis depressis cinereis parce adspersa, reliquo corpore pallidiora, fere albida; basis interior et sutura tota angustius nigra; punctum humerale nigrum; in medio disci cujusvis elytri plaga oblonga postice emarginata; pone illam litura lunata suturae connexa et ipse apex ejusdem coloris; praeterea postice utrinque stria angusta intra-marginalis sub-obliqua nigra. Corpus subtus flavo-testaceum, confertim punctulatum, pectoris medio brunneo. Pedes pallidi, tarsis infuscatis.

10-11. H. hyperboreus: oblongo-ovatus, tenue pubescens, thorace depresso ferrugineo, lateribus rectis obliquis, dorso maculis duabus nigris, liberis, elytris nigris, ferrugineo-marginatis et lineatis.

Habitat in aquis Lapponiae. *Dom. Zetterstedt. Mus. Dom. Schönherr.*

H. depresso plus duplo minor, forma et pictura thoracis abunde distinctus. Thorax et elytra confertim subtiliter punctata, et pube depressa cinerea nitida adspersa. Caput majusculum, rotundatum, planum, subtilissime punctulatum, pallide testaceum, umbra fusca ante singulum oculum, ipsoque margine verticis nigricante; oculi majusculi nigri; antennae thorace parum longiores, testaceae, apice nigricantes. Thorax brevissimus transversus, antice paulo angustior, sub-bisinuatus, in medio nempe nonnihil rotundatus, versus angulos emarginatus, angulis productis, acuminatis; lateribus rectis, nonnihil obliquis, anguste marginatis; basi leviter bi-sinuatus, angulis sub-rectis; supra perparum convexus, subtiliter punctulatus, tenue pu-

pubescens, saturate ferrugineus, opacus, limbo omni anguste nigro. Ante basin foveolae duae oblongae transversim impressae, nigro-infuscatae. Elytra obovata, antice latitudine baseos thoracis, et illo quintuplo longiora, lateribus dilatata, apicem versus angustiora, supra modice convexa, confertissime et evidentius punctata, tenue pubescentia, maxima parte nigra, opaca, margine laterali latius, baseos in-aequaliter et lineis disci 4 s. 5, ferrugineis, posterius abbreviatis et obsoletis. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, ano segmentorumque ventralium marginibus in medio ferrugineis. Pedes testacei, articulationibus tarsuum infuscatis.

11. H. 12-pustulatus p. 527.

12. H. picipes p. 528. *Kunze Nov. Act. Hall.* 2. 4. 61. 3.

13. H. lineellus p. 529.
Hyphydrus alternans, Kunze Nov. Act. Hall. 2. 4. 62. 4.

13-14. H. nigro-lineatus Pars 3. add. p. 688.

Obs. Synonymon Cl. Schönherri delendum et nomen mutandum; nam etsi H. nigro-lineatus Sturmii Schönh. l. c. et Dyticus paralellogrammus Ahrens, quoad colores exacte simillimi, unde etiam Dom. Kunze in Nov. Act. Hall. 2. 40. 6. 1. illos conjunxit, diversi tamen videntur in eo, quod H. nigro-lineatus multo subtilius punctulatus, praesertim in elytris, quae etiam opaca sunt, nec nitida ut in specie europaea; noster ideo:

H. paralellogrammus: dicendus.

Dyticus paralellogrammus, Ahrens Nov. Act. Hall. 2. 2. 11. 1.

Dytiscus lineatus, Marsh. Ent. Br. 1. 426. 35.

Hyphydrus nigro-lineatus, Kunze Nov. Act. Hall. 2. 40. 60. 1., excluso Synonymo Schönherri.

14. H.

14. H. dorsalis p. 529.
15. H. planus p. 531.
16. H. Lapponum p. 532.

Obs. Hyphydrus marginatus, Kunze Nov. Act. Hall. 2. 4. 67. 10. forte huc pertinet, vix vero Dytiscus marginatus Dufts. Fn. Austr. 1. 269. 28.

16 - 17. H. rufifrons: ovatus, convexus, niger nitidus, profunde punctatus, parce pubescens, capite antice, elytrorum basi margineque pedibusque ferrugineis.

Dytiscus rufifrons, Dufts. Fn. Austr. 1. 270. 30.
Hyphydrus axillaris, Dom. Schönherr in litteris.

Habitat in aquis stagnantibus Vestrogothiae rarius.

H. plano fere duplo major, multo magis convexus. Caput rotundatum, parum convexum, subtiliter punctatum, antice late, vertice anguste ferrugineum, in medio transversim indeterminate infuscatum; oculi depressi glauci; antennae ferrugineae, extrorsum fusco-annulatae. Thorax brevissimus transversus, antice angustior, sinuato-emarginatus, angulis prominulis acutis, lateribus obliquis, sub-rotundatis, basi bisinuatus, lobo medio triangulari, angulis lateralibus parum acuminatis; supra inaequalis, intra basin transversim profundius impressus, niger, limbo omni confertim evidenter punctato, disco transversim, elevato laevi nitido; margines laterales obscure ferruginei. Elytra antice latitudine baseos thoracis et illo sextuplo longiora, apice acuminata, supra convexa, confertim et profunde punctata, nigra nitida, quasi oleo inuncta, pilis minutis cinereis depressis parce adspersa; ad basin plaga transversa, suturam non attingens, aut major, latior, aut minor, angustior, jam ferruginea, jam dilutius testacea; margo lateralis indeterminate ferrugineus. Corpus subtus nigrum nitidum, confer-

tim

tim et sat profunde punctatum. Pedes saturate ferruginei.

17. H. erythrocephalus p. 533.

17-18. H. deplanatus: ovatus planus niger opacus, subtilissime punctulatus, tenue pubescens, capite antice, thoracis lateribus, elytrorum basi margineque, antennarum basi pedibusque ferrugineis.

Habitat in aquis stagnantibus non infrequens.

H. plano paulo angustior sed non brevior, multo magis depressus, opacus, subtilius punctulatus, tenue pubescens; H. erythrocephalo magnitudine et colore magis similis, sed ille convexus, sub-nitidus longius pubescens, fortius punctatus etc. Caput rotundatum ferrugineum, arcu fusco ante singulum oculum, verticem non attingente; antennae basi ferrugineae, extrorsum nigro-fuscae. Thorax brevissimus transversus, anterius paulo angustior, late sub-sinuatim emarginatus, angulis prominulis acutis, lateribus rectis, nonnihil obliquis; basi profunde sinuatus, lobo medio triangulari, angulis lateralibus acutis; supra planus, niger, opacus, subtilissime punctulatus et pubescens, margine laterali utrinque obscure ferrugineo. Elytra antice latitudine baseos thoracis eique arcte applicata, thorace quintuplo longiora, apice acuminata, supra perparum convexa, fere plana, nigra, opaca, subtilissime punctulata et pubescentia; intra humerum utrinque plaga abbreviata ferruginea, jam major, evidentior, jam parva, obsoleta, et margo lateralis ultra medium ferrugineus. Corpus subtus nigrum, paullo magis nitidum, evidentius punctulatum, vix pubescens. Pedes mediocres toti ferruginei.

18. H. sex-pustulatus p. 534.

Var. *c*, elytris testaceis, plaga communi lobata nigra, aquilam expansam referente.

Ha-

Habitat cum prioribus rarius.

Maculae pallidae elytrorum ita dilatatae et confluentes, ut discus sinuato-lobatus, sutura et apex tantum nigra supersint.

18-19. H. Marklini, Pars 3. add. p. 689.

19. H. nigrita p. 535.

Obs. Humeri et latera elytrorum plerumque obscure ferruginea; punctura illarum subtilissima, confertissima, et pubescentia tenuissima.

20. H. pubescens p. 536.

Obs. Statura brevis, lata, depressa, fere H. plani, sed plus duplo minor; ab H. nigrita differt corpore breviore, magis depresso et pubescentia longiore. — Var. b, sub nomine H. scopularis Illig. a. Dom. Sturm e Germania missus.

21. H. melanocephalus p. 537.

Obs. Corpore omnino glabro, minus crebre sed paulo fortius punctato etc., ab affinibus differt.

22. H. tristis p. 538.

In a, thorax totus semper niger, magis inaequalis et crebrius punctatus; in var. b, caput rufo-testaceum, vix inter oculos infuscatum; thorax rufo-testaceus, antice et postice in medio anguste infuscatus, disco parum punctatus; vix vero specie distincti, copiose simul cohabitantes in fossis et stagnis. Elytra in utroque saepius dorso nigra, versus margines brunneo-testacea.

23. H. umbrosus p. 538.

Obs. Elytris paulo longioribus, magis acuminatis et superficie evidenter pubescente, a prioribus distinguitur.

23-24. H. striola: oblongo-ovatus niger sub-depressus, tenue pubescens, capite antice, antennarum basi pedibusque ferrugineis,

gineis, elytris obsolete punctulatis testaceis, disco communi striolaque obliqua posteriori nigris.

Habitat in aquis Lapponiae. *Mus. Dom. Schönherr.*

H. tristi magnitudine sub-aequalis, sed magis depressus, evidentius pubescens et aliter coloratus. Caput majusculum rotundatum, parum convexum, vix punctulatum, foveola arcuata ante singulum oculum impressum, posterius nigro-piceum, versus os dilutius ferrugineum. Antennae thorace longiores, inferne ferrugineae, extrorsum nigrae. Thorax quoad formam ut in prioribus, supra in medio transversim convexus, intra basin fovea transversa arcuata impressus, confertim punctulatus, niger, margine laterali anguste ferrugineo. Elytra oblongo-ovata, antice latitudine baseos thoracis et illi arcte applicata, versus medium paulo latiora, apicem versus angustata, apice acuminato, sub-elevato; thorace sextuplo longiora, supra parum convexa, confertim subtiliter et obsolete punctulata, versus latera et apicem pilis parvis depressis cinereis adspersa, disco communi nigra, sed basis et margo lateralis totus late testacea; in hoc margine pone medium stria angusta nigra, nonnihil obliqua, utrinque acuta. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum. Pedes toti rufo-ferruginei.

24. H. lineatus p. 539.

25. H. granularis p. 540. var. *b.* Pars 3. add. p. 691.

26. H. pictus p. 541.

26-27. H. decoratus Pars 2. add. p. 16.

Hyphydrus cuspidatus, Ahr. Nov. Act. Hall. 2. 4. 68. 11. *Dito Faun. Ins. Europ. Fasc.* 5. *f.* 4. *certe idem.*

27. H.

27. H. geminus p. 542.
28. H. unistriatus p. 544.
29. H. hamulatus Pars 3. add. p. 691.

HALIPLUS.

1. H. elevatus p. 545.
2. H. ferrugineus p. 546.

Var. *c*, niger nitidus, capite thoracisque antico piceo-ferrugineis, antennis pedibusque rufis.

Habitat in aquis Lapponiae rarissime. *Mus. Dom. Schönherr.*

Magnitudo, statura, punctura et omnia ut in var. b, colore excepto; caput et thorax antice piceo-ferruginea, postice nigra; elytra nigra nitida, margine apicis anguste rufo-piceo. Corpus totum subtus nigrum nitidum, laminis ventralibus apice ferrugineis. Antennae et pedes rufi.

2-3. H. caesus: ovatus, convexus, griseo-testaceus, thorace postice transversim profunde impresso, elytrorum punctis seriatis magnis, profundis, interstitiis impunctatis.

Dytiscus caesus, *Dufts. Fn. Austr.* 1. 284. 47.

Habitat in aquis Smolandiae rarissime. *Dom. Boheman.*

H. ferrugineo paulo minor et postice magis obtusus. Caput parvum testaceum punctulatum, ore piceo. Oculi magni glaucescentes; antennae vix longitudine thoracis, tenues, totae testaceae. Thorax brevis transversus, antice multo angustior, late et profunde emarginatus, angulis deflexis acuminatis, lateribus obliquis, rectis, anguste nigro-marginatis, basi sat profunde bi-sinuatus, lobo medio et angulis latera-

teralibus acuminatis; supra in disco transversim convexus, laevis, intra basin arcuatim profunde impressus, testaceus, margine antico et postico in medio anguste infuscatis; in fovea transversali baseos series e punctis majusculis impressis infuscatis; versus apicem thoracis puncta minora sparsa, non infuscata. Elytra magna, ovata, pone humeros et ultra medium ampliata, apice oblique sub-truncata, apice ipso acuminata, supra convexa, juxta basin transversim impressa, griseo-testacea. In singulo elytro series decem regulares e punctis impressis, anticis valde magnis, profundis, posterioribus sensim magnitudine decrescentibus, interstitiis omnino impunctatis. Corpus subtus testaceum nitidum, laminis ventralibus pallidioribus, profunde punctatis. Pedes elongati, toti testacei.

3. H. impressus p. 547.

4. H. lineato-collis p. 549. *Ahr. Fn. 7. f. 3.* *Dytiscus bi-striolatus, Dufts. Fn. Austr.* 1. 285. 48.

5. H. obliquus p. 550.

LIMNIUS.

1. L. canaliculatus p. 552.

1-2. L. Volkmari Pars 2. add. p. XVII.

1-2. L. tuberculatus Pars 2. add. p. XVIII.

Obs. Distinctus ab L. tuberculato Mülleri, quem postmodum e Germania obtinui, quare nomen mutandum, L. Troglodytes dicendus, Elonis Troglodytes Dej. Cat. p. 49. Juxta littora lacuum et fluviorum in pratis paludosis Vestrogothiae pluries copiose inventus.

2. L. aeneus p. 553.

3. L. cupreus p. 554.

Obs. Nomen mutandum: L. orichalceus dicendus, nam ab L. cupreo Mülleri distinctus; potius Lim-

Limnius nitens Müller. in Germ. Mag. 4. 23. 9, non vero indubie idem, nam thorax perspicue punctulatus; cetera exacte conveniunt.

Ad Partem Secundam.

Fam. 14. Cicindelatae.

CICINDELA.

1. C. campestris p. 2.
   Latr. et Dej. Icon. 1. 39. 1. *Pl.* 3. *f.* 1.
   Var. *b*, jam pluries lecta, praesertim versus finem aestatis.
2. C. hybrida p. 3.
   Latr. et Dej. Icon. 1. 48. 7. *Pl.* 4. *f.* 1.

2-3. C. maritima: supra purpureo-subvirescens, elytris lunula humerali, apicisque fasciaque media abbreviata retrorsum flexuosa albis.
   Latr. et Dej. Icon. 1. 52. 11. *Pl.* 4. *f.* 5.
   Var. *b*, elytris viridibus, sutura aurea.
   Habitat in arenosis rarius, in Vermelandia frequentior. *Dom. Mellerborg.* Var. *b*, in Vermelandia rarius. *Mus. Dom. Schönherr.*

Simillima C. hybridae, sed fere dimidio minor et structura fasciae mediae elytrorum alia. Caput supra purpureo-aureum, subtiliter punctulatum et striatum, linea viridi-coerulea, postice abbreviata, ante singulum oculum. Labrum transversum album; mandibulae supra versus basin albae, dein cupreae, apice, margine dentibusque nigris. Antennarum articulus pri-

primus magnus, crassus, secundus parvus ob-conicus, 3, 4, elongati tenues, aut cuprei, aut basi virides apice aurei; reliqui nigri. Thorax quoad structuram ut in priori, supra confertissime subtiliter granulatus et sub-strigosus, purpureo-cupreus, impressionibus transversis intra basin et apicem, in fundo coeruleo-virescentibus. Scutellum triangulare acutum purpureum, antice virescens. Elytrorum forma ut in priori, supra fusco-cuprea opaca, sutura elevata cuprea nitida; confertim et multo subtilius quam in priori granulata, punctis impressis virescentibus irrorata; in humero cujusvis elytri lunula lata alba, et alia ejusmodi in apice; in medio fascia alba, externe latior, versus medium disci rectangulariter retrorsum flexa, ibique angustior, dein versus suturam in maculam rotundatam dilatata, suturam tamen non attingens. Corpus subtus coeruleo-virescens, nitidissimum, antice pilis longis rigidis albis tectum. Pedes viridi-aurei, albo-pilosi.

Var. b, simillima a, sed scutellum viride, parum in-auratum; elytra viridia, sutura aurea.

3. C. sylvatica p. 4.

Latr. et Dej. Icon. 1. 45. 5. *Pl.* 3. *f.* 7.

Fam. 13. *Carabici.*

Obs. Familia haecce, cui etiam Cicindelatae jam adnumerantur, recentiori aevo eximie elaborata, in plurima genera divisa est; denominationes novas Auctorum apud species a me descriptas indicare conabor.

ELAPHRUS.

1. E. uliginosus p. 6.

Obs. Species a me descripta certe El. cupreus Dufts. Fn. Austr. sed var. b, tibiis nigris vel coerulescentibus ad aliam speciem pertinet, qui El. uliginosus Fabricii genuinus videtur; nomen ideo mutandum et diagnosis emendanda.

El.

El. uliginosus: viridi-aeneus, thorace capite latiore, elytris maculis rotundatis violaceis quadruplici serie, tibiis nigris.

Fabr. S. El. 1. 245. 1. *Dufts. Fn. Austr.* 2. 195. 5.

Var. *b*, corpore supra nigro vel nigro-coerulescente, subtus virescente.

Ins. Sv. 2. 6. 1. *var. b.*

Habitat in arenosis juxta aquas, apud nos minus frequens.

Sequenti simillimus et valde affinis, differre tamen videtur magnitudine paulo majore, thoracis lateribus magis dilatatis, tibiisque nigris vel nigro-coeruleis. Caput et antennae ut apud sequentem descripta omnino. Thoracis latera multo magis dilatata, capite cum oculis latiora, et ejus dorsum magis convexum, impressionibus profundioribus, centrali anterius biloba, longius extensa, et intra angulum posticum utrinque fovea magna, profunda; punctura capitis et thoracis paulo subtilior, punctis simplicibus, nec in strigas confluentibus, ut in sequenti. Scutellum et elytra ut in El. cupreo. Corpus subtus et femora viridi-aenea; tibiae et tarsi nigri, posticis interdum piceis.

Var. b, colore tantum differt.

1-2. E. cupreus: cupreo-aeneus, thorace latitudine capitis, elytris maculis rotundatis violaceis quadruplici serie impressis, tibiis ferrugineis.

Dufts. Fn. Austr. 2. 194. 4. *Dej. Cat. p.* 18.

Elaphrus uliginosus, *a. Ins. Sv.* 2. 6. 1.

Var. *b*, corpore supra nigro, interdum coeruleo-micante.

Obs. Descriptioni l. c. addendum: Thoracis latera mi-

minus dilatata et puncta ejus in strigas vel rugulas transversales confluentia, praesertim versus margines; color plerumque magis cupreus, parum nitidus.

2. E. Lapponicus p. 8.

3. E. riparius p. 9.

Var. *b*, corpore supra nigricante.

Habitat cum a passim.

4. E. aquaticus p. 10.

Obs. Ob distinctionem a sequenti, diagnosis emendanda.

E. aquaticus: depressus aeneus nitidus, thoracis disco sub-laevi, elytris punctato-striatis, plaga suturali angustiore apiceque politis.

Dufts. Fn. Austr. 2. 191. 2.

Notiophilus aquaticus, *Dej. Cat. p.* 18.

Var. *b*, nigro-aeneus immaculatus. *Dufts. l. c. var. b.*

Var. *c*, niger vel nigro-aeneus, elytris apice litura rufescente. *Dufts. l. c. var.* γ.

Obs. El. palustris Dufts. Fn. 2. 192. 3. vix distinctus.

4-5. E. bi-guttatus: depressus cupreo-aeneus nitidissimus, elytris externe confertim profunde punctato-striatis, disco interiore latius polito, apice flavescentibus.

Fabr. S. El. 1. 247. 20.

Elaphrus semipunctatus, *Dufts. Fn. Austr.* 2. 190. 1.

Notiophilus biguttatus, *Dej. Cat. p.* 18.

Var.

Var. *b*, macula pallida apicis elytrorum obsoleta.

Elaphrus semipunctatus, *Fabr. S. El.* 1. 246. 8.

Habitat sub lapidibus, muscis etc., sat frequens.

Obs. In Ins. Sv. l. c., notae praecipue distinctivae allatae sunt, quibus addendum: Magnitudo plerumque paulo major, color saturatior, splendidior. Thorax crebrius et fortius punctatus, etiam in disco; striae elytrorum externe magis coarctatae, unde plaga disci polita latior evadit; stria secunda a sutura, plagam politam includens, etiam integra, apicem versus sub-flexuosa.

BEMBIDIUM.

1. B. flavipes p. 12.

Tachypus flavipes, *Dej. Cat. p.* 18.

1-2. B. pallipes: cupreo-aeneum sub-pubescens, antennis pedibusque pallide testaceis, thorace latitudine capitis, elytris sublaevibus viridi-irroratis.

Zetterst. Act. Holm. 1824. *p.* 157. 51.

Elaphrus pallipes, *Dufts. Fn. Austr.* 2. 197. 8.

Tachypus pallipes, *Dej. Cat. p.* 18.

Habitat in Smolandia rarissime. *Dom. Prof. Zetterstedt*; in Vermelandia *Dom. Mellerborg.*

Statura omnino B. flavipedis, sed duplo majus, subtilius punctatum et vere diversum. Caput magnum, porrectum cupreum, confertim punctulatum, tenue pubescens. Palpi testacei; oculi maximi, semiglobosi, brunnei. Antennae longitudine dimidii corporis, testaceae, apice fuscescentes, articulo primo magno, supra piceo. Thorax cordatus, antice multo latior, truncatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, capitis latitudinem aequans, posterius valde an-

angustatus, basi truncatus, angulis nonnihil prominulis; supra modice convexus, subtilissime confertim punctulatus, tenue pubescens, totus cupreus opacus, in medio leviter canaliculatus; intra apicem foveola transversa abbreviata impressa, et pone medium alia minor. Scutellum parvum triangulare viride. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi duplo latiora, lateribus nonnihil ampliata, apice rotundata, supra modice convexa, confertim punctulata, tenue pubescentia, striarum rudimentis obsoletissimis notata, cupreo- et aeneo-mixta maculisque virescentibus sparsis, praesertim versus latera et apicem irrorata; in interstitio secundo a sutura puncta duo impressa, unum ante, alterum pone medium. Corpus subtus nigro-virescens nitidum glabrum. Pedes longiusculi rufo-testacei, femoribus sub-clavatis, interdum superne extrorsum infuscatis.

2. B. impressum p. 13. *Dej. Cat. p.* 16.

Obs. Varietatem dimidio majorem, ceterum simillimam, in Vermelandia legit Dom. Mellerborg et communicavit Dom. Schönherr.

3. B. Andreae p. 17. *Dej. Cat. p.* 17.

3-4. B. ruficolle: ovatum pallidum, capite viridi-aeneo, thorace cordato rufo, cupreo-micante, elytris profunde striato-punctatis flavo-griseis, fusco-maculatis.

Elaphrus ruficollis, Illig. Col. Bor. 1. 226. 5. *Panz. Fn.* 38. *f.* 12.

Carabus ruficollis, Schönh. Syn. 1. 224. 308.

Habitat in Smolandia ad Skillinjaryd. *Dom. Boheman.*

Parvum, B. bi-punctato paulo minus, in elytris brevius. Caput magnum, porrectum, viridi-aeneum nitidum, fronte ruguloso-punctata; os totum pallide testaceum; oculi globosi brunnei. Antennae tho-

race paulo longiores, pilosae, pallidae, in medio subinfuscatae. Thorax breviter cordatus, basi apiceque truncatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, ibique latitudinem capitis cum oculis attingens; supra in disco convexus, impunctatus, ruber, parum cupreo-micans, nitidus; canalicula dorsalis profunda, sub-punctata; intra basin transversim profunde impressus, rugoso-punctatus. Scutellum parvum triangulare testaceum, metallico-micans. Elytra breviter ovata, antice thoracis basi fere duplo latiora, sed illo vix triplo longiora, lateribus ampliata, apice rotundata, supra modice convexa, griseo-testacea nitida, striis infuscatis profundis, crebre punctatis, exarata, interstitiis planis laevibus; in singulo elytro maculae tres fuscae obsoletiores, prima in humero, altera intra medium marginis, tertia intra apicem, reliquis minor; in interstitio tertio a sutura puncta duo ordinaria impressa. Corpus subtus pallide testaceum, pectoris medio suturisque brunneis. Pedes toti pallidi.

4. B. bi-punctatum p. 16. *Dej. Cat. p.* 17.

5. B. celer p. 17.

Leja pygmaea Dej. Cat. p. 17.

5-6. B. nigricorne: aeneum nitidum, thorace brevissimo, postice minus attenuato, disco laevissimo, elytrorum striis ante apicem evanescentibus, antennis totis nigris.

Habitat in arenosis passim.

Magnitudo et facies B. celeris omnino, ut nisi probe intuenti non distinguendum; differt tamen constanter forma thoracis et antennarum colore. Caput ut in praecedenti, modo frontis plaga elevata latior et sulculi illam inter et oculos minus profundi, obsoletiores. Antennae totae nigrae, quae in priori aut rufo-piceae, aut saltem versus basin ejusdem coloris. Thorax brevior, posterius multo minus attenuatus, minime sinuato-emarginatus ut in priore, nec intra ba-

basin ita depressus, foveolis angularibus minoribus. Elytrorum color, punctura et omnia ut in priori. Femora aut tota nigra aut subtus rufo-picea; tibiae et tarsi dilutius rufescentes.

5-6. B. Grapii: nigro- sub-virescens nitidum, thorace cordato, disco leviter strigoso, elytrorum striis ante apicem evanescentibus, pedibus totis nigris.

Habitat in Lapponia boreali rarissime. *Dom. Praepos. Zach. Grape*, qui magnam copiam Insectorum Lapponiae Borealis collegit et benevole communicavit, quare ejus nomen in gratam memoriam conservare voluit, *C. J. Schönherr.*

Magnitudo, statura et summa affinitas B. celeris, sed thorax paulo longior, transversim strigosus et color alius. Capitis forma ut in B. celeri omnino, fronte longitudinaliter elevata nigro-virescente, polita, sulco laterali utrinque circumscripta; os nigrum, mandibulis apice ferrugineis. Antennae thorace multo longiores, nigrae, articulo primo subtus ferrugineo. Thorax sub-cordatus, latitudine antica vix brevior, lateribus ante medium ampliatus, posterius sinuato-angustatus, angulis posticis nonnihil prominulis; supra anterius convexus, leviter transversim strigosus, in medio canaliculatus, intra basin transversim depressus, fovea angulari majuscula transversim rugulosa impressus. Scutellum parvum triangulare nigro-virescens. Elytrorum forma et striae omnino ut in B. celeri sed nigro- sub-virescentia, nitida. Corpus subtus nigrum, nitidum, politum. Pedes longiusculi, toti nigri.

5-6. B. pusillum: nigrum, nitidum, antennis, pedibus elytrorumque apice piceis, tho-

thorace cordato disco laevissimo, elytrorum striis ante apicem evanescentibus.

Leja minuta, Dej. Cat. p. 17.

Var. *b*, antennis, pedibus elytrorumque apice dilutius rufescentibus.

Habitat in arenosis minus frequens; Aboae in Finlandia, *Dom. Com. de Mannerheim*; in Vestrogothia *Ipse*.

Statura et summa affinitas B. celeris, sed magnitudo plus duplo minor et color alius. Caput majusculum, porrectum, nigrum nitidum, fronte longitudinaliter elevata, sulco profundo juxta singulum oculum utrinque; os piceum, palpis apice testaceis; oculi magni brunnei. Antennae thorace parum longiores, piceae. Thorax cordatus, basi apiceque truncatus, lateribus ante medium valde ampliatus, posterius angustatus, supra in disco modice convexus, niger, nitidus, laevissimus, canalicula media exaratus, et intra angulos posticos utrinque fovea sat profunda, sub-punctata impressus. Scutellum breve, triangulare, concolor. Elytra ovata, thoracis basi dimidio latiora, apice rotundata, supra modice convexa, nigra, nitida, versus apicem plerumque dilutius picea, externe leviter, versus suturam profundius striato-punctata, striis interioribus longioribus, externis paulo pone medium evanescentibus. Corpus subtus nigrum, nitidum, vix punctulatum. Pedes longiusculi, femoribus validis piceis, tibiis tarsisque dilutioribus. Var. b, differt tantum antennis, pedibus elytrorumque apice dilutius rufescentibus.

Obs. Elaphrus minutus Dufts. Fn. Austr. 2. 220. 38, a Com. Dejean dubie licet, citatus, huc non pertinet, sed ad B. Doris nostrum, ideoque nomen mutavi.

6. B. rufipes p. 18.

Peryphus rufipes, Dej. Cat. p. 17.

6-7. B.

6–7. B. lunatum: viridi-aeneum nitidum, palpis, antennis pedibusque pallide testaceis, elytris profunde punctato-striatis, macula lunata ferruginea intra apicem.

Elaphrus lunatus, Dufts. Fn. Austr. 2. 211. 27.
Peryphus lunatus, Dej. Cat. p. 17.
Habitat in Vermelandia. *Dom. Mellerborg. Mus. Dom. Schönherr.*

Statura et similitudo Bemb. rupestris, sed dimidio majus et ultra. Caput porrectum, viridi-aeneum, nitidum, ore piceo, palpis totis pallide testaceis. Antennae thorace longiores, articulis 3 seu 4 primis pallide testaceis, reliquis fuscis. Thorax quoad structuram omnino ut apud B. rupestre descriptus, viridi sub-aeneus, nitidissimus, politus, in medio canaliculatus, et intra angulum posticum utrinque fovea magna rotunda impressus. Scutellum parvum triangulare concolor. Elytra quoad formam et strias omnino ut in B. rupestri, viridia, parum aeneo-micantia, macula magna oblique transversa, sub-lunata ferrugineo-rubra intra apicem; margo inflexus etiam saturate ferrugineus. Corpus subtus aut nigro-piceum, aut dilutius piceo-ferrugineum nitidum, impunctatum. Pedes elongati, toti pallide testacei.

In nuper declaratis color pallidior, pedes et macula elytrorum fere albida.

7. B. rupestre p. 19.

Obs. Plures, antea ut varietates inspectae, specie tamen distinctae videntur, monente Dom. Comite Dejean, ideoque diagnosis B. rupestris emendanda:

B. rupestre: oblongum, sub-depressum, viridi-aeneum, antennis variegatis, pedibus ferrugineis, elytris rufescenti-bimaculatis, striis laterum et apicis evanescentibus.

Pery-

Peryphus rupestris, *Dej. Cat. p.* 17.

Var. *b*, elytrorum maculis dilatatis, fere confluentibus, pallidioribus.

Habitat ad ripas lacuum et fluviorum passim.

Descriptio loc. cit. data, huic competit, cui addendum: duobus insequentibus paulo majus. Palpi ferruginei, vix apice fuscescentes. Antennae extrorsum fuscae, articulis tribus primis et basi plurium insequentium ferrugineis. Pedes toti ferruginei.

7-8. B. femoratum: oblongum, sub-depressum, supra viride, antennarum basi tibiis tarsisque ferrugineis, elytris rufescenti-bimaculatis, striis laterum et apicis evanescentibus.

Peryphus femoratus, *Dej. Cat. p.* 17.

Var. *b*, elytrorum maculis dilatatis, fere confluentibus pallidis seu albidis.

Habitat in aquosis, sub lapidibus, frequens.

Praecedenti simillimum, sed paulo minus et insequentibus diversum: Palporum articulus penultimus saturate niger. Antennae nigrae, articulo primo toto, 2, 3, interdum etiam 4 basi tantum ferrugineis. Femora nigra, apice plus minusve ferruginea. Color plerumque obscurior, nigro-virescens. Cetera ut in praecedente omnia.

Obs. Variat etiam femoribus totis rufo-piceis, ut et striis elytrorum 7—8 lateralibus et apicis evidentioribus, unde B. saxatili simillimus, sed antennarum color constans distinguit.

7-8. B. saxatile: oblongum, depressum, nigro-virescens, antennis pedibusque obscure ferrugineis, elytris rufo-bimaculatis, striis ad apicem excurrentibus.

Pery-

Peryphus saxatilis, *Dej. Cat. p.* 17.
Bembidium rupestre, *Ins. Sv.* 2. 19. 7. *var. b.*
Var. *b*, maculis elytrorum pallidioribus.
Habitat ad aquas, praesertim locis montosis, sat frequens; var. *b*, parcius occurrit.

Praecedentibus iterum valde affine, sed differt: magnitudine adhuc paulo minore; corpore magis depresso, praesertim in elytris; colore saturatius nigrovirescente etc. Antennae saturate ferrugineae, basi dilutiores, rarius extrorsum nigricantes. Elytrorum striae, etsi versus latera et apicem tenuiores, tamen perspicuae et excurrentes; maculae elytrorum saturatius rufae, minores, praesertim posterior, quae etiam magis transversim locata, saepe rotunda. Pedes denique saturatius ferruginei, femoribus interdum subtus brunneis.

7-8. virens: oblongum, depressum, virescenti-aeneum, antennis totis nigris, elytris subtiliter punctato-striatis, pedibus nigris, coxis ferrugineis.

Habitat sub lapidibus, ad littora maris in Bahusia; prope urbem Uddevalla copiose lectum; etiam e Lapponia a *Dom. Schönherr* communicatum.

Magnitudo et statura omnino B. saxatilis. Caput porrectum virescenti-sub-aeneum nitidum, fronte utrinque fovea longitudinali profunde impressa, cui externe versus oculum adjacet plica elevata flexuosa; os et palpi nigri, mandibulis medio ferrugineis. Antennae longitudine dimidii corporis, totae nigrae, etiam basi. Thorax brevis transversus, antice multo latior, leviter emarginatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, late explanato-marginatus, posterius angustior, angulis rectis; supra in disco nonnihil convexus, obsolete strigosus, in medio canaliculatus, postice utrinque fovea magna profunda, transversim strigosa,

gosa, impressus, totus virescenti-aeneus nitidus. Scutellum parvum, breviter triangulare concolor. Elytra antice thoracis basi dimidio fere latiora, humeris rotundatis, thorace quadruplo longiora, lateribus ampliata, apice rotundata, supra perparum convexa, dorso fere plana, aut virescenti-aenea, aut nigro-virescentia nitida, subtiliter striata, striis interioribus evidentius, externis subtilissime punctatis, omnibus integris apicem attingentibus; in stria tertia a sutura puncta duo majora ordinaria impressa, et in margine exteriore pone humerum foveolae quatuor majusculae. Corpus subtus nigro-coerulescens, nitidum, glabrum, impunctatum. Pedes mediocres nigri, coxis et basi intima femorum ferrugineis.

7-8. B. olivaceum: oblongum, depressum, virescenti-aeneum, antennarum articulo primo subtus femorumque basi ferrugineis, elytrorum striis tenuibus impunctatis.

Elaphrus prasinus, *Dufts. Fn. Austr.* 2. 201. 14?

Peryphus prasinus, *Dej. Cat. p.* 17.

Var. *b*, elytris olivaceo-brunneis.

Habitat sub lapidibus juxta aquas, in Lapponia *Dom. Praepos. Zach. Grape. Mus. Dom. Schönherr.* In Darlekarlia *Ipse.*

Magnitudo et statura omnino proxime praecedentis. Caput omnino ut in priori, etiam quoad colorem; os et palpi nigri, mandibulis rufo-piceis. Antennae nigrae, articulo primo aut maxima parte, aut saltem subtus ferrugineo. Thorax quoad structuram, impressiones et colorem omnino ut apud praecedentem descriptus. Elytrorum forma etiam eadem, sed striae omnino laeves, impunctatae; puncta duo majora dorsalia et foveolae marginales ut in illo. Corpus subtus nigro-sub-virescens nitidum, impunctatum. Pedes longiusculi nigri, femoribus piceis, subtus et basi dilutius ferrugineis.

Var. b,

Var. b, differt tantum elytris dilutioribus, brunneis aut olivaceis, margine nigro-aeneo.

7-8. B. Fellmanni: oblongum, depressum, virescenti cupreum nitidum, antennis totis pedibusque nigris, virescenti-micantibus, elytrorum striis impunctatis.

Mannerheim in Hum. Ess. Ent. 3. 43. 1. *Pl.* 1. *f.* 1. *a*, *b*.

Habitat in Lapponia. *Dom. Fellman* et *Grape. Mus. Dom. Schönherr.*

Proxime praecedenti duplo fere minus, elytris paulo brevioribus, minus depressis et colore magis cupreo; caeterum simillimum. Caput ut in illo, sed antennae totae nigrae, articulis primis supra virescenti-micantibus. Thorax exacte ut in illo constructus et impressus, modo color magis in cupreum vergens. Elytra paulo breviora et magis convexa quam in proxime praecedentibus, et quoque paulo profundius striata videntur, saturatius cupreo-aenea; ceterum striae omnino impunctatae ut in B. prasino; puncta impressa dorsalia et foveolae marginales ut in prioribus. Corpus subtus nigrum nitidum, parum virescenti-micans, impunctatum. Pedes longiusculi nigri, externe virescenti-micantes, femorum basi intima rufescente.

8. B. 4-guttatum p. 21.

Lopha 4-guttata, Dej. Cat. p. 17.

9. B. 4-maculatum p. 22.

Lopha 4-maculata, Dej. Cat. p. 17.

9-10. B. pulchrum: nigro-sub-virescens, nitidum, tibiis tarsisque testaceis, thorace postice attenuato, elytris anterius punctato-striatis, macula sub-humerali pallida.

Lo-

Lopha bella, Dom. Prof. Sahlberg in litteris.
Habitat in Finlandia. *Dom. Prof. Sahlberg.*
Mus. Dom. Schönherr.

Statura et summa affinitas B. 4-maculati, sed dimidio minus, antennae et femora nigro-picea, et in elytris macula tantum unica pallida, humeralis nempe. Caput ut in praecedenti, sed fere nigrum; os et palpi nigri. Antennae nigrae, apice fusco-piceae. Thorax ut in priori constructus, sed capite concolor, fere niger, parum virescenti-micans. Elytrorum forma ut in priori et illorum striae ejusmodi, e punctis majusculis, remotis, posterius evanescentes, ut apex omnino laevis; paulo pone humerum macula ovata pallida seu albida, sed versus apicem omnino nulla. Corpus subtus nigrum, nitidum, impunctatum. Femora nigra, nitida; tibiae et tarsi dilute testacei.

Obs. Lopha 4-pustulata Dej. Cat. p. 17. ab ipso Comite benevole missa, huic quoad colorem antennarum et femorum simillima, sed B. 4-maculato adhuc major et elytra 4-maculata.

10. B. articulatum p. 23.
Lopha poecila, Dej. Cat. p. 18.

11. B. Doris p. 24.
Elaphrus minutus, Dufts. Fn. 2. 220. 38.
Leja terminata, Dej. Cat. p. 17.

Obs. Leja Doris Dej. Cat. p. 17. ab ipso Comite benevole communicata, certe distincta, dimidio fere minor, angustior; thorax brevior, disco laevissimus, foveis baseos multo minoribus; elytra fortius punctato-striata; macula rubra ante apicem major, magis introrsum locata, sed haec apud nos non occurrit; Illig. loc. cit. nostram descripsisse credo, forte etiam Panzer.

12. B. assimile p. 26.
Leja assimilis, Dej. Cat. p. 17.

13. B. guttula p. 27.

Leja guttula, Dej. Cat. p. 17.

Var. *b*, corpore toto pallide testaceo.

Habitat Aboae in Finlandia. *Dom. Com. Mannerheim.*

14. B. biguttatum p. 28.

Leja fuscipes var. Dej. Cat. p. 17.

Obs. Leja fuscipes ex Hispania, a Dom. Com. Dejean benevole communicata, nostro quidem valde affinis, attamen distincta mihi videtur, paulo major, antennis pedibusque pallidioribus etc. Leja biguttata Dej. Cat. p. 17, etiam alia; Synonyma Illigeri et Paykullii certe ad nostrum pertinent.

15. B. ustulatum p. 29.

Obs. Sub hac denominatione species plures a plerisque auctoribus confusae videntur, et descriptiones per-breves, indeterminatae; unde synonyma vix extricanda. Species reliquis major, ut Sueciae incola ignota mihi erat, dum genus hocce tractabam, nempe:

15-16. B. majus: nigrum, glabrum, capite thoraceque supra viridi-aeneis, elytris lividis fusco-striatis et maculatis, ore, antennarum basi pedibusque testaceo-variegatis.

Notaphus articulatus, Dej. Cat. p. 16.?

Elaphrus ustulatus, Dufts. Fn. Austr. 2. 202. 15. *a.*

Var. *b*, dimidio minor, elytrorum sutura liturisque nigrioribus.

Carabus ustulatus, Panz. Fn. 40. *f.* 7.

Elaphrus ustulatus, Dufts. Fn. Austr. 2. 202. 15. *var. δ.*

Habitat ad littora lacuum et fluviorum in Provinciis borealibus, Darlekarlia, Finlandia,

Ver-

Vermelandia. Var. *b*, in Vermelandia a *Dom. Mellerborg* capta. *Mus. Dom. Schönherr.*

B. impresso paulo majus, praesertim longius; variat tamen magnitudine. Caput majusculum, porrectum, virescenti-aeneum, sub-opacum, impunctatum, antice utrinque sulco longitudinali impressum, adjacente plica elevata juxta singulum oculum; os et palpi piceo- et testaceo variegati; oculi magni brunnei. Antennae longitudine dimidii corporis, articulo primo toto, 2, 3, 4, basi testaceis, reliquis nigro-fuscis, dense pubescentibus. Thorax transversus, antice multo latior, truncatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, dein angustatus, basi etiam truncatus, angulis lateralibus rectis; intra basin arcuatim depressus, disco anteriore sub-convexo laevi, aut virescenti-aeneo, aut magis cupreo, non nitido, in medio sat profunde canaliculato; foveae angulares magnae, profundae, cum impressione transversa postica confluentes. Scutellum parvum triangulare virescens. Elytra magna, ovata, antice thoracis basi parum latiora, sed mox pone basin ampliata, thorace quadruplo longiora, apice rotundata, supra parum convexa, regulariter et concinne striata, striis crebre punctatis, interstitiis latis, planis, laevibus; griseo-flavescentia, nitida, striis infuscatis, et praeterea lituris fuscis irregularibus, praesertim posterius notata. Corpus subtus nigro-piceum nitidum, politum, ventre, praesertim posterius dilutius testaceo. Pedes elongati testacei pubescentes.

Var. b, differt tantum ut in diagnosi dictum, magnitudine minore, elytrorum lituris et quoque sutura nigrioribus.

15. B. ustulatum. *Ins. Sv.* 2. 29. 15.

Obs. Descriptioni addendum: Color paginae superioris aut nigro-aeneus, aut coerulescens, aut virescens, in elytris semper magis nitidus quam in capite et thorace. Signaturae pallidae elytrorum in a, et b, probe inspectae, semper constantes et similes, nempe in

in medio ipsius baseos guttula parva, saepe obsoleta; paulo ante medium fascia arcuata, abbreviata, retrorsum nonnihil obliqua, a striis interrupta, constans maculis quatuor exterioribus longioribus; in interstitio tertio a sutura guttulae duae oblongae, prior ante medium, altera in medio elytri; versus apicem fascia altera, major, antrorsum obliqua, e guttulis quinque composita, exterioribus multo longioribus; apex semper disco concolor.

Var. c, loc. cit. magis diversa, intermedia quasi inter priorem et jam descriptam speciem; paulo major; liturae luteae elytrorum eodem ordine quidem dispositae, sed multo majores; prima baseos in lineam extensa, interne ad basin denticulo obliquo acuta; fascia prior e lineis quinque composita, externis valde elongatis; guttulae duae interiores etiam elongatae; fascia posterior adhuc major, constat guttulis septem, interioribus quinque minoribus, externis duabus valde elongatis, cum apice toto flavo confluentibus. Antennarum basis et pedes toti ferruginei.

16. B. nanum p. 30.

Elaphrus minimus, *Dufts. Fn. Austr.* 2. 205. 17.

Tachys minimus, *Dej. Cat. p.* 16.

17. B. 4-striatum p. 31.

Trechus rubens, *Dej. Cat. p.* 16.

18. B. rivulare p. 33.

Trechus rivularis, *Dej. Cat. p.* 16.

19. B. 5-striatum p. 34.

Var. *b*, supra nigro-coerulescens vel virescens, subtus nigro-piceum.

Elaphrus pumilis, *Dufts. Fn. Austr.* 2. 214. 51.

Tachys virens, *Dej. Cat. p.* 16.

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

20. B. paludosum p. 34.

Tre-

Trechus paludosus, *Dej. Cat. p.* 16.

21. B. Secale p. 36.

Trechus secalis, *Dej. Cat. p.* 16.

Obs. Genera: Tachypus, Lopha, Leja, Peryphus, Bembidium, Notaphys, Tachys, in Familia Carabicorum sub-divisionem quintam, Subulipalpes dictam, constituentes, non nisi forma et proportione thoracis differunt; vid. Latr. et Dej. Hist. Nat. et Iconogr. p. 89.; Genus Trechus vero structura palporum et Ligulae diversum, quare sequentes, sub Bembidio descriptae species ab illis sejungendae, nempe: No. 17, 4-striatum; 18, rivulare; 20, paludosum, et 21, Secale, quibus etiam associandus Harpalus collaris, Ins. Sv. 2. 166. 72.

NEBRIA.

1. N. livida p. 38.

Nebria sabulosa et lateralis, *Dej. Cat. p.* 7.

Nebria sabulosa, *Sturm. Fn.* 3. 137. 1.

2. N. brevicollis p. 39.

Sturm. Fn. 3. 140. 2. *Tab.* 67.

Var. *b*, supra brunnea, subtus, cum antennis et pedibus pallida, immatura forte.

Nebria fuscata, *Bonelli. Obs. Ent.* 1. 44. 2. 2.

Habitat in Gottlandia. *Mus. Dom. Schönherr.*

3. N. Gyllenhalii p. 40. *Dej. Cat. p.* 7.

Propter distinctionem a speciebus simillimis postea detectis, diagnosis emendanda:

N. Gyllenhatii: nigra sub-depressa, antennis extrorsum tarsisque ferrugineis, elytrorum striis obsolete punctulatis, interstitio tertio a sutura punctis majoribus impresso.

Var. *b*,

Var. *b*, punctis majoribus in interstitio tertio obsoletis aut nullis.

Habitat in Lapponia. *Dom. Zach. Grape. Mus. Dom. Schönherr.*

Descriptioni addendum: Antennarum articuli quatuor baseos nigri nitidi, glabri, apice anguste rufescentes, reliqui fusco-ferruginei, pubescentes, opaci, exteriores pallidiores. Elytrorum striae, certo situ inspectae, obsolete quidem, tamen visibiliter punctatae; puncta majora, in interstitio tertio a sutura impressa, numero variant, 3, 4, rarius 5, interdum in ipsa stria tertia locata, alia vice valde obsoleta aut fere nulla, ut in var. b. Tarsi toti semper obscure ferruginei, articulo unguiculari dilutiore.

Obs. Nebria Jockischii. Sturm. Fn. 3. 143. 4. Dej. Cat. p. 7, Carabus Gyllenhalii Dufts. Fn. Austr. 2. 49. 44. constanter differt striis elytrorum omnino impunctatis, punctis nullis majoribus in interstitio tertio a sutura et tarsis nigro-piceis, articulo unguiculari solo ferrugineo, ceterum simillima, sed apud nos adhuc non detecta.

3-4. N. hyperborea: nigra sub-depressa, antennis extrorsum, tibiis tarsisque ferrugineis, elytris rufo-testaceis, striis obsolete punctatis: interstitio tertio punctis majoribus impresso.

Nebria Gyllenhalii var. Ins. Sv. 3. add. p. 692. var. b.

Var. *b*, eadem, sed tibiis nigro-piceis.

Var. *c*, elytris rufo-piceis, tibiis nigris.

Var. *d*, capite thoraceque nigris, elytris, corpore femoribusque livido-testaceis, tibiis tarsisque dilutioribus.

Ha-

Habitat ad Nord-Cap, Norvegiae. *Dom. Marklin. Mus. Dom. Schönherr.*

Praecedenti simillima et nimis affinis, colore tantum diversa. Caput, antennae, thorax omnino ut in illa; elytrorum forma, striae sub-punctatae et puncta disci majora etiam simillima, sed color aut laete rufo-testaceus aut obscurius rufo-piceus. Caput et pedes ut in priori, sed in a, tibiae ferrugineae. Var. d, quoad maximam partem pallidior, immatura forte.

Variat etiam dimidio minor, alias simillima.

4. N. nivalis p. 41.

Var. *b*, femoribus supra piceis.

Habitat cum a. *Mus. Dom. Schönherr.*

5. N. borealis p. 42.

Pelophila borealis, Dej. Cat. p. 7. *Mannerheim in Hummels Ess. Ent.* 3. 36. 1.

Var. *d*, pallida thorace elytrisque violaceo-micantibus. *Mannerh. l. c.*

Var. *e*, supra nigra, elytris nigro-violaceis.

Habitat in Lapponia. *Mus. Dom. Schönherr.*

Variat etiam elytrorum striis jam evidentioribus, jam obsoletis.

Obs. Peculiare jam constituit Genus, Pelophila, palporum articulo ultimo oblongo-ovato, apice parum truncato, et praecipue tibiis anticis ad apicem interne excavatis, a Nebriis distinctum.

6. N. multipunctata p. 44. Pars 3. add. p. 692. var.

Blethisa multipunctata, Dej. Cat. p. 18.

Obs. In adjecta observatione l. c., differentias instrumentorum oris indicavi, quae Elaphris magis concordant, unde jure proprium genus constituere debeat haec species; tibiarum anticarum structura fere ut in

in Pelophila, sed antennae breviores, crassiores et ab illo et a Nebriae genere distinguunt.

Harpalus arcticus, Ins. Sv. 2. 96. 15., quoad structuram mandibularum, palporum, antennarum et tibiarum anticarum, Blethisae multipunctatae simillimus, et forte ejusdem generis; sed instrumenta cibaria interioria lustrare non licuit, ad certitudinem hac in re obtinendam, nam duo tantum specimina vidi.

Heic quoque inseratur Insectum pulcherrimum, Blethisa multipunctata et arctica propinquum, sed ad partes interiores oris non examinatum, dum in collectionibus Patriae duo tantum specimina inveniuntur, nempe:

Blethisa Zetterstedtii: subtus nigro-supra cupreo-virescens, splendidissima, glabra, antennis pedibusque rufescentibus, thorace brevi, foveis baseos profundissimis, triangularibus, elytris antice interne subpunctato-striatis.

Habitat in Lapponia rarissime. *Dom. Praepos. Zach. Grape. Mus. Dom. Schönherr*; et denuo ibidem a *Dom. Prof. Zetterstedt* inventa, cujus gratam memoriam conservare voluit *Dom. Schönherr.*

Parva, Amara tibiali paulo minor. Caput majusculum, porrectum, rotundatum, viride, nitidum, foveolis duabus transversis antice impressum; oculi prominuli nigri. Palpi crassiusculi nigro-picei, articulo ultimo oblongo-ovato, apice truncato, pallido-marginato. Antennae filiformes, thorace longiores, rufo-ferrugineae, pilosae, supra longitudinaliter infuscatae; articulus primus crassus, sub-cylindricus, parum longus; secundus parvus, tertius sequentibus longior, ob-conici; reliqui sub-cylindrici; ultimo longiore acuminato. Thorax transversus, antice latior, truncatus, lateribus reflexo-marginatus, ante medium ro-

rotundato-ampliatus, posterius angustior, angulis prominulis, acutis; supra parum convexus, cupreo-aeneus, splendidissimus, laevis, versus margines virescens; canalicula media tenuis, obsoleta; intra angulum posticum utrinque fovea triangularis valde profunda, impunctata, striga transversa, profunde impressa, punctata, cum opposita conjuncta, unde margo posticus elevatus, reflexus. Scutellum latum, breviter triangulare, cupreum, nitidissimum, laeve. Elytra antice thoracis postico latiora, basi sinuata, humeris prominulis; pone humerum ampliata, dein versus apicem angustiora, apice integra, sub-acuminata, thorace fere quadruplo longiora, supra parum convexa, cupreo-aenea fulgidissima, limbo toto laevissima, sed ad basin interiorem striolis nonnullis subtilissime punctulatis notata, interioribus longioribus, paulo evidentioribus. Corpus subtus nigro-virescens, nitidissimum, glabrum, laeve. Pedes longiusculi rufo-ferruginei, externe longitudinaliter infuscati; tibiae anticae basi tenues, versus apicem dilatatae, subtus spina breviuscula armatae, sed non lateraliter emarginatae; tarsi crassiusculi, articulis obconicis, articulis exterioribus sensim minoribus.

In hac serie etiam collocandus est Harpalus Forsströmii. Proprii tamen Generis, cui nomen a Dom. Schönherr propositum:

PTEROLOMA.

Palpi maxillares et labiales articulo ultimo cylindrico, apice sub-angustiore. Labrum et Ligula ut in Nebria forte. Antennae tenues, filiformes. Thorax transversus, lateribus valde explanatus. Tibiae anticae tenues, simplices.

1. P. Forsströmii:

Harpalus Forsströmii, *Ins. Sv.* 2. 111. 27.

Habi-

Habitat etiam in Vermelandia. *Dom. Mellerborg. Mus. Dom. Schönherr;* in Lapponia quoque a *Dom. Prof. Zetterstedt* captum.

Obs. Genus Nebriis proximum; antennis longioribus tenuibus et tibiis omnibus simplicibus cum illis conveniens; sed Palporum structura diversa.

SCOLYTUS.

Obs. Nomen Scolytus a Dom. Geoffroi, Schaeffer et Olivier alii Generi dicatum, aptius in Omophron mutandum, praeeunte Celeb. Dom. Prof. Latreille, loc. infra citato.

Palpi sex-filiformes; quatuor exteriores longiores, aequales: postici porrecti. Mandibula acuta, edentula. Antennae palpis multo longiores, filiformes. Corpus breve, ovale, ex-scutellatum. Caput antice excisum. Thorax transversus, marginatus, lateribus coleoptris continuus. Coleoptra integerrima. Pedes cursorii.

1. S. limbatus: ovalis ferrugineus, vertice, plaga baseos thoracis, elytrorum sutura fasciisque tribus undulatis viridi-aeneis, elytris crenato-striatis.

Fabr. Illig. Panz. Schönh. Syn. 1. 249. 2. *Zetterst. Act. Holm.* 1818. *p.* 253. *n.* 3.

Omophron limbatum, Latr. Gen. Ins. 1. 225. 1. *Tab.* 7. *f.* 7. *Dej. Cat. p.* 18.

Habitat in Scania; ad littora lacus Silfäkra a *Dom. Fries* copiose lectus.

Statura breviter ovalis, fere Cassidae, et C. vi-

bice paulo latior, sed brevior. Caput retractum, versus os angustatum, fronte depressa, antice sinuatim pallide testacea, vertice et oculorum ambitu violaceo-virescentibus nitidis, parce punctulatis; labrum et os flava, mandibulis apice nigris; oculi sub-globosi brunnei. Antennae longitudine dimidii corporis, tenues, filiformes, totae pallidae, pilosae. Thorax transversus, antice angustior, bis emarginatus, angulis prominulis, acutis, lateribus obliquis, sub-rectis; postice repando-sinuatus, angulis acutis; supra modice convexus, inaequalis, rufo-testaceus, crebre punctatus, in medio baseos plaga magna viridi-aenea notatus. Scutellum nullum. Elytra antice thoraci arcte applicata, humeris rotundatis, thorace triplo longiora, apicem versus angustiora, supra valde convexa, rufo-ferruginea, crebre, profunde striata et in striis crenato-punctata, interstitiis angustis, planis, laevibus; sutura tota late viridis vel viridi-aenea, et praeterea fasciae tres ejusdem coloris, cum sutura connexae, margines vero non attingentes, valde flexuosae et sinuatae; prima in ipsa basi, secunda paulo ante, tertia pone medium. Corpus subtus saturatius ferrugineum, nitidum, in medio saepe piceum, thoracis pectorisque lateribus parce punctatis, abdomine laevi. Pedes elongati, tenues, pallide testacei tibiis tarsisque subpilosis.

LORICERA.

1. L. pilicornis p. 45. *Sturm. Fn.* 5. 165. 1. *Tab.* 72. *Dej. Cat. p.* 8.
   Loricera aenea, *Latr. Gen. Ins.* 1. 224. 1. *Tab.* 7. *f.* 5.

POGONOPHORUS.

1. P. spinilabris p. 47.
   Pogonophorus rufescens, *Latr. Gen. Ins.* 1. 223. 2.
   Leistus rufescens et terminatus, *Dej. Cat. p.* 7

2. P

2. P. **rufo-marginatus**: niger nitidus, ore, antennis, pedibus, thoracis elytrorumque lateribus rufo-ferrugineis, elytris profunde punctato-striatis.

Zetterstedt Act. Holm. 1818. *p.* 253. *n.* 4.

Leistus rufo-marginatus, Sturm. Fn. 3. 155. 4. *Tab.* 71. *f. a. et Carabus rufo-marginatus, Dufts. Fn.* 2. 54. 50.

Habitat in Scania ad Esperöd, sub cortice Quercuum et sub lapidibus, rarius. *Dom. Zetterstedt.*

Statura omnino P. **spinilabris**, sed dimidio major. Caput magnum, nigrum, nitidum, sub-laeve, foveolis duabus inter antennarum insertionem impressum; os totum rufo-testaceum, mandibulis amplis rotundatis compressis, apice nigris; oculi globosi nigri, valde prominuli. Antennae longitudine dimidii corporis, tenues, totae rufo-testaceae. Collare angustum cylindricum. Thorax brevissimus, antice parum emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, posterius angustatus, supra in disco convexus, laevis, intra basin et apicem transversim profunde impressus, ibique confertim punctatus, niger, nitidus, lateribus late reflexo-marginatis ferrugineis. Scutellum triangulare nigrum, obsolete punctatum. Elytra magna, ovata, humeris apiceque rotundatis, in medio thoracis latitudinem adaequantia, illoque quintuplo longiora, supra modice convexa, nigra, nitida, regulariter profunde striata et in striis evidenter punctata, punctis remotis; margo ipse lateralis reflexus, rufo-piceus. Corpus subtus nigrum vel nigro-piceum, nitidum, pectoris abdominisque lateribus antice sat profunde punctatis. Pedes elongati, tenues, toti rufo-ferruginei.

CALO-

CALOSOMA.

1. C. Sycophanta p. 49. *Sturm. Fn.* 3. 125. 1. *Tab.* 66.
2. C. inquisitor p. 50.
3. C. reticulatum p. 51. *Sturm. Fn.* 3. 127. 3.
4. C. indagator p. 52. *Sturm. Fn.* 3. 132. 5.

CARABUS.

1. C. coriaceus p. 54.
   Procrustes coriaceus, *Sturm. Fn.* 3. 23. 1. *Tab.* 54. *Dej. Cat.* *p.* 5.
2. C. intricatus p. 54.
   C. cyaneus, *Sturm. Fn.* 3. 32. 3.
3. C. glabratus p. 55. *Sturm. Fn.* 3. 89. 35.
4. C. violaceus p. 56. *Sturm. Fn.* 3. 85. 32.
5. C. catenulatus p. 57. *Sturm. Fn.* 3. 61. 18.
6. C. nemoralis p. 58.
   C. hortensis, *Sturm. Fn.* 3. 94. 38.
7. C. hortensis p. 59.
   C. gemmatus, *Sturm. Fn.* 3. 106. 44.
8. C. convexus p. 61. *Sturm. Fn.* 3. 98. 40.
9. C. arvensis p. 61. *Sturm. Fn.* 3. 66. 21.
10. C. granulatus p. 62.
    C. cancellatus, *Sturm. Fn.* 3. 49. 12.
11. C. cancellatus p. 64.
    C. granulatus, *Sturm. Fn.* 3. 42. 8.
12. C. morbillosus p. 65. *Sturm. Fn.* 3. 39. 7.
    Obs. Errore quodam ut Sveciae incola allatus. Dom. Schönherr.
13. C. clathratus p. 67. *Sturm. Fn.* 3. 102. 42.

Var.

Var. *c*, totus niger, foveolis elytrorum concoloribus.

Habitat in Lapponia, *Mus. Dom. Schönherr.*

Var. *d*, paulo minor, supra niger, thoracis lateribus, elytrorum margine foveolisque omnibus laete viridibus.

In Hallandia olim a Dom. Osbeck detectus.

14. C. auratus p. 68. *Sturm. Fn.* 3. 33. 4. Tab. 55.

15. C. auro-nitens p. 69. *Sturm. Fn.* 3. 35 5.

16. C. nitens p. 70. *Sturm. Fn.* 3. 37. 6.

CYCHRUS.

1. C. rostratus p. 71. *Sturm. Fn.* 3. 15. 1. Tab. 53.

LICINUS.

1. L. depressus p. 73. *Dej. Cat. p.* 8.
Licinus cossyphoides, *Sturm. Fn.* 3. 180. 3. *Tab.* 74. *f. o. O.*
Carabus cossyphoides, *Dufts. Fn.* 2. 43. 38.

AMBLYCHUS.

1. A. bipustulatus p. 74.
Badister bi-pustulatus, *Dej. Cat. p.* 8.

Var. *b*, macula communi rufa elytrorum deficiente, sutura tantum anguste rufa.

Habitat in Gottlandia. *Mus. Dom. Schönherr.*

Var. *c*, dimidio major et ultra.

Badister lacertosus, Sturm. Fn. 3. 182. 2. Tab. 75. f. n. N.

Rarius cum a, occurrit, cui, magnitudine excepta, simillimus, nulla essentiali nota distinguendus. Palpo-

porum articulus ultimus in utroque saepe basi niger, apice pallidus.

2. A. peltatus p. 76.
Badister peltatus, *Sturm. Fn.* 3. 189. 3. *Tab.* 76. *a*, *A.* *Dej. Cat. p.* 8.

SYNUCHUS.

1. S. vivalis p. 77.
Taphria vivalis, *Dej. Cat. p.* 10.
Agonum vivale, *Sturm. Fn.* 5. 215. 22.?

PANAGAEUS.

1. P. crux p. 78.
Panagaeus crux major, *Sturm. Fn.* 3. 170. 1. *Tab.* 73. *f. a*, *A.* *Dej. Cat. p.* 7.

HARPALUS.

1. H. leucophthalmus p. 80.
Sphodrus planus, *Sturm. Fn.* 5. 149. 1. *Tab.* 128. *f. a—n.* *Dej. Cat. p.* 10.
2. H. angusticollis p. 81.
Anchomenus angusticollis, *Sturm. Fn.* 5. 168. 2. *Tab.* 130.
Platynus angusticollis, *Dej. Cat. p.* 10.
3. H. albipes p. 82.
Anchomenus albipes, *Sturm. Fn.* 5. 175. 6.
——— *pallipes*, *Dej. Cat. p.* 10.
4. H. prasinus p. 83.
Anchomenus prasinus, *Sturm. Fn.* 5. 171. 4. *Dej. Cat. p.* 10.
5. H. vestitus p. 84.
Chlaenius vestitus, *Sturm. Fn.* 5. 130. 5. *Dej. Cat. p.* 8.

6. H.

6. H. oblongo-punctatus p. 85.
Platysma oblongo-punctata, Sturm. Fn. 5. 51. 8.
Pterostichus oblongo-punctatus, Dej. Cat. p. 12.
Var. *b*, Pars 3, add. p. 692.

7. H. niger p. 86.
Pterostichus niger, Sturm. Fn. 5. 5. 1.
Platysma nigra, Dej. Cat. p. 12.

8. H. nigrita p. 88.
Platysma nigrita, Sturm. Fn. 5. 64. 15.
Omaseus nigrita, Dej. Cat. p. 12.

Obs. Propter distinctionem a sequente, diagnosis emendanda:

H. nigrita: niger, nitidus, immaculatus, thorace breviore, lateribus aequaliter rotundato, postice parum angustiore, fovea magna punctata utrinque impresso, elytrorum striis sub-laevibus.

Obs. Thorax latitudine multo brevior, lateribus aequaliter rotundatus, postice parum angustior: foveae baseos confertim punctatae, vix vero linea impressa notatae. Carabus anthracinus verus Illigeri, monente Dom. Comite Dejean, qui utramque speciem benevole communicavit, huic simillimus, sed thorace longiore, postice angustiore, distinctus, etiam heic obvius.

8–9. H. anthracinus: niger, nitidus, immaculatus, thorace longiore, posterius angustiore, fovea magna postica punctata, striola impressa notata, striis elytrorum sub-punctatis.

Carabus anthracinus, Illig. Col. Bor. 1. 181. 5. *Dufts. Fn.* 2. 162. 214.
Platysma anthracina, Sturm. Fn. 5. 65. 16.

Oma-

Omaseus anthracinus, *Dej. Cat. p.* 12.

Habitat sub lapidibus passim, minus frequens.

Thoracis forma excepta, praecedenti magnitudine, colore, reliquarum partium structura, et punctura ut ovum ovo simillimus, quare ulterior descriptio, ut superflua, omittitur. Thorax latitudine parum brevior, lateribus anterius rotundato-ampliatus, posterius angustior, angulis nonnihil prominulis; foveae baseos magnae, crebre punctatae et linea longitudinali impressa in medio notatae. Striae elytrorum in utraque specie, certo situ inspectae, plus minusve evidenter punctatae apparent.

9. H. anthracinus p. 89.

Omaseus minor, *Dej. Cat. p.* 12.

Obs. Synonymon Illigeri delendum, utpote ad praecedentem pertinens, ideoque etiam nomen in H. minor mutandum. Praeter Synonymon Paykullianum, huc pertinere videtur:

Platysma longicollis, *Sturm. Fn.* 5. 80. 25. *Tab.* 116. *f. d. D*, *et*

Carabus laevicollis, *Dufts. Fn.* 2. 163. 215. *forte.*

Var *c*, supra rufo-testaceus, capite nigro-piceo, subtus cum pedibus pallidior.

Platysma nigriceps, *Sturm. Fn.* 5. 84. 28. *Tab.* 117. *f. c*, *C.*

Habitat cum a, rarius, et, colore excepto, omni puncto conveniens, vix distincta species.

Obs. Antennarum color in a, variat; saepe rufo-ferrugineae, articulo primo et ultimo immaculatis, reliquis linea nigra notatis; in aliis antennae nigro-piceae, basi et apice tantum dilutiores. Striae elytrorum certo tantum situ punctatae aut crenulatae apparent, ut in proxime praecedentibus.

10. H. vernalis p. 90.

Platysma vernalis, *Sturm. Fn.* 5. 69. 18.

Argutor vernalis, *Dej. Cat. p.* 11.

11. H. sub-cyaneus p. 91.

Sphodrus sub-cyaneus, *Sturm. Fn.* 5. 151. 2.

Obs. Immaturus, totus piceo-ferrugineus. Mus. Dom. Schönherr.

12. H. melanaris p. 92.

Omaseus melanarius, *Dej. Cat. p.* 12.

Platysma leucophthalma, *Sturm. Fn.* 59. 1.

13. H. terricola p. 93.

Molops elatus, *Sturm. Fn.* 4. 164. 1. *Dej. Cat. p.* 13.

14. H. lepidus p. 94.

Platysma lepida, *Sturm. Fn.* 5. 92. 3.

Poecilus lepidus, *Dej. Cat. p.* 11.

Var. *h*, capite thoraceque coeruleo violaceis, elytris nigris, margine violaceo.

Var. *i*, capite thoraceque viridibus, elytris nigris, margine viridi.

Habitant cum prioribus rarius.

15. H. arcticus p. 96.

Obs. Facie quodammodo sequenti similis, sed ab hoc genere abunde diversus: antennis brevibus, crassioribus et tibiis anticis non a latere emarginatis, modo subtus versus apicem excavatis, fere ut in Pelophila et Blethisa, quibus in Sectione Abdominalium associandus; vid. antea not. sub Nebria multipunctata.

16. H. rufipes p. 97.

Patrobus rufipes, *Dej. Cat. p.* 10.

Var. *d*, paulo major, femoribus et interdum

dum antennarum basi nigro piceis. Pars 3. add. p. 693.

Habitat in Lapponia. *Dom. Grape. Mus. Dom. Schönherr.*

Obs. Varietates c, et d, semper alati, et dimidio, imo duplo majores; elytra minus convexa minusque profunde punctato-striata; hae in utroque sexu unice in Lapponia; ibique frequentius quam a, occurrunt; an itaque speciem distinctam efficiunt, cui nomen H. septentrionalis proposuit Dom. Schönherr?

16–17. H. pumicatus Pars 3. add. p. 693.

Sternis pumicatus, Dej. Cat. p. 5.

17. H. strenuus p. 98.

Obs. Monente Dom. Comite Dejean, species duae simillimae et valde affines, sub hac denominatione confusae, quae tamen distinguendae:

H. strenuus: niger, nitidus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, thorace lateribus rotundato, postice angustiore, utrinque unistriato, subtus punctato, elytrorum striis evidenter punctatis.

Carabus strenuus, Illig. Col. Bor. 1. 185. 60.

Argutor strenuus, Dej. Cat. p. 11.

Var. *b*, supra ferrugineus aut castaneus, capite magis nigro, subtus pallide testaceus.

Var. *c*, alatus.

Habitat sub muscis, lapidibus, locis humidis, passim.

Descriptio in Ins. Sv. l. c. data, huic competit, cui addendum: Thorax lateribus ante medium valde rotundato-ampliatus, posterius angustatus, angulo iterum prominulo, acuto; subtus sat crebre et profunde punctatus. Elytrorum striae suturae proximae pro-

profundiores, evidenter punctatae; exteriores tenuiores. Varietates secundum diagnosin tantum differunt.

Obs. Synonymon Illigeri certum mihi videtur; utrum Platysma strenua Sturm. Fn. 5. 71. 19. et Carabus strenuus Dufts. Fn. 2. 179. 240., huc pertinent, vel non, vix ex descriptionibus ambiguis pro certo dijudicandum.

17-18. H. pullus: niger, nitidus, antennis pedibusque ferrugineis, thorace rotundato postice angustiore, utrinque uni-striato, subtus impunctato, elytrorum striis leviter crenatis.

Argutor eruditus, *Dej. Cat. p.* 11.?

Var. *b*, femoribus piceis.

Var. *c*, supra ferrugineus aut castaneus, capite magis nigro, subtus pallide testaceus.

Habitat sub lapidibus, muscis, locis humentibus, sat frequens.

Magnitudo, statura, color, ut in praecedenti omnino; differt tantum thorace subtus laevi, impunctato, et elytrorum striis non in fundo punctatis, modo lateribus subtiliter crenatis, unde oblique inspectae punctatae apparent; cetera ut in praecedenti omnia, quare ulterior descriptio superflua.

Varietates modo secundum diagnosin differunt.

Obs. A. Dom. Com. Dejean olim sub hoc nomine missus; alius vero postea Dom. Schönherr ut S. eruditus communicatus, duplo major, thorace subtus punctato, qualem apud nos non inveni; nomen ideo dubium.

18. H. oblongus p. 99.

Anchomenus oblongus, *Sturm. Fn.* 5. 173. 5. *Dej. Cat. p.* 10.

19. H. aulicus p. 101.

Ama-

Amara aulica, Dej. Cat. p. 9.

20. H. torridus p. 102.

Var. *b*, corpore subtus, pedibus, labro toto oreque testaceis; mandibulis solis apice piceis; immaturus forte.

Habitat in Lapponia. *Dom. Praepos. Grape. Mus. Dom. Schönherr.*

21. H. alpinus p. 103.

Var. *b*, capite, thorace elytrorumque limbo viridi-aeneis.

Var. *c*, nigro-piceus, elytris totis concoloribus.

Var. *d*, nigro-aeneus, elytris totis concoloribus.

Var. *e*, viridi-aeneus nitidus, elytris totis concoloribus.

Habitant omnes in Lapponia, cum a. *Dom. Praepos. Zach. Grape. Mus. Dom. Schönh.*

Obs. In individuis, quorum elytra disco rubra, limbus niger vel aeneus jam latior, jam angustior; varietates jam enumeratae colore tantum differunt; in omnibus antennarum basis et femora rufo-ferruginea, nitida.

22. H. apricarius p. 104.

Amara apricaria, Dej. Cat. p. 9.

Ad var. b, pertinere videtur, Amara Petri Hummel Ess. Ent. 4. 58. 1.

23. H. fulvus p. 105.

Amara fulva, Dej. Cat. p. 9.

24. H. ruficornis p. 107. *Dej. Cat. p. 14.*

Var. d, Harpalus griseus, Dej. Cat. p. 14.

25. H. puncticollis p. 108. *Sturm. Fn. 4. 103. 59. Tab. 114. f. a. A.*

Opho-

Ophonus puncticollis, *Dej. Cat. p.* 13.

26. H. pubescens p. 109.

Ophonus pubescens, *Dej. Cat. p.* 14.

27. H. Forsströmii p. 111.

Obs. Ad Sectionem Abdominalium pertinet, Nebriis affinis, vid. antea, Genus Pteroloma.

28. H. holosericeus p. 112.

Chlaenius holosericeus, *Sturm. Fn.* 5. 134. 7. *Dej. Cat. p.* 8.

29. H. nigricornis p. 113.

Chlaenius nigricornis, *Sturm. Fn.* 5. 135. 8. *Dej. Cat. p.* 8.

Obs. Var. b, in Cat. Dom. Com. Dejean, p. 8., Chlaenius melanocornis appellatur; sed praeter colorem pedum, successive a pallidiore ad nigropiceum variantem, aliud discrimen detegere non valui.

30. H. cupreus p. 114. Var. γ. Pars 3. add. p. 694.

Platysma cuprea, *Sturm. Fn.* 5. 94. 34.

Poecilus cupreus, *Dej. Cat. p.* 11.

Obs. Dom. Hummel, in Essai Ent. 4. p. 7. C. coerulescentem Fabr. (var. c, nostr.) specie distinctum a cupreo dicit, sed vix jure; varietatem hanc cum aliis copulatam vidi, nec notas distinctivas detegere potui.

31. H. aeneus p. 116. *Sturm. Fn.* 4. 36. 19. *Dej. Cat. p.* 14.

Var. *f*, supra niger, pedibus aut rubris aut piceis.

Habitat cum prioribus passim, praesertim in fossis, sub terra.

Obs. Species colore valde varians, facile tamen dignoscitur elytris ante apicem angulatim excisis, et in-

interstitiis exterioribus subtiliter punctatis. Striae elytrorum, oblique inspectae, obsolete punctatae apparent.

52. H. rubripes p. 118.

Obs. Sub hac denominatione species plures commixtae, quae ideo distinguendae:

H. azurescens: brevior niger vel nigro-coerulescens, antennis, palpis pedibusque rubro-testaceis, thorace brevi, angulis posticis sub-rectis, elytrorum striis laevibus, interstitio septimo a sutura apice punctis majusculis impresso.

Mas: elytris nitidis. Femina: elytris opacis, nigris.

Harpalus azureus, *Sturm. Fn.* 4. 42. 22. *Tab.* 83. *f. c. C.*

Harpalus marginellus, *Dej. Cat. p.* 14.?

——— *rubripes*, *Ins. Sv.* 2. 118. 52. *a.*

Var. *b*, femoribus nigro-piceis.

Habitat sub lapidibus, locis aridis, minus frequens; in Kinnakulle Vestrogothiae tamen copiosius lectus; var. *b.* rarius occurrit.

Descriptio l. c. data, huic omnimode competit, cui addendum: Thorax brevis, angulis posticis rectis, non vero prominulis. In elytrorum interstitio septimo a sutura (tertio a margine) versus apicem, foveolae 3, 4, rarius 5, et in quinto plerumque unica, rarius duae ejusmodi, majusculae, impressae.

Var. b, differt tantum femoribus piceis.

Obs. Harpalus marginellus, Dej. Cat. p. 14. ab ipso benevole communicatus, omni puncto simillimus, modo stria elytrorum suturae proxima versus basin elytrorum extrorsum flexa, et striola abbreviata interne juxta scutellum adjecta, quod in hac serie

rie insolitum, nam in omnibus nostris e contra. Harpalus rubripes, Dej. Cat. p. 14., etiam ab ipso benevole missus, nostro jam descripto quoque simillimus; foveolae versus apicem elytrorum et situs striolae abbreviatae baseos etiam conveniunt, sed color viridi-coerulescens, magis nitidus, quales apud nos non vidi.

32–33. H. limbatus: brevior niger, parum coerulescenti-micans, antennis, palpis, thoracis margine pedibusque rufo-testaceis, thorace brevi, angulis posticis rectis, elytrorum interstitiis apice impunctatis.

Sturm. Fn. 4. 50. 27. *Tab.* 85. *f. a. A.*
Harpalus nitidus, *Dej. Cat. p.* 14.
Harpalus rubripes, *Ins. Sv.* 2. 118. 32. *var. b, mas; var. f. femina.*

Var. *b*, subtus pallide testaceus. *Ins. Sv. l. c. var. c.*

Var. *c*, rufo-testaceus, thorace elytrisque nigris. *Ins. Sv. l. c. var. d.*

Var. *d*, supra ferrugineus, subtus cum pedibus pallidus. *Ins. Sv. l. c. var. e.*

Harpalus flaviventris Sturm. Fn. 4. 47. 25. Tab. 84. f. b. B. secundum specimina ab ipso ad Dom. Schönherr missa.

Habitat sub lapidibus et in terra ubique vulgaris; var. *c*, *d*, vero rarius occurrunt.

Praecedenti valde affinis, semper vero minor, et magnitudine valde varians. Color plerumque niger, in vivis coerulescenti-micans in masculis; feminae elytra semper nigra, opaca. Caput, os, antennae ut in priori. Thorax similiter constructus, nempe brevis, transversus, lateribus antice tantum perparum rotundatis, posterius rectis, unde etiam anguli baseos revera recti, non prominuli vel acuti. Elytrorum for-

ma et striae ut in priori, sed foveolae nullae in interstitiis versus apicem. Corpus subtus nigrum, ano plerumque testaceo.

Varietates colore tantum differunt, secundum diagnosin.

32–33. H. serie-punctatus: brevior niger, antennis, palpis pedibusque rufo-testaceis, thorace brevi, angulis posticis subobtusis, elytrorum interstitio tertio interno serie foveolarum impresso, apicalibus nullis.

Sturm. Fn. 4. 63. 33. *Tab.* 87. *f. c. C.*

Habitat cum prioribus passim.

H. limbato simillimus et nimis affinis; magnitudo, statura, color, omnino ut in illo; distingui tamen posset, structura thoracis nonnihil diversa, et foveolis elytrorum. Caput, os et antennae omnino ut in H. limbato. Thorax brevis, lateribus ante medium paulo magis rotundatis, dein nonnihil obliquis, unde anguli postici non exacte recti, sed sub-obtusi. Elytrorum forma et striae ut in priori, maris nitida, feminae opaca; foveolae nullae in interstitiis exterioribus versus apicem, sed ad latus externum striae secundae a sutura foveolae nonnullae majores, numero et situ variantes, 3, 4 aut 5, in femina evidentiores quam in mare. Cetera ut in priore.

32–33. H. perplexus: nigro-piceus nitidus, antennis, palpis, thoracis marginibus pedibusque rufo-testaceis, thorace brevi, angulis posticis sub-acuminatis, elytrorum interstitiis apice impunctatis.

Dej. Cat. p. 14.

Var. *b*, subtus rufo-piceus vel ferrugineus.

Harpalus inunctus, *Sturm. Fn.* 4. 48. 26. *Tab.* 84. *f. c. C.*

Var. c,

Var. *c*, supra ferrugineus, subtus pallide testaceus.

Habitat sub lapidibus, locis aridis, rarius.

Praecedentibus iterum simillimus et valde affinis, H. limbato plerumque paulo major, longior, thoracis angulis posticis magis acuminatis praecipue distinctus. Caput et antennae ut in H. limbato omnino. Thorax brevis, lateribus ante medium rotundatus, angulis posticis nonnihil prominulis, acutis, niger, nitidus, marginibus, posterius latius, ferrugineis. Elytrorum forma et striae ut in prioribus, nigro-picea, nitida, margine suturali et apicis plerumque anguste ferrugineis. Corpus subtus in a, nigrum, ventre, praesertim postice rufo-piceo; in var. b, subtus rufo-piceum, posterius dilutius; var. c, supra ferruginea, subtus pallida, forte immatura.

52-53. H. luteicornis: brevior, niger, nitidus, antennis, palpis, pedibus, thoracis elytrorumque marginibus posterius rufo-testaceis, thorace sub-quadrato, postice punctulato, foveolaque utrinque impresso.

Sturm. Fn. 4. 60. 53. *Tab.* 87. *f. a. A.*

Carabus luteicornis, *Dufts. Fn.* 2. 86. 95.

Harpalus limbatus, *Dej. Cat. p.* 15.

Habitat sub lapidibus, locis aridis, minus frequens.

Statura et similitudo H. limbati, sed triplo minor. Caput majusculum, rotundatum, nigrum, nitidum, labro et ore piceis. Palpi et antennae totae pallide rufo-testaceae. Thorax sub-quadratus, longitudine tamen paulo latior, lateribus ante medium nonnihil rotundatus, basi truncatus, angulis fere rectis; supra parum convexus, niger, nitidus, margine laterali, praesertim posterius, saepe etiam margine baseos, ferrugineis; anterius laevis, sed ante basin

 trans-

transversim subtiliter punctatus, foveolaque oblonga crebrius punctata utrinque impressus. Scutellum parvum, breviter triangulare, nigrum. Elytra antice latitudine baseos thoracis et illo triplo longiora, lateribus ampliata, apice obtusa, supra parum convexa, nigra, maris nitida, feminae sub-opaca, margine summo laterali et apicis ferrugineis; regulariter et concinne striata, striis impunctatis. Corpus subtus nigrum, nitidum, impunctatum. Pedes validi, toti pallide rufo-testacei.

33. H. tardus p. 120. *Sturm. Fn.* 4. 34. 18. *Dufts. Fn.* 2. 99. 114.

Obs. Elytra feminae ut in plerisque affinibus, non nitida, sed opaca, subtilissime coriacea; huc certe pertinet:

Harpalus Caffer, Sturm. Fn. 4. 28. 17. Tab. 82. f. d. D. Dufts. Fn. 2. 99. 113.

Harpalus lentus, Sturm. Fn. 4. 28. 14. Tab. 82. f. a. A. ad nostram var. b, pertinere videtur.

Obs. Variat pedibus nigris, genubus tantum anguste, tarsisque testaceis.

33-34. H. serripes: oblongo-ovatus niger, palpis antennisque rufo testaceis nigromaculatis, thorace quadrangulo, postice impunctato, fovea unica utrinque impresso, tarsis piceis.

Sturm. Fn. 4. 26. 13. *Tab.* 81. *f. b. B. Dufts. Fn.* 2. 98. 112. *Schönh. Syn.* 1. 199. 184. *Tab.* 3. *f.* 4. *b. Zetterst. Act. Holm.* 1818. *p.* 254. 5.

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Statura brevior, lata, H. tardi, plerumque paulo major, colore palporum, antennarum et pedum praecipue distinctus. Caput magnum, rotundatum, nigrum, nitidum, ore piceo. Palpi rufo-testacei, articulis

culis basi nigris. Antennae rufo-testaceae, articulo primo immaculato; 2, 3, 4, basi nigris, reliquis subtus linea nigra notatis. Thorax transversim quadrangulus, antice paulo angustior, lateribus ante medium perparum rotundatus, angulis posticis rectis; supra minus convexus, niger, nitidus, impunctatus, postice utrinque foveola oblonga, obliqua, sub-punctata, impressus. Elytrorum forma, striae et color ut in H. tardo, maris nitida, feminae opaca. Corpus subtus nigrum, nitidum. Pedes nigro-picei, tibiis ciliato-spinosis, tarsis dilutius rufo-piceis.

33-34. H. servus: brevior, sub-ovatus, nigro-piceus, palpis, antennis tarsisque ferrugineis, thorace antice angustiore, angulis posticis acuminatis, supra impunctato, striola baseos utrinque impresso.

Sturm. Fn. 4. 73. 42. *Tab.* 89. *f. c. C. Dej. Cat. p.* 15. *Zetterst. Act. Holm.* 1824. 157. 52.

Carabus servus, *Dufts. Fn.* 2. 101. 117.

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Sahlberg* et *Com. Mannerheim.*

H. tardo fere dimidio minor, structura thoracis abunde distinctus. Caput rotundatum, nigrum, nitidum, laeve, ore piceo. Palpi et antennae ferrugineae. Thorax latitudine apicis paulo brevior, antice angustior, emarginatus, angulis compressis; lateribus vix rotundatus, basi arcuatim emarginatus, angulis retrorsum prominulis, acuminatis, humeros elytrorum amplectentibus; supra parum convexus, niger, laevis, margine laterali anguste, angulis posticis plerumque latius ferrugineis; intra basin utrinque foveola vel stria angusta, sub-punctata, rectangulariter, nec oblique impressa. Scutellum breve, latum, obtuse triangulare, nigrum. Elytra thorace vix triplo longiora, lateribus nonnihil ampliata, apice rotundata, supra modice convexa, regulariter striata, striis impunctatis, ple-

plerumque rufo-picea, rarius nigro-picea; in stria secunda a sutura, paulo ante apicem, punctum impressum ut in plerisque. Corpus subtus nigro-piceum, lateribus subtilissime punctulatum, medio laeve, nitidum. Pedes validi, plerumque rufo-picei, interdum magis nigri, tarsis semper dilutioribus.

33-34. H. piger: niger, nitidus, antennis rufo-ferrugineis, inferne nigro-maculatis, thorace brevi, foveola simplici utrinque, tibiis spinulosis tarsisque piceis.

Sturm. Fn. 4. 31. 16. *Tab.* 82. *f. c. C.*
Carabus piger, *Dufts. Fn.* 2. 104. 122.
Habitat in Scania ad Esperöd. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Statura et summa affinitas H. tardi, sed fere duplo minor, thorax brevior, posterius angustior; tarsi picei, non rufi. Caput rotundatum, nigrum, nitidum, laeve, ore rufo-piceo; oculi brunnei. Antennae rufo-ferrugineae, articulo primo magno, cylindrico, immaculato; 2—6, ob-conicis, basi nigro-piceis; reliquis iterum immaculatis. Thorax brevis, longitudine fere duplo latior, antice parum emarginatus, lateribus rotundatus, posterius angustior, basi sub-truncatus, angulis obtusis; supra parum convexus, niger, nitidus, laevis, canalicula dorsali obsoletissima; juxta basin utrinque lineola obliqua impressa, sub-punctata. Scutellum triangulare, nigrum, laeve. Elytra thoracis basi parum latiora, sed plus triplo longiora, ovata, apice oblique obtusa, supra modice convexa, nigra, nitida, regulariter et sat profunde striata, striis impunctatis; juxta striam secundam a sutura posterius punctum unum aut duo, parva, impressa. Corpus subtus nigrum, nitidum, laeve. Pedes breviusculi, validi, femoribus sub-clavatis nigris, glabris, tibiis striatis piceis, spinulis crebris pallidis ciliatis, tarsis supra piceis, subtus pallidioribus.

33-34. H. anxius: brevior, sub-ovatus, niger, palpis antennisque ferrugineis, fusco-annulatis, pedibus rufo-piceis, thorace striola baseos utrinque impresso, angulis posticis sub-acuminatis.

Sturm. Fn. 4. 72. 41. *Tab.* 89. *f. b. B.*
Carabus anxius, *Dufts. Fn.* 2. 101. 116.

Habitat sub lapidibus, locis aridis, rarius; in Scania, *Dom. Prof. Zetterstedt*; in Vestrogothia *Ipse*.

Statura H. servi, sed dimidio fere minor. Caput rotundatum, nigrum, nitidum, ore piceo; palpi testacei, articulis apice fuscis; oculi majusculi, pallide glaucescentes. Antennae ferrugineae, articulo primo, saepe etiam secundo et tertio immaculatis, reliquis basi plus minusve infuscatis. Thorax transversus, antice compressus; unde ibi angustior apparet, lateribus vix rotundatus, basi late emarginatus, angulis retrorsum sub-acuminatis; supra in disco anteriore convexus, niger, nitidus, laevis, margine laterali angulisque posticis plerumque ferrugineis; intra basin utrinque foveola oblonga, sub-punctata obsoleta. Scutellum parvum, breviter triangulare, nigrum. Elytra antice latitudine baseos thoracis, et illo vix triplo longiora, pone basin et ultra medium ampliata, apice oblique sub-truncata, supra modice convexa, regulariter striata, striis angustis, parum profundis, impunctatis. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, vix punctulatum. Pedes validi, femoribus tibiisque jam nigris, jam piceis, tarsis plerumque dilutioribus.

33-34. H. picipennis: brevis nigro-piceus, parum nitidus, antennis palpisque pallidis, pedibus fusco-ferrugineis, thorace transverso utrinque uni-foveolato, angulis rotundatis. *Sturm.*

Sturm. Fn. 4. 74. 45. *Tab.* 90. *f. a. A. Zetterst. Act. Holm.* 1824. 159. 53.
Carabus picipennis, Dufts. Fn. 2. 102. 118.
Harpalus vernalis, Dej. Cat. p. 15.
Harpalus stagnalis, Megerl. in litt.

Var. *b*, supra piceo-ferrugineus, subtus cum pedibus pallide testaceus.

Habitat in Scania ad Esperöd sub lapidibus, locis aridis. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Statura brevis, tota H. tibialis, et illo vix major, thoracis angulis omnibus rotundatis praecipue distinctus. Caput nigrum, nitidum, laeve, ore piceo; palpi pallide testacei. Antennae vix thorace longiores, tenues, extrorsum sub-moniliformes, articulis ovatis, totae pallide testaceae, sub-pubescentes. Thorax brevissimus, longitudine fere duplo latior, basi apiceque leviter emarginatus, lateribus et angulis omnibus rotundatus, undique anguste marginatus, supra parum convexus, canalicula dorsali obsoletiore et intra basin utrinque foveola unica parva, simplici, subpunctata, impressus; niger, sub-nitidus, laevis, versus margines saepe piceo-ferrugineus. Scutellum breve, latum, triangulare, nigrum. Elytra latitudine thoracis, et illo fere triplo longiora, lateribus nonnihil ampliata, apice oblique sub-sinuata, supra parum convexa, aut nigra, aut dilutius picea, striis tenuibus impunctatis regulariter striata, lateribus ferrugineo-marginata. Corpus subtus piceum, magis nitidum laeve. Pedes validi, femoribus plerumque nigro-piceis, tibiis tarsisque dilutius ferrugineis.

Var. b, colore dilutiore tantum differt, ut in diagnosi dictum, forte immatura.

34. H. binotatus p. 122. *Sturm. Fn.* 4. 92. 53.
Carabus binotatus, Dufts. Fn. 2. 78. 8.

Obs. Var. b, variat corpore subtus aut nigro- aut rufo-testaceo, et pedibus aut rufo-piceis aut dilutius

tius rufo-testaceis; Harpalus spurcaticornis, Dej. Cat. p. 15, ab ipso Comite benevole communicatus, huc pertinet, nec, me judice, specie distingui posset. Harpalus nemorivagus, Sturm. Fn. 4. 94. 54. Tab. 93. f. a. A, Carabus id. Dufts. Fn. 2. 79. 54. modo varietas feminae, paulo minor.

34-35. H. azureus Pars 3. add. p. 694.
Ophonus chlorophanus, Dej. Cat. p. 13.
Obs. Synonyma Illigeri et Panzeri indubia, Fabricii vero minus certum, monente Dom. Com. Dejean.

34-35. H. punctulatus Pars 3. add. p. 695.
Sturm. Fn. 4. 83. 48.
Poecilus punctulatus, Dej. Cat. p. 11.
Habitat etiam in Scania. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

35. H. hirtipes p. 123. *Sturm. Fn.* 4. 20. 9. *Dej. Cat. p.* 15.

36. H. striola p. 124.
Abax striola, Sturm. Fn. 4. 147. 1. *Tab.* 100. *Dej. Cat. p.* 12.

37. H. cisteloides p. 125.
Calathus cisteloides, Dej. Cat. p. 11.
Calathus frigidus, Sturm. Fn. 5. 147. 1. *Tab.* 121.
Obs. Calathus frigidus, Dej. Cat. p. 11. ab ipso benevole communicatus, huic quidem simillimus et valde affinis, differre tamen videtur: plerumque paulo minor, magis convexus, elytra paulo breviora etc., sed tales apud nos non vidi.

38. H. fuscus p. 126.
Calathus fuscus, Sturm. Fn. 5. 109. 2.
——— *ambiguus, Dej. Cat. p.* 11.

39. H. fulvipes p. 128.
Calathus fulvipes, Dej. Cat. p. 11.

Cala-

Calathus flavipes, *Sturm. Fn.* 5. 112. 3. *Tab.* 122. *f. a. A.*

39-40. H. micropterus: niger, nitidus, antennis, palpis, pedibus thoracisque limbo pallide testaceis, thorace longiore, angulis posticis obtusis, elytris leviter striatis.

Calathus micropterus, *Sturm. Fn.* 5. 113. 4. *Tab.* 122. *f. b. B.*

Carabus micropterus, *Dufts. Fn.* 2. 123. 155.

Harpalus melanocephalus, *Ins Sv.* 2. 129. 40. *var. b.*

Habitat sub lapidibus, muscis, cortice arborum, frequens.

H. melanocephalo, cujus varietatem olim credidi, simillimus; differre tamen videtur, thorace maxima parte nigro, paulo longiore, angulis posticis magis obtusis. Individuis parvis H. fulvipedis etiam similis, sed statura ejus longior, et anguli postici thoracis prominuli. Caput, antennae, os, ut in H. melanocephalo omnino. Thorax longitudine parum latior, lateribus anterius rotundatus, postice angustior, angulis obtusis, minime prominulis; supra parum convexus, niger, nitidus, marginibus lateralibus et postico anguste ferrugineis. Scutellum breve, triangulare piceum. Elytra minus elongata quam in H. fulvipede, thorace triplo longiora, supra parum convexa, nigra, striis tenuibus impunctatis; in stria secunda et tertia a sutura puncta solita 2, interdum 3 vel 4, impressa. Corpus subtus nigrum vel nigropiceum, nitidum. Pedes validi, pallide testacei.

40. H. melanocephalus p. 129. *Sturm. Fn.* 5. 116. 6. *Dej. Cat. p.* 11.

Variat rarius antennarum articulis inferioribus basi infuscatis.

41. H.

41. H. sulcicollis p. 130.
Chlaenius sulcicollis, *Sturm. Fn.* 5. 144. 12. *Tab.* 125. *f. b. B. Dej. Cat. p.* 8.

42. H. gibbus p. 132.
Zabrus gibbus, *Sturm. Fn.* 4. 128. 1. *Tab.* 98. *Dej. Cat. p.* 13.

43. H. latus p. 133.
Carabus consularis, *Dufts. Fn.* 2. 112. 136.
Amara consularis, *Dej. Cat. p.* 9.
Var. *c*, species distincta, nempe:

43-44. H. ingenuus: ovalis, latus, supra nigro-aeneus, antennis pedibusque rufo-piceis, thorace postice utrinque foveolis duabus punctatis, elytris tenue punctato-striatis.
Carabus ingenuus, *Dufts. Fn.* 2. 110. 133.
Amara ingenua, *Dej. Cat. p.* 9.
Harpalus latus, *Ins. Sv.* 2. 133. 43. *var. c.*
Var. *b*, antennis, pedibus corporeque subtus aut ferrugineis, aut dilutius flavo-testaceis.
Habitat praesertim in terra culta, passim.

Praecedenti dimidio major et ultra; foveolae in angulis posticis thoracis minores; striae elytrorum subtiliores etc. Caput ut in illo; antennae basi ferrugineae vel testaceae, extrorsum plerumque magis infuscatae. Thoracis structura eadem, sed foveolae impressae baseos minores, praesertim exterior, unde plica elevata anguli obsoleta, vix observanda. Elytrorum forma eadem, sed striae multo tenuiores, subtilius punctatae. Color paginae superioris nigro-aeneus, in mare nitidus, in femina obscurior, praesertim in elytris. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, vix punctulatum. Femora nigro-picea, tibiis tarsisque ferrugineis.

Var. b,

Var. b, colore dilutiore tantum differt, forte immatura. Nuper exclusus etiam supra fusco-testaceus, et tunc supina pars cum pedibus flavo-testacea.

44. H. Quenselii p. 134. Ad Genus Amarae pertinet.

Obs. Descriptiones, tam in Synonymia Insectorum, quam in Ins. Sv. datae, ex individuis immaturis desumtae; in Musaeo Dom. Schönherr jam exstant specimina plura maturata, quae nuper in Lapponia collegit Dom. Praepos. Zach. Grape; in his color paginae superioris virescenti-aeneus, nitidus; antennae extrorsum fusco-annulatae; corpus subtus et interdum femora nigro-picea; cetera exacte conveniunt.

45. H. Helopioides p. 135.

Oodes Helopioides, Dej. Cat. p. 9.

46. H. acuminatus p. 136.

Amara Eurinota, Dej. Cat. p. 9.

Carabus vulgaris, Dufts. Fn. 2. 117. 146.

Obs. Synonymia hujus et sequentium, valde affinium specierum, confusa, vix extricanda, nam descriptiones auctorum perbreves, insufficientes. Quod Carabus Eurinotus Panzeri et Illigeri non cum H. acuminato conjungi possit, loc. cit. adhibui, nam in nostro pedes semper toti nigri, etsi tibiae et tarsi spinulis rufescentibus ciliati.

47. H. similatus p. 138.

Amara similata, Dej. Cat. p. 9.

48. H. vulgaris p. 138.

Var. *d*, supra niger vel nigro-coerulescens.

Habitat cum prioribus.

Obs. Articulus antennarum primus interdum totus ferrugineus, rarius etiam apex secundi. Pedes toti in omni varietate nigri, ciliis tibiarum et tarsuum solis rufis.

49. H. trivialis p. 140.

50. H. plebejus p. 141.

Var. *c*, supra nigro-coerulescens vel violaceus.

Habitat cum prioribus passim.

Obs. Varietas haec, simillima var. b, sequentis, aeque distinguenda; differt unice thorace anterius magis convexo, versus basin vero magis depresso, foveis profundioribus.

51. H. communis p. 141. et var. *b*, *d*, *e*.

Hujus var. c, a recentioribus ut species propria consideratur, sub nomine:

51-52. H. familiaris: brevis, ovalis, niger, supra nigro-coerulescens, antennarum basi pedibusque totis rufo-ferrugineis, thorace aequali, postice obsolete foveolato.

Carabus familiaris, *Dufts. Fn.* 2. 119. 148.

Amara communis, *Dej. Cat. p.* 9.

Var. *b*, duplo minor et ultra, thoracis margine laterali obscure ferrugineo.

Carabus lucidus, *Dufts. Fn.* 2. 121. 151.

Habitat sub lapidibus, muscis, non infrequens; var. *b*, tamen rarius occurrit.

Praecedenti nimis affinis, differre tamen videtur: pedibus totis ferrugineis; ceterum omnia ut in H. communi. Antennae in utroque minus crassae quam in H. triviali et plebejo, articulis tribus primis pallide testaceis, reliquis fusco-ferrugineis. Thorax aequalis, foveolis baseos valde obsoletis, sub-punctatis.

Obs. H. plebejus, communis et familiaris, inter se valde affines, magnitudine et colore nimis variant. — In omnibus stria obliqua abbreviata baseos elytrorum, juxta striam suturalem adest, interdum tamen in individuis minoribus obsoletior, punctis

ctis discretis indicata; hi facile cum H. tibiali confundi possunt, sed in illo stria ista plerumque omnino deest, vel puncto uno alteriove minuto indicata, et foveolae baseos thoracis profunde impressae, impunctatae.

52. H. brunneus p. 143.

Amara brunnea, *Dej. Cat. p.* 9.

53. H. bifrons p. 144.

Amara bifrons, *Dej. Cat. p.* 9.

54. H. tibialis p. 145.

Amara tibialis, *Dej. Cat. p.* 9.

Var. b, supra virescenti-aeneus.

Carabus viridis, *Dufts. Fn.* 2. 120. 150.

Obs. Species haec, quae sat frequenter occurrit, ab affinibus optime dignoscitur: foveolis baseos thoracis profundis, impunctatis, et defectu striolae abbreviatae ad basin interiorem elytrorum, ut antea dictum, perraro tamen striolae istae rudimenta obsoleta conspiciuntur.

54-55. H. infimus: oblongo-ovatus, niger, nitidus, antennis pedibusque rufescentibus, thorace breviore lateribus rotundato, foveolis baseos punctatis.

Carabus infimus, *Dufts. Fn.* 2. 114. 139.

Amara infima, *Dej. Cat. p.* 9.

Var. *b*, supra ferrugineus, subtus cum pedibus pallide testaceus.

Habitat sub lapidibus, apud nos rarius; *Dom. Prof. Dalman* et ipse; var. *b*, in Scania ad Esperöd. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Magnitudo statura et affinitas H. tibialis, cum quo etiam convenit defectu striolae abbreviatae baseos elytrorum, sed abunde differt structura et punctura thora-

thoracis. Caput rotundatum, nigrum, nitidum, laeve, foveola brevi, sub-punctata juxta singulum oculum impressum; os piceum, palpis testaceis, externe infuscatis; oculi majusculi brunnei. Antennae vix thorace longiores, obscure ferrugineae, pilosae, articulis tribus primis dilutius testaceis. Thorax latitudine multo brevior, antice emarginatus, angulis obtusis, lateribus aequaliter rotundatus, marginatus, basi subtruncatus, angulis fere rectis, non prominulis; supra in disco transversim convexus, niger, nitidus, laevis, intra basin utrinque foveis duabus punctatis impressus, interiore oblonga, profundiore, exteriore parum profunda, lata, punctata; margo lateralis, interdum etiam posticus, ferrugineo-translucent. Scutellum breve, sub-triangulare, piceum. Elytra nigra, nitida, quoad formam, strias subtiliter punctatas, absentiam striolae abbreviatae baseos, omnino ut ad H. tibialem descripta. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore parce punctulato, ventre laevi. Pedes validi rufo-ferruginei, femoribus interdum infuscatis.

Var. b, colore dilutiore tantum differt; immatura forte.

55. H. cephalotes p. 147.

Proscus cephalotes, *Sturm. Fn.* 4. 141. 1. *Tab.* 99.
Cephalotes vulgaris, *Dej. Cat. p.* 5.

56. H. flavicornis p. 148.

Dolichus flavicornis, *Sturm. Fn.* 5. 158. 1. *Tab.* 129. *f. a—n.* *Dej. Cat. p.* 10.

57. H. livens p. 149.

Agonum bi-punctatum, *Sturm. Fn.* 5. 184. 2. *Tab.* 133. *f. b*, *B.*

Var. c, dimidio major, totus niger, antennis extrorsum, tibiis tarsisque ferrugineis.

Habitat cum priore, semel captus.

Magnitudine et colore exceptis, praecedenti simillimus.

57–58. H. Bogemanni Pars 3. add. p. 697.

Etiam in Vestrogothia jam pluries lectus, locis humentibus, sub lapidibus. Ad Agoni Genus pertinet.

58. H. pelidnus p. 150.

Obs. Thorace oblongo, anguste marginato, postice angustato, foveisque vix ullis versus basin impresso, ab affinibus distinguitur; Agonum pelidnum, Sturm. Fn. 5. 194. 9, huc non pertinet.

58–59. H. fuliginosus: nigro-piceus; antennarum basi pedibusque piceo-ferrugineis, thorace oblongo, postice angustiore, anguste marginato, utrinque foveolato, elytris brevioribus castaneis striatis.

Agonum fuliginosum, *Sturm. Fn.* 5. 192. 8. *Dej. Cat. p.* 10.

Habitat sub lapidibus, foliis deciduis, locis umbrosis, rarius.

Magnitudo, statura et summa affinitas H. pelidni, thorace postice utrinque foveola manifesta impresso, distinctus. Caput et antennae ut in praecedenti omnino. Thoracis forma et color etiam ut in illo, sed intra angulum posticum utrinque fovea arcuata, sat profunda, impressus. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, thorace vix triplo longiora, ultra medium ampliata, apice sub-sinuata, obtusa, supra modice convexa, rufo-castanea, nitida, regulariter striata, striis impunctatis, punctisque disci impressis ut in priori. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, sub-laeve. Pedes elongati, rufo-picei.

59. H. picipes p. 151.

Agonum picipes, *Sturm. Fn.* 5. 196. 10.
——— *brunnipes*, *Dej. Cat. p.* 10.

Var. *b*, ut species distincta considerari posset.

59–60.

59-60. H. gracilis: oblongus, niger, nitidus, thorace breviore postice parum angustato, utrinque fovea brevi impresso, elytris leviter striatis.

Agonum gracile, *Sturm. Fn.* 5. 197. 11. *Tab.* 136. *a. A.*

Var. *b*, tibiis tarsisque ferrugineis, femoribus piceis.

Harpalus picipes, *Ins. Sv.* 2. 151. 59. *var. b.*

Habitat cum priore, non infrequens.

Magnitudo, statura et nimia affinitas praecedentis, sed color alius. Corpus aut totum, cum artubus, nigrum, nitidum, aut tibiae et tarsi obscure ferruginei. Thorax quoad formam nonnihil diversus videtur, paulo brevior, lateribus magis rotundatus, posterius minus angustatus, intra angulos posticos fovea breviore impressus. Puncta discoidalia elytrorum in stria secunda et tertia a sutura, numero variant, 3, 4, aut 5. Cetera ut in H. picipede omnia.

Obs. Agonum pelidnum Sturm ab ipso missum, ut et Agonum fuscipenne, Nicol. Col. Halens. 1. 20. 8. et Agonum laevi-striatum, a Dom. Eschscholtz benevole communicata, tam inter se, quam jam descriptis simillima, aegre distinguenda; hae vero apud nos adhuc non detecta.

60. H. aterrimus p. 153.

Pterostichus aterrimus, *Sturm. Fn.* 5. 29. 14. *Tab.* 108. *f. b. B.*

Omaseus aterrimus, *Dej. Cat. p.* 12.

61. H. viduus p. 153.

Agonum viduum, *Sturm. Fn.* 5. 185. 3. *Tab.* 132. *f. B—N. Dej. Cat. p.* 10.

Var. *b*, et plures simillimi, tamen secundum

sententiam recentiorum auctorum distingui possunt, ut:

61-62. H. moestus: brevior, ovatus, saturate niger vel nigro-coerulescens, thorace breviore, lato, lateribus rotundato, elytris latis, profundius striatis.

Agonum moestum, *Sturm. Fn.* 5. 187. 4. *Tab.* 134. *f. b. B.*

Carabus moestus, *Dufts. Fn.* 2. 138. 177.

Habitat sub lapidibus, locis humidis, passim, minus frequens.

Magnitudo H. vidui, sed paulo brevior et latior, totus supra et subtus saturate niger, interdum supra nigro-coerulescens, nitidus. Os piceum. Antennarum articulus primus basi piceus. Thorax latitudine multo brevior, lateribus aequaliter rotundatus, foveis baseos et canalicula dorsali ut in priori impressus. Elytra breviora et adhuc latiora quam in H. viduo, basi ut in plerisque affinibus, singulatim emarginato-retusa, pone humerum et longe ultra medium sensim ampliata, supra parum convexa, sat profunde striata, striis ut in reliquis sub-punctatis, in masculis evidentius. Corpus et pedes tota nigra, nitida.

61-62. H. emarginatus: brevior, ovatus, saturate niger, thorace brevi, lato, elytris antice simultaneae emarginatis, angulis humeralibus productis.

Var. *b*, pedibus rufo-piceis.

Habitat cum prioribus, minus frequens; var. *b*, in Gottlandia, *Mus. Dom. Schönherr.*

Praecedentibus valde similis et affinis, totus niger, nitidus. Caput, antennae, thorax ut in H. moesto. Elytra minus lata et minus profunde striata, quam in illo,

illo, basi simultaneae sat profunde emarginata et retusa, angulo humerali valde prominulo, sub-acuminato, quae nota praecipue speciem distinguit; nam in reliquis affinibus, mihi cognitis, elytron singulum per se basi emarginatum, angulo nempe scutellari etiam nonnihil adscendente. Corpus et pedes ut in prioribus.

Var. b, differt tantum colore pedum dilutiore.

61-62. H. laevis: angustior, niger, nitidus, thorace breviore, latitudine fere elytrorum, lateribus aequaliter rotundato, elytris minus dilatatis.

Agonum laeve, *Dej. Cat. p.* 10.

Habitat cum prioribus rarius.

H. moesto simillimus, sed elytra minus lata, unde statura angustior apparet. Thorax longitudine multo latior, lateribus aequaliter rotundatus, nec posterius angustior, foveis angulorum posticorum sat profundis, elongatis. Elytra basi singulatim emarginata, lateribus minus ampliata quam in prioribus, unde longiora et thorace vix latiora apparent; ceterum in striis subtiliter punctata ut in reliquis.

Obs. Agonum laeve Dejeanei, ab ipso benevole communicatum, quare denominatio indubia.

61-62. H. versutus: angustior, niger vel nigro-aeneus, nitidus, thorace orbiculato, convexo, elytris parum dilatatis, tenue striato-punctatis.

Var. *b*, antennarum articulo primo, tibiis tarsisque piceo-ferrugineis.

Agonum versutum, *Sturm. Fn.* 5. 191. 7. *Tab.* 152. *a. A.*

Var. *c*, thorace elytrisque aut nigro- aut virescenti-aeneis, pedibus livido-testaceis.

Agonum triste, *Dej. Cat. p.* 10.
Harpalus viduus, *Ins. Sv.* 2. 153. 61. *var. c.*

Habitat cum prioribus passim.

Praecedentibus paulo minor, angustior, thorace paulo longiore, fere orbiculato, distinctus videtur. Caput et antennae ut in prioribus. Thorax latitudine parum brevior, antice emarginatus, lateribus aequaliter rotundato-ampliatus, basi media truncatus, dein oblique adscendens ad rudimentum obsoletum anguli lateralis; supra in disco antico convexus, nitidissimus, politus, postice depressus, cum fovea magna sub-punctata utrinque. Elytra basi singulatim emarginata, lateribus minus quam in reliquis ampliata, supra parum convexa, regulariter tenue striata, striis subtilissime punctulatis, aut nigra, aut aeneo-micantia, nitida. Pedes in a nigri.

In var. b, antennarum primus articulus ut et tibiae et tarsi dilutiores, aut picei aut ferruginei.

In var. c, thorax et elytra aut nigro-aenea aut lucidius virescenti-aenea, et pedes jam dilutius jam obscurius livido-testacei.

62. H. marginatus p. 154.

Agonum marginatum, *Dej. Cat. p.* 10. *Sturm. Fn.* 5. 200. 13.

63. H. 6-punctatus p. 156. dito var. Pars 3. add. p. 698.

Agonum sex-punctatum, *Sturm. Fn.* 5. 202. 14. *Dej. Cat. p.* 10.

Var. *d*, etiam duplo minor, supra totus niger, subtus virescens.

Habitat cum prioribus raro; in Vermelandia. *Dom. Mellerborg. Mus. Dom. Schönherr*; in Vestrogothia *Ipse.*

Obs. Var. c, et d, Agono ericeti Sturm. et Panzer. proximae videntur. Variat etiam elytris viridibus,

bus, sutura striaque lata intra-marginali cupreis. Thorax interdum coeruleo-virescens juxta margines cupreo-irroratus.

64. H. parumpunctatus p. 157.

Agonum parumpunctatum, *Sturm. Fn.* 5. 210. 19. *Dej. Cat. p.* 10.

Var. *c*, supra totus niger.

Habitat cum prioribus rarius.

65. H. rotundatus p. 158.

Agonum rotundatum, *Sturm. Fn.* 5. 213. 21. *Dej. Cat. p.* 10.

66. H. 4-punctatus p. 159.

Agonum 4-punctatum, *Sturm. Fn.* 5. 217. 23. *Dej. Cat. p.* 10.

Obs. Agonum cupratum, Sturm. Fn. 5. 218. 24. vix specie distinctum.

67. H. consimilis p. 161.

Ad Agoni genus pertinet, H. 4-punctato affinis.

68. H. vaporariorum p. 161.

Stenolophus vaporariorum, *Dej. Cat. p.* 15.

68-69. H. Wetterhallii Pars 3. add. p. 698.

Ad Stenolophi genus pertinere videtur.

69. H. vespertinus p. 162.

Obs. Carabus vespertinus Illig. Panz. monente Dom. Com. Dejean, alius est et distinctus; quare nomen mutandum, et hic

H. placidus, dicendus

Stenolophus affinis, *Dej. Cat. p.* 16.

Descriptioni quoque addendum: Labrum piceum. Palpi maxillares fascia picea in basi articuli ultimi. Thoracis anguli postici valde obtusi; foveae baseos et illarum interstitium evidenter, sat profunde punctata.

69-70. H. Ephippiger: nigro-piceus, pedi-

pedibus pallidis, thorace testaceo medio nigro, postice angulato, foveis impunctatis, elytris testaceis, plaga lanceolata nigra.
Carabus Ephippiger, *Dufts. Fn.* 2. 150. 197.
Var. *b*, thorace rufo-testaceo immaculato, elytrorum plaga nigra parva angusta.
Carabus consputus, *Dufts. Fn Austr.* 2. 148. 194.
Habitat in Gottlandia. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Magnitudo, statura et summa affinitas praecedentis, diversus tamen videtur. Capitis forma eadem, sed labrum et palpi toti pallide testacei. Antennarum articuli 2 s. 3. baseos testacei, reliqui fuscescentes. Thorax antice multo latior, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, dein angustatus, angulis rectis vel fere sub-prominulis, supra parum convexus, rufo-testaceus, plaga disci majore vel minore nigro-picea, sub-quadrata; foveae baseos sat profundae, sed minus latae, vix punctatae. Elytrorum forma et striae ut in priori, pallide testacea, plaga in singuli disco interiore, lanceolata, nigra, majore vel minore. Corpus et pedes ut in priori.

Var. b, differt tantum thorace toto supra rufo-testaceo, absque macula picea; elytrorum plaga nigra minor. Pedes pallidi.

70. H. dorsalis p. 164.
Stenolophus dorsalis, *Dej. Cat. p.* 15.
Carabus sodalis, *Dufts. Fn.* 2. 152. 199.?
Var. *d*, thorace nigro, lateribus anguste pallidis; elytris nigris, regione humerali triangulariter pallido, sutura vix ferruginea.
Habitat cum prioribus passim.

Obs. Species ab affinibus dignoscitur praecipue thorace fere transversim quadrangulo, posterius vix vel per-

perparum angustiore, foveis baseos amplis et profundis, vix punctatis.

70-71. H. cognatus: niger, thorace posterius angustiore, rotundato, foveis baseos punctatis, elytris ferrugineis, plaga lanceolata nigro-coerulescente.

Habitat sub lapidibus, foliis deciduis, non infrequens.

Magnitudo H. dorsalis, cui similis, sed structura foveolisque thoracis punctatis distinctus; H. placito in multis propior, sed plus duplo minor. Caput majusculum, nigrum, nitidum, ore labroque piceis. Palpi picei, apice pallidi. Antennarum primus articulus tantum testaceus, reliqui fusco-picei. Thorax transversus, antice latior, truncatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, dein oblique angustatus, angulis posticis rotundatis; supra modice convexus, niger, nitidus, limbo posteriore obscure ferrugineo; foveolae baseos magnae, profunde punctatae. Elytrorum forma, striae et plaga dorsalis omnino ut in H. placito et dorsali, plerumque saturatius ferruginea. Corpus subtus nigrum, nitidum. Femora aut nigro- aut rufo-picea; tibiae et tarsi dilutius testacei.

71. H. meridianus p. 165.

Stenolophus meridianus, Dej. Cat. p. 15.

78. H. collaris p. 166.

Trechus collaris, Dej. Cat. p. 16.

Var. *b*, thorace etiam nigro-piceo.

Habitat in Smolandia. *Dom. Boheman.*

CLIVINA.

1. C. arctica p. 168.

Var. *b*, tota brunnea.

Habi-

Habitat in Lapponia. *Dom. Praepos. Grape. Mus. Dom. Schönherr.*

Simillima a, colore excepto, immatura forte.

2. C. fossor p. 169.

3. C. thoracica p. 170.

Var. *b*, obscurior, fere nigra, pedibus piceis.

Habitat cum a, cui, colore excepto, simillima.

3-4. C. obscura: brevior, nigra, antennis pedibusque rufo-piceis, thorace sub-globoso, elytrorum striis vix punctatis.

Var. *b*, supra nigro-virescens.

Habitat in arenosis Hallandiae. *Dom. Ferd. Sahlberg*; var. *b*, in Vestrogothia, *Ipse.*

Praecedenti simillima et valde affinis, sed dimidio minor, brevior, praesertim elytra; striis elytrorum impunctatis praecipue distincta. Sub lente quidem interdum punctula nonnulla in striis interioribus versus basin observantur, sed obsoletissima. Antennae et femora fusca, vel fusco-picea, tibiis tarsisque paulo dilutioribus. Descriptio ulterior superflua, quae tantum repetitio descriptionis praecedentis speciei foret.

Var. b, differt tantum colore paginae superioris nigro-virescente.

4. C. gibba p. 171.

Variat etiam corpore toto testaceo, immatura.

CYMINDIS (erroneae Cymidis).

1. C. humeralis p. 172.

Var. *b*, rufo-brunnea, vertice obscuriore, elytrorum macula humerali pedibusque pallidis.

Habitat in Scania, cum priori, cui, colore palli-

pallidiore excepto, simillima. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

1-2. C. macularis: nigra, sub-pubescens, antennis ferrugineis, pedibus, elytrorum margine, macula humerali punctoque postico pallidis; thorace profunde punctato, basi oblique angulato.

Mannerheim in Fisch. Entom. Ross. II. 25. 8. *(vol. III.) Tab.* 3. *f.* 4. *var. β.*

Var. *b*, puncto postico elytrorum deficiente. *Mannerh. l. c. a.*

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Sahlberg* et *Com. Mannerheim.*

Praecedenti similis, sed dimidio minor, sequentibus vero major. Caput magnum, porrectum, rotundatum, nigrum, crebre et profunde punctatum, labro oreque toto testaceis. Antennae dimidio corpore longiores, totae ferrugineae. Thorax transversus, antice duplo latior, sub-emarginatus, lateribus ante medium valde rotundato-ampliatus, dein abrupte coarctatus, basi media truncatus, sed versus angulos oblique antrorsum sectus, angulis minutis prominulis; supra in disco nonnihil convexus, limbo undique depresso; niger, crebre et profunde punctatus, margine laterali reflexo ferrugineo. Scutellum parvum, triangulare, piceum, laeve. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, thorace quintuplo longiora, apice oblique truncata, supra depressa, nigra, tenue pubescentia, obsoletius striata, striis confuse punctatis, interstitiis confertim evidentius punctatis; in ipso angulo humerali macula magna, oblonga, pallida, cum margine anguste pallido connexa, et versus apicem, prope suturam, macula parva ferruginea in singulo elytro. Corpus subtus nigro-piceum, magis nitidum, obso-

obsolete punctulatum, tenue pubescens. Pedes toti pallide testacei pubescentes.

Var. b, ut in diagnosi dictum.

2. C. angularis p. 173. *Dej. Cat. p.* 3.

Obs. Variat junior abdomine etiam pallido, et tunc plaga pallida humeralis elytrorum etiam major, longior.

3. C. basalis p. 174.

Cymindis punctata, *Dej. Cat. p.* 3.

BRACHINUS.

1. B. crepitans p. 176. *Dufts. Fn.* 2. 233. 2. *Dej. Cat. p.* 3.

ODACANTHA.

1. O. melanura p. 177. *Dufts. Fn.* 2. 230. 1. *Dej. Cat. p.* 2.

LEBIA.

1. L. cyanocephala p. 179. *Dufts. Fn.* 2. 243. 8. *Dej. Cat. p.* 3.

2. L. chlorocephala p. 180. *Dufts. Fn.* 2. 244. 9. *Dej. Cat. p.* 3.

3. L. crux minor p. 181. *Dufts. Fn.* 2. 242. 7. *Dej. Cat. p.* 3.

4. L. truncatella p. 182. *Dufts. Fn.* 2. 247. 14. *Dromius truncatellus*, *Dej. Cat. p.* 3.

5. L. foveolata p. 183.

Lebia punctatella, *Dufts. Fn.* 2. 248. 15.

Dromius punctatellus, *Dej. Cat. p.* 3.

6. L. agilis p. 184. *Dufts. Fn.* 2. 251. 20.

Dromius agilis, *Dej. Cat. p.* 3.

Var. c, d, Dromius marginellus, Dej. Cat. p. 3.

Var. e,

Var. e, Dromius fenestratus, Dej. Cat. p. 3.

Obs. Varietates istae colore tantum differunt, specie non distinguendae.

7. L. 4-maculata p. 186. *Dufts. Fn.* 2. 150. 19.
Dromius 4-maculatus, *Dej. Cat. p.* 3.
8. L. linearis p. 187. *Dej. Cat. p.* 2.
Lebia punctato-striata, *Dufts. Fn.* 2. 258. 27.
9. L. atricapilla p. 188. *Dufts. Fn.* 2. 256. 25.
Dromius atricapillus, *Dej. Cat. p.* 2.
Var. c, Dromius imperialis, Dej. Cat. p. 2.
10. L. fasciata p. 189.

Obs. Species hic descripta, erroneae pro L. fasciata assumta; deleatur itaque nomen et synonyma illuc spectantia; nomen mutandum in

L. 4-notata: cui diagnosis et descriptio competunt, et ulterius descriptioni addendum:

Thoracis discus plerumque fusco-piceus. Macula pallida apicis elytrorum saepe dilatata, cum opposita confluens, et apicem interiorem totum occupans.

Varietati b, addatur:
Dromius 4-notatus, *Dej. Cat. p.* 3.
Lebia 4-notata, *Dufts. Fn.* 2. 253. 23.

Obs. Thorax interdum niger, limbo anguste tantum ferrugineo; in his etiam femora obscuriora, piceo-rufa. Elytra saepe fere nigra, et macula anterior pallida minor, ovata.

11. L. fasciata: oblonga, sub-depressa, rufo-testacea, capite nigro, elytris pallidis, fascia postica inaequali, externe dilatata, nigro-fusca.
Dufts. Fn. 2. 255. 24.
Dromius fasciatus, *Dej. Cat. p.* 3.

Cara-

Carabus fasciatus, *Payk. Fabr. Schönh. Syn.* 1. 189. 112.

Habitat in Uplandia sub lapidibus et foliis deciduis, tempore vernali; *Dom. de Paykull*; in Finlandia *Dom. Prof. Sahlberg.*

Statura, magnitudo et summa affinitas praecedentis, sed color alius. Caput et antennae ut in praecedente omnino. Thoracis structura etiam ut in illa, sed totus supra et infra laete rufo-testaceus, nitidus. Scutellum minutum piceum. Elytrorum forma eadem ac in praecedenti; pallide testacea, nitida; sutura fere tota plerumque infuscata et mox pone medium fascia lata, inaequalis nigro-fusca, versus suturam angustior, externe dilatata, saepe ad apicem usque extensa. Corpus subtus rufo-testaceum, pectore ventrisque limbo saturatius brunneis. Pedes toti flavo-testacei.

Familia 16. *Staphylinii. Latreille. Microptera. Gravenhorst. Brachelytra. Dejean.*

ANTHOPHAGUS.

1. A. caraboides p. 192.

2. A. alpinus p. 194.

Lesteva alpina, *Latr. Gen. Ins.* 1. 297. 2.

Obs. Var. b, etiam major occurrit, A. caraboide a et b, fere aequalis, facile tamen distinguitur: thorace breviore, postice vix vel parum angustiore, obsolete tantum punctulato; abdomine toto nigro, etc.

2-3. A. mandibularis: nigro-piceus glaber, ore, antennarum basi, elytris pedibusque testaceis, capite thorace latiore, mandibulis magnis, validis.

Habitat in summis Lapponiae alpibus. *Dom. Prof.*

Prof. Prytz et *Dom. Praepos. Zach. Grape. Mus. Dom. Schönherr* et nostrum.

Magnitudo, statura et summa affinitas A. alpini, capitis et mandibularum structura fere unice distinctus. Caput magnum, thorace multo latius, transversim quadrangulum, depressum, nigrum vel nigro-piceum, opacum, punctulatum, fronte lineis duabus arcuatis impressa; oculi parvi, laterales, nigri, sub-globosi; os testaceum, mandibulis magnis, validis, arcuatis, acutis. Thorax parvus, basi apiceque truncatus, lateribus ante medium rotundato ampliatus, posterius paulo angustior, supra parum convexus, obsolete punctulatus, fusco-piceus, marginibus fusco-testaceis; in medio dorsi foveolae duae oblongae, valde obsoletae. Scutellum parvum triangulare fuscum. Elytra antice thoracis basi latiora, versus apicem sensim dilatata, thorace duplo longiora, apice truncata, angulo exteriore rotundato, suturali sub-recto; supra depressa, evidentius punctata, pallidius testacea. Abdomen pone elytra illorum fere longitudine, ovatum, planum, nigrum, subtilissime punctulatum, segmento anali parvo, acuminato. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, punctulatum. Pedes longiusculi, tenues, toti testacei.

3. A. plagiatus p. 195.

4. A. obscurus p. 196.

OMALIUM.

1. O. boreale p. 198.

Obs. Omalium quadrum Gravenh. Mon. 213. 18. huc non pertinet, quare synonymon delendum.

2. O. consimile p. 199.

3. O. piceum p. 200.

Obs. In glacie paludum sylvestrium, mense Martio, ante aliquot annos copiosius lectum.

3-4. O. quadrum: oblongum, glabrum, nigrum,

grum, antennarum basi pedibusque testaceis, thorace sub-quadrato piceo, limbo ferrugineo, elytris dimidiatis dorso nigris, lateribus apiceque testaceis.

Gravenh. Monogr. 213. 18.

Habitat in Scania, *Dom. Prof. Zetterstedt;* in Finlandia, *Dom. Prof. Sahlberg;* in Vermelandia, *Dom. Doct. Mellerborg. Mus. Dom. Schönherr* et nostrum.

Om. boreali quoad colores subsimile, sed vere distinctum, corpore longiore et paulo angustiore, thorace sub-quadrato etc. Caput thorace multo minus, rotundatum, nigrum, nitidum, parce punctulatum, valde inaequale, foveis nempe duabus supra os, duabus inter oculos et quinta obsoletiore in medio verticis impressum; oculi laterales nigri; os et palpi ferruginei. Antennae capite cum thorace longiores, filiformes, fusco-ferrugineae, articulo primo longiore dilutius testaceo, sequentibus sub ob-conicis, longitudine nonnihil decrescentibus, ultimo iterum longiore, acuminato. Thorax sub-quadratus, longitudine tamen paulo latior, angulis omnibus rotundatis, lateribus perparum rotundatis, late reflexo-marginatis; supra in disco modice convexus, nigro-piceus, nitidus, disperse punctatus, limbo omni plus minusve testaceo; foveolae quinque impressae, pari modo ac in O. boreali locatae inveniuntur, saepe tamen obsoletae, praesertim media baseos. Scutellum mediocre nigrum, sub-triangulare. Elytra antice latitudine thoracis, posterius nonnihil latiora, thorace vix duplo longiora, apice truncata, angulis exterioribus rotundatis; supra parum convexa, sat profunde et versus suturam sub-striatim punctata, dorso nigra vel brunnea, lateribus obscurius, apice dilutius testacea. Abdomen pone elytra illorum fere longitudine, latum, depressum, marginibus alte elevatis, apice acuminatum, totum

totum nigrum, sub-nitidum, vix punctulatum. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, tenue pubescens, pectore evidentius, ventre subtilissime punctulatis. Pedes longiusculi, pubescentes, ferruginei, femoribus interdum nonnihil infuscatis.

4. O. assimile p. 202.

4-5. O. atrocephalum: rufo-testaceum nitidum, profunde punctatum, capite nigro, thorace transverso, obsolete canaliculato foveolatoque, elytris amplis, abdomen fere tegentibus.

Habitat in pratis humidis passim; ad Sparrsätra Vestrogothiae, *Dom. Schönherr;* ad Höberg, auctor.

Praecedenti statura et punctura simile, sed differt thorace canaliculato, elytris multo longioribus et quod plus duplo minus. Caput thorace minus, angulatum, inaequale, nigrum, nitidum, confertim punctulatum, ore rufescente; oculi laterales prominuli nigri. Antennae capite cum thorace paulo longiores, extrorsum sensim crassiores, inferne rufescentes, apicem versus fuscae. Thorax brevis, transversus, antice leviter emarginatus, angulis et lateribus aequaliter rotundatus, basi truncatus, angulis sub-rectis; supra in disco convexus, lateribus explanato-marginatus, rufo-testaceus, confertim et sat profunde punctatus; in medio dorsi canalicula impressa, jam evidentior, jam magis obsoleta; ante scutellum foveola et in utroque margine duae, ut in O. boreali locatae. Scutellum majusculum, triangulare, concolor, punctatum. Elytra ampla, abdomen fere totum occultantia, antice latitudine thoracis, posterius latiora, lateribus reflexo-marginata, apice truncata, supra modice convexa, rufo-testacea, nitida, confertim et profunde punctata, punctis in disco interiore sub-seriatim digestis. Caput et thorax subtus testacea, pectus et venter plerumque obscu-

obscuriora, brunneo testacea, punctulata. Pedes longiusculi, toti testacei.

5. O. tectum p. 202.

6. O. Ranunculi p. 204.

7. O. ophthalmicum p. 205.

8. O. Sorbi p. 206.

9. O. brachypterum p. 207.

10. O. macropterum p. 209.

11. O. depressum p. 210.

Var. *b*, *c*, Pars 3. add. p. 699.

12. O. porcatum p. 211.

Obs. Cum sequente, summo jure proprii Generis, cui nomen Micropeplus: et caracteres proposuit Dom. Prof. Latreille, Gen. Ins. 4. add. p. 377.

Micropeplus sulcatus, *Dej. Cat. p.* 44.

Nitidula sulcata, *Herbst. Col.* 5. 247. 22. *Tab.* 54. *f.* 6. *f. F. Schönh. Syn.* 2. 148. 64.

13. O. Staphylinoides p. 213.

Obs. Cum praecedente ejusdem generis.

13-14. O. laeviusculum: depressum, nigrum, nitidum, antennarum basi, thoracis marginibus pedibusque testaceis, thorace transverso, foveolato, vix punctulato, elytris longioribus fuscis, subtiliter punctulatis.

Omalium laeve, *Grav. Monogr.* 211. 15.

Var. *b*, thorace toto rufescente, corpore subtus rufo-piceo.

Var. *c*, ut var. *b*, sed abdomen etiam supra rufo-testaceum.

Habitat a, in Finmarkia ad Nord-Cap, *Dom. Mar-*

Marklin, *Mus. Dom. Schönherr*; var. *b*, et *c*, in Kinnakulle Vestrogothiae; auctor.

O. rivulari simile et affine, sed paulo majus, latius; thorax vix et elytra subtilius punctulata etc. Caput majusculum, porrectum, sub-triangulare, depressum, nigrum, nitidum, obsolete punctulatum, foveis duabus verticis profundis, brevibus, aliisque duabus anterioribus oblongis impressum; os testaceum, palpis apice fuscis; oculi magni, laterales, globosi, nigri. Antennae capite cum thorace longiores, pubescentes et pilosae, articulo primo magno clavato testaceo; secundo breviore obconico, ejusdem coloris, tertio aeque longo, obconico, apice fusco, 4, 5, brevioribus, nodosis, 6—10, sensim multo majoribus, cyathiformibus nigris, ultimo adhuc majore, ovato, acuminato, concolore. Thorax transversus, basi apiceque truncatus, lateribus ante medium parum ampliatus, posterius nonnihil angustior, angulis rectis; supra parum convexus, inaequalis, foveis nempe duabus mediis oblongis, at obsoletis impressus, et intra margines, posterius latius, depressus, obsoletissime punctulatus, aut niger, nitidus, lateribus posterius testaceis, ut in a; aut totus rufo-testaceus ut in b, et c. Scutellum breve, triangulare, piceum, subtilissime punctulatum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris rotundatis, thorace duplo longiora, apice truncata, angulo exteriore rotundato; supra depressa, confertim subtiliter vage punctulata, aut saturatius picea, aut dilutius fusco-testacea, basi apiceque semper dilutiora. Abdomen pone elytra vix illorum longitudine, sub-depressum, laeve, nitidum, marginibus elevatis, apice rotundatum, in a, b, nigrum, in var. c, rufo-testaceum. Corpus subtus in a, et b, nigrum, nitidum laeve, in var. c, rufo-piceum. Pedes mediocres toti rufo-testacei.

14. O. rivulare p. 214.

Obs. Variat etiam thoracis limbo corporeque pallidioribus, immaturum forte.

15. O. caesum p. 215.
16. O. oxyacanthae p. 217.
17. O. exiguum p. 218.
18. O. monilicorne p. 219.
19. O. pusillum p. 220.
20. O. planum p. 221.
21. O. deplanatum p. 222.
22. O. pygmaeum p. 223.
22-23. O. luridum Pars 3. add. p. 700.
22-23. O. inflatum Pars 3. add. p. 700.
22-23. O. aeneum: breve, convexum, virescenti-aeneum, sub-pubescens, antennis extrorsum pedibusque rufescentibus, thorace profunde punctato, postice transversim impresso, margine serrulato, elytris punctato-rugosis.

Müller in Germ. Mag. IV. 216. 17.

Habitat in Smolandia rarissime. *Dom. Boheman.*

Facies et color ab hoc genere aliena, sed palpi et antennae conveniunt. Corpus parvum, breve, latum, ovatum, convexum, Om. brachyptero vix majus. Caput majusculum, deflexum, angulatum, crebre et profunde punctatum, supra os foveolis duabus impressum, nigro-aeneum, ore nigro, densius pubescente; oculi parvi, laterales, nigri. Antennae crassiusculae, pilosae, thoracis basin attingunt, nigro-piceae, extrorsum dilutiores, articulo primo longo, crasso, cylindrico; secundo aeque crasso, sed brevi, rotundato; tertio longiore, angusto, obconico; 4—8, parvis, nodosis, coarctatis, 9, 10, crassis, cyathiformibus, ultimo adhuc majore, ovato, sub-acuminato. Thorax capite paulo latior, antice sub-

sub-truncatus, lateribus in medio fere angulatim ampliatus, margine subtilissime crenulato; posterius iterum angustior, basi sub-sinuatus, angulis prominulis acutis; supra anterius convexus, ante basin fovea transversa, arcuata, carinula media in duas diversa, impressus; undique confertim et profunde punctatus, virescenti-aeneus, sub-nitidus, pilis cinereis minutis parce adspersus. Scutellum parvum, breve, obtusum, nigrum. Elytra thoracis basi multo latiora, sed illo parum longiora, apice truncata, supra convexa, confertissime et profunde rugoso-punctata, virescenti-aenea, evidentius pubescentia. Abdomen pone elytra illis longius, latum, ovatum, convexum, laeve, nigro-aeneum, nitidum, apice obtusum, lateribus alte elevato-marginatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum, tenue pubescens. Pedes tenues rufo-testacei, sub-pubescentes.

23. O. Viburni p. 224.

24. O. Salicis p. 226.

24-25. O. Salicinum: sub-depressum, nigrum, glabrum, confertim profunde punctatum, antennarum basi, thoracis limbo pedibusque rufo-testaceis, elytris interne punctato-striatis.

Var. *b*, elytris aut piceis aut pallidius testaceis.

Habitat in floribus Salicum, in Vestrogothia, Gottlandia, passim.

Om. Salicis simillimum et nimis affine, sed plus duplo minus, antennae extrorsum obscuriores, thoracis limbus testaceus, elytra plerumque pallidiora etc. Capitis forma, color et foveae impressae ut in priori, punctura multo subtilior. Antennarum structura eadem, basi ferrugineae, articulis sex ultimis nigro-fuscis, globosis. Thorax transversus, basi apiceque truncatus, lateribus fere aequaliter rotundatus, supra

in disco convexus, confertim, sat profunde punctatus, foveis duabus oblongis, valde obsoletis impressus, niger, glaber, limbo laterali et postico semper, antico rarius ferrugineo. Scutellum ut in priori. Elytrorum forma eadem, supra parum convexa, confertim profunde punctata, punctis interne sub-striatim digestis. Abdomen, corpus subtus et pedes ut in priori.

25. O. brunneum p. 227.

26. O. rufum p. 228.

27. O. crenatum p. 230.

28. O. striatum p. 231.

29. O. sub-striatum p. 232.

Var. *b*, elytris etiam rufis.

Habitat cum priore, rarius.

29 - 30. O. mandibulare: lineari-elongatum, rufo-testaceum, sub-pubescens, capite piceo, elytris pedibusque pallidis, thorace oblongo, postice angustiore, mandibulis magnis, arcuatis.

Habitat in Suecia meridionali rarissime. *Dom. Prof. Sahlberg.*

Statura plerisque hujus generis longior et angustior, fere Lathrobii, et L. lineari magnitudine aequale. Capitis, mandibularum et thoracis forma similitudinem cum Anthophagis indicant, sed antennae clavatae ab illis distinguunt. Caput breve, latum, pone oculos in collum angustatum, supra nigro-piceum, pubescens, vix punctulatum, ore toto rufo-testaceo; mandibulae magnae, porrectae, compressae, arcuatae, testaceae, apice summo acuto nigro; oculi magni, laterales, semi-globosi, brunnei. Antennae capite cum thorace longiores, crassiusculae, testaceae, parce pubescentes et pilosae, articulo primo longo, crasso, sub-cylindrico; secundo brevi, tertio longiore, obco-

obconicis; 4—8, brevibus nodosis, 9, 10, abrupte multo majoribus, cyathiformibus, ultimo ovato, subacuminato. Thorax sub-cordatus, basi apiceque truncatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, posterius attenuatus, anguste marginatus, supra parum convexus, subtilissime strigulosus, saturate rufo-testaceus, pubescens. Scutellum parvum, sub-triangulare, concolor. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris fere rectangulis, thorace vix dimidio longiora, apice introrsum oblique truncata, supra fere plana, obsolete punctata, pallide testacea, opaca, densius pubescentia. Abdomen pone elytra longitudine fere reliqui corporis, lineare, apice rotundatum, supra modice convexum, subtilissime punctulatum, marginibus crassis, alte elevatis; totum saturate rufo-testaceum, tenue pubescens. Pedes mediocres, toti pallide testacei, pubescentes.

30. O. rugosum p. 233.

31. O. brevipenne p. 234.

TACHYPORUS.

1. T. Chrysomelinus p. 236.

1-2. T. nigricornis: convexus, nigro-piceus, nitidus, antennarum articulo ultimo, thoracis lateribus pedibusque posticis rufo-testaceis, elytris rufis, regione scutelli nigris.

Habitat ad Sparrsäter Vestrogothiae, rarissime. *Mus. Dom. Schönherr.*

T. Chrysomelino et affinibus magnitudine, statura et partium formatione simillimus, colore antennarum et pedum anteriorum a reliquis praecipue distinctus. Caput nigrum, nitidissimum, glabrum, laeve, ore palpisque etiam nigris, pubescentibus. Antennae paulo breviores et validiores quam in affinibus, extrorsum crassiores, nigrae, articulo ultimo solo testaceo. Thorax amplus, nigro-brunneus, lateribus rufescens. Scu-

Scutellum nigrum. Elytra rufo-testacea, circum scutellum nigricantia, et juxta humerum litura fusca notata. Abdomen nigro-piceum, segmentorum marginibus dilutioribus. Corpus subtus nigro-piceum. Pedes quatuor anteriores nigro-picei, postici et tarsi anteriorum testacei.

2. T. marginatus p. 237.
3. T. abdominalis p. 238.
4. T. analis p. 239.
5. T. ruficollis p. 240.
6. T. pusillus p. 241.
7. T. nitidulus p. 242.
8. T. pubescens p. 243.
9. T. cellaris p. 244.
10. T. bi-pustulatus p. 245.
10-11. T. bipunctatus Pars 3. add. p. 702.
11. T. pedicularius p. 246.
Var. *c*, ut *a*, sed elytra tota testacea.
Habitat cum prioribus rarius.

12. T. lepidus p. 247.
Var. *d*, thorace nigro, elytris aut sanguineis aut rufescentibus, apicem versus infuscatis.
Var. *c*, rufo testaceus totus, capite saturatiore.
Habitant cum prioribus, quibus, colore excepto, simillimi.

13. T. splendidus p. 249.
14. T. punctus p. 250.

TACHINUS.

1. T. elongatus p. 251.

2. T. subterraneus p. 252.
3. T. bi-pustulatus p. 254.
4. T. marginatus p. 255.
5. T. humeralis p. 256.

Obs. Feminae hujus speciei postmodum plures inventae. In plerisque masculis segmentum anale angustum, elongatum, sub-lineare, apice parum emarginatum, laciniis obtusis; in aliis profundius emarginatum, laciniis acutis, et iterum in aliis bifidum, laciniis elongatis acutissimis; sed hae discrepantiae vix species distinctas denotant, nam in ceteris omnimode conveniunt.

5-6. T. laticollis: nigro-piceus, nitidus, glaber, antennarum basi, thoracis limbo, elytris, segmentorum abdominalium marginibus pedibusque rufo-testaceis.

Grav. Micr. 141. 10.

Tachyporus laticollis, Gravenh. Monogr. 15. 29.

Habitat in stercoratis rarius.

Statura et colore T. humerali simillimus, sed duplo minor et ultra, et ratione longitudinis paulo latior. Caput rotundatum, nigrum, nitidum, ore piceo. Antennae capite cum thorace longiores, nigro-piceae, articulo primo magno, crasso, secundo minori, obconicis, rufo-piceis. Thorax amplus, longitudine fere duplo latior, antice late emarginatus, angulis obtusis, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra convexus, aequalis, vix punctatus, niger, nitidus, margine antico et postico anguste, lateralibus latius rufo-testaceis. Scutellum majusculum, triangulare, piceum. Elytra thorace multo angustiora, sed dimidio longiora, apice truncata, supra parum convexa, subtilissime punctulata, rufo-testacea, nitida. Abdomen pone elytra illorum fere longitudine, obconicum, convexum, subtiliter punctulatum, lateribus alte

alte elevato-marginatum, piceum, sub-nitidum, segmentorum marginibus, ano lateribusque testaceis; segmentum anale maris parvum, apice emarginatum, laciniis acuminatis. Corpus subtus rufo-piceum, nitidum, punctulatum. Pedes pallide testacei, tibiis spinulosis.

6. T. dubius p. 258.
7. T. pallens p. 259.
8. T. rufipennis p. 259.
9. T. rufipes p. 260.
10. T. pullus p. 262.

Obs. Antennarum articulo primo toto ferrugineo, fere unice a T. rufipede distinctus; in illo enim articulus iste aut totus niger, aut basi ferrugineus, extrorsum nigro-piceus.

11. T. fimetarius p. 263.
12. T. marginellus p. 265.
13. T. collaris p. 266.
14. T. Silphoides p. 267.
15. T. analis p. 269.

Var. *b*, dimidio minor, antennarum articulis quatuor baseos ultimoque testaceis.

Grav. Monogr. p. 71. var. 2.

Habitat in Smolandia. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

16. T. merdarius p. 270.
17. T. cernuus p. 271.
18. T. striatus p. 272.
19. T. atricapillus p. 273.
20. T. lunulatus p. 274.
21. T. trimaculatus p. 275.

Var. *c*,

Var. *e*, thorace rufo-testaceo, linea media longitudinali lata nigro-picea.

Habitat in Blekingia. *Dom. Rhén. Mus. Dom. Schönherr.*

Magnitudo, statura, punctura et omnia ut in a, pictura thoracis excepta; hic vero maxima parte testaceus, linea media lata longitudinali nigro-picea, ante medium utrinque angulum emittente, ornatur.

22. T. pygmaeus p. 277.

STAPHYLINUS.

1. S. maxillosus p. 279.
2. S. hirtus p. 280.
3. S. nebulosus p. 282.
4. S. murinus p. 283.
5. S. pubescens p. 284.
6. S. olens p. 286.
7. S. cyaneus p. 286.
8. S. similis p. 287.

Obs. Propter distinctionem a sequenti, valde affini, diagnosis emendanda:

S. similis: niger, opacus, sub-depressus, confertissime punctatus, capite lato, subquadrato thoraceque sub-carinatis, elytris thorace brevioribus.

8-9. S. morio: niger, sub-depressus, anterius nitidior, confertim punctatus, antennarum apice tarsisque ferrugineis, capite lato thoraceque linea elevata laevi, elytris longitudine thoracis.

Grav. Micr. 6. 4. *Monogr.* 112. 121.

Habi-

Habitat sub-lapidibus, muscis, rarius.

Praecedenti simillimus et valde affinis, distinctus tamen videtur, corpore paulo angustiore, capite thoraceque minus crebre sed profundius punctatis, nitidioribus, elytris paulo longioribus, antennarum apice tarsisque dilutius ferrugineis, et segmento anali maris minus profunde emarginato. Caput thorace paulo latius, sub-quadratum, nigrum, nitidum, confertim punctatum, punctis majusculis, non vero confluentibus; linea longitudinalis laevis, vix elevata, sub-obsoleta. Antennae nigrae, apicem versus ferrugineae. Thoracis forma ut in priori, sed color magis nitidus, punctura non ita condensata et linea dorsalis polita latior, praesertim postice, non vero elevato-carinata. Scutellum triangulare depressum, nigrum punctulatum. Elytra longitudine thoracis, depressa, atra, opaca, confertissime subtiliter ruguloso-punctata, fusco-pubescentia. Abdomen ut in priori. Corpus subtus etiam ut in illo, sed segmentum anale maris leviter tantum emarginatum. Pedes nigri, tarsis omnibus totis, interdum etiam tibiis anterioribus ferrugineis.

Obs. Quod hic verus est St. morio Grav. l. c., ex descriptione patet, quare nomen huic tribuendum, et St. morio Ins. Sv. 2. p. 288. 9. apud quem Synonymon Gravenhorsti delendum, jam

9. S. sub-punctatus: dicendus, quod nomen *Dom. Com. Dejean* in litteris proposuit.
Staphylinus fuscatus, *Dej. Cat. p.* 21. *olim.*

9-10. S. fuscatus: niger, sub-convexus, capite breviore quadrangulo thoraceque nitidis, fortius disperse punctatis, antennis extrorsum ferrugineis, pedibus piceis.
Grav. Micr. 164. 10. *Monogr.* 112. 123.
Staphylinus obscurus, *Marsh. Ent. Br.* 1. 514. 50. *Ins. Sv.* 2. *p.* 289. *not. sub St. morione.*

Sta-

Staphylinus nigripes, *Dej. Cat. p.* 21. *olim.*
Habitat ad Karaby Scaniae, *Dom. Fries*, a *Dom. Prof. Zetterstedt* communicatus; ex Anglia a *Dom. Kirby* missus.

Praecedenti simillimus et affinis, sed differt: capite breviori et latiori, postice truncato, thoraceque paulo fortius sed minus crebre punctatis; antennis extrorsum ferrugineis, pedibus dilutioribus etc. Caput thorace paulo latius, basi truncatum, breve, transversim quadrangulum, supra parum convexum, nigrum, nitidum, sat profunde, sed minus crebre punctatum, ore rufo-piceo. Antennae crassiusculae, filiformes, pubescentes, thoracis basin fere attingunt, articulis 3 vel 4, primis nigris, reliquis rufo-ferrugineis, ultimo oblique acuminato. Thorax latitudine antica paulo longior, antice latior, truncatus, posterius angustior, rotundatus, supra parum convexus, niger, nitidus, similiter ac caput punctatus. Scutellum triangulare, nigrum, opacum, pubescens, crebre punctulatum. Elytra longitudine thoracis et ejus basi paulo latiora, supra fere plana, nigra, opaca, confertissime punctulata, pubescentia. Abdomen pone elytra longitudine reliqui corporis, nigrum, opacum, confertissime punctulatum, pubescens, marginibus alte elevatis. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, punctatum, segmento anali maris leviter emarginato, feminae integro, rotundato. Femora valida; picea; tibiae et tarsi spinulosi, dilutius rufescentes.

10. S. brunnipes p. 289.

11. S. erythropus p. 290. *Ahr. Fn. Ins. Eur.* 6. *f.* 14.

12. S. aeneocephalus p. 291.

Obs. Var. c, etsi simillima et in plurimis conveniens, speciem tamen distinctam constituere videtur, cui Celeb. Dom. Com. Dejean nomen proposuit:

12-13. S. aeneicollis: angustior, niger, lon-

gius pubescens, capite thoraceque aeneis, elytris fuscis, antennarum basi, tibiis tarsisque ferrugineis.

Dej. Cat. p. 21.

Staphylinus aeneocephalus, Grav. Micr. 8. 8. *var.* 3, 4.

Staphylinus aeneocephalus, Ins. Sv. 2. 291. 12. *var. c.*

Habitat sub lapidibus, foliis deciduis, sat frequens.

Praecedente duplo minor et ultra, praesertim angustior, ceterum quoad formationem partium et puncturam ut ovum ovo simillimus. Antennarum articuli 2 s. 3, baseos toti rufo-testacei, reliqui nigro-fusci. Pubescentia capitis et praesertim thoracis longior, depressa. Elytra fusca, opaca. Tarsi omnes et plerumque etiam tibiae ferrugineae.

Obs. Staphylinus chalcocephalus, Fabr. Eleut. 2. 593. 17. Dej. Cat. p. 21, a Dom. Eschscholtz e Livonia missus, huic quoad magnitudinem, staturam et puncturam simillimus, sed pedes toti rufo-testacei et elytra ferruginea, unde diversus videtur; apud nos vero adhuc non inventus.

13. S. erythropterus p. 293.

14. S. castanopterus p. 295.

15. S. stercorarius p. 296.

Var. *b*, Pars 3. add. p. 703.

16. S. splendens p. 297.

17. S. laminatus p. 298.

18. S. dilatatus p. 299. *Ahr. Fn. Ins. Eur.* 6. *f.* 13.

19. S. tristis p. 301.

20. S. molochinus p. 302.

Var. *c*, elytris etiam nigris.

Habitat cum prioribus rarius.

Simillimus a, sed elytra tota nigra; antennae et pedes fusco-ferruginei. Ab St. tristi distinguitur fronte impunctata et scutello punctulato.

20-21. S. lateralis: niger, nitidus, antennarum basi, elytrorum margine laterali tarsisque fusco-ferrugineis, fronte scutelloque impunctatis.

Grav. Micr. 35. 50. *Monogr.* 42. 4.

Habitat in fungis putridis prope Londinum Scaniae, rarius. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Magnitudo, statura et affinitas St. tristis et molochini; ab utroque tamen differt, margine laterali elytrorum late rufo-ferrugineo; a priori praeterea, fronte media impunctata et a posteriori scutello laevi etc. Caput rotundatum, nigrum, nitidissimum, laeve, puncto unico juxta singulum oculum utrinque, anterius, et altero posterius, nullis vero in disco frontis; os rufo-ferrugineum; oculi majusculi, oblongi, nigro-brunnei. Antennae mediocres, nigro-fuscae, pilosae, articulo primo toto, secundo tertioque basi rufescentibus. Thorax amplus, antice sub-emarginatus, lateribus et postice rotundatus, supra modice convexus, totus niger, nitidissimus, laevissimus, certo situ metallico-micans; in dorso anteriore utrinque puncta tria parva, obsoleta, oblique posita. Scutellum triangulare, nigrum, nitidissimum, omnino laeve. Elytra thoracis medio angustiora et illo parum longiora, supra minus convexa, nigra, sub-opaca, subtiliter punctata, pubescentia, margine laterali toto late pallide testaceo. Abdomen pone elytra longitudine reliqui corporis, nigrum, violaceo- et aeneo-micans, pilosum, punctulatum, margine laterali alte elevato, ano rufo-piceo. Corpus subtus nigrum, punctatum,

pu-

pubescens, ventre violaceo-micante; segmentum anale maris late emarginatum. Pedes mediocres picei, pilosi, tarsis dilutius ferrugineis.

21. S. variabilis p. 303.

Obs. Var. f, praeter magnitudinem insigniorem et colorem elytrorum, etiam elytris brevioribus differre videtur.

22. S. scitus p. 306.

Obs. Occurrit etiam paulo major, var. e, praecedentis aequalis et similis, litura fusca anguli elytrorum distinctus.

23. S. laevigatus p. 306.

24. S. impressus p. 307.

25. S. mauro-rufus p. 309.

26. S. praecox p. 310.

27. S. attenuatus p. 311.

28. S. boops p. 312. *Dej. Cat. p.* 22.

29. S. subuliformis p. 312.

30. S. aeneus p. 314.

31. S. nitidus p. 315.

32. S. decorus p. 316.

33. S. politus p. 317.

34. S. atratus p. 319.

35. S. carbonarius p. 320.

36. S. cephalotes p. 320.

37. S. varius p. 321. *Dej. Cat. p.* 22.

38. S. marginatus p. 322.

39. S. xantholoma p. 323.

40. S. fimetarius p. 324. *Dej. Cat. p.* 23.

41. S. sordidus p. 326.

42. S. subfuscus p. 326.

43. S.

43. S. albipes p. 327.
44. S. lepidus p. 328.
45. S. fuscus p. 329.
46. S. nitidulus p. 330.
Obs. Variat antennis obscurioribus, fere nigris.
47. S. discoideus p. 331.
48. S. vernalis p. 332.
49. S. ventralis p. 334.
50. S. quisquiliarius p. 335. *Dej. Cat. p.* 23.
51. S. ochropus p. 336.
52. S. ebeninus p. 336.
53. S. immundus p. 337.
54. S. sanguinolentus p. 338.
55. S. bipustulatus p. 339.
56. S. opacus p. 340.
57. S. agilis p. 341.
St. debilis, Dahl. Dej. Cat. p. 23.
58. S. varians p. 342.
59. S. fulvipes p. 343.
60. S. micans p. 344.
61. S. virgo p. 345.
62. S. punctus p. 345.
63. S. nanus p. 347.
64. S. splendidulus p. 348.
65. S. aterrimus p. 349.

Obs. Species jam sequentes facie a prioribus discedunt, capite thoraceque valde elongatis, collo distincto interjacente connexis; corpore adhuc longiore et angustiore, statura Lathrobiis sub-similes, sed palpi ut in Staphylinis; apud recentiores proprium con-

constituunt genus, cui nomen: Xantholinus adjectum; Dej. Cat. p. 23.

66. S. longiceps p. 350.

Obs. Capite subtilius punctulato, thoracis lateribus disperse multi-punctatis et elytrorum punctis non seriatis, a proxime sequentibus distinctus. Synonymon: St. ochraceus Grav. delendum, utpote ad aliam speciem pertinens.

67. S. ochraceus p. 352.

Obs. Puncta ferierum dorsalium thoracis nunquam ultra duodecim, plerumque vero pauciora et minus regulariter disposita; series lateralis semper antice arcuata; caput fortius punctatum quam in praecedente; antennae ferrugineae, articulo primo plerumque obscuriore; puncta elytrorum externe in strias sat regulares digesta.

67–68. S. Batychrus: niger, nitidus, antennis pedibusque obscure ferrugineis, thoracis seriebus dorsalibus 12–16-punctatis, elytris piceis, sub-striato-punctatis.

Xantholinus Batychrus, Knoch. Dej. Cat. p. 23.
Staphylinus ochraceus, Grav. Micr. 43. 65.
Monogr. 97. 95. *et not. p.* 99.

Habitat sub lapidibus, muscis, passim.

Praecedenti affinis et cum illo confusus, sed minimis ejus adhuc minor, punctura thoracis praecipue distinctus. Caput magnum, thorace fere latius, oblongum, nigrum, nitidum, sat crebre et profunde punctatum, antice in medio laeve; supra os striolae duae impressae, breves, et alia obliqua utrinque, sub oculo inchoata. Palpi testacei; oculi parvi depressi, nigri, rotundati, in antico laterum juxta os locati. Antennarum structura ut in prioribus, basi nigro-piceae, extrorsum fusco-ferrugineae. Thorax valde elongatus, posterius sensim angustatus, supra modice convexus,

vexus, niger, nitidissimus, in medio longitudinaliter late laevissimus, politus, seriebus dorsalibus multipunctatis, punctis parvis sat regulariter striatis; series lateralis et anguli anteriores etiam multi-punctati. Scutellum ut in priori. Elytra vix longitudine thoracis, nitida, aut nigro-picea, aut dilutius piceo-testacea, praesertim versus apicem; subtilius et obsoletius punctata, punctis externe sub-striatim dispositis. Abdomen pone elytra vix longitudine dimidii corporis, posterius dilatatum, apice rotundatum, supra convexum, obsolete punctulatum, nigrum vel nigro-piceum, ano dilutiore. Corpus subtus piceum, ventre dilutius ferrugineo. Pedes mediocres ferruginei, basi saepe obscuriores.

67-68. S. parum-punctatus: niger, nitidus, antennis pedibusque ferrugineis, elytris anoque piceis, thorace latiore, seriebus dorsalibus et lateralibus 5-punctatis, capite parce profunde punctato.

Habitat sub lapidibus, muscis, rarius.

Minoribus St. ochracei individuis magnitudine aequalis et statura similis. Caput majusculum, subquadratum, convexum, nigrum, nitidum, medio laeve, versus latera punctis magnis, profundis, sed non crebris impressum; supra os striolae quatuor abbreviatae, profunde impressae, laterales obliquae, e cantho inferiore oculorum adscendentes; os piceum, palpis ferrugineis. Antennae capite parum longiores ferrugineae, structura ut in prioribus. Thorax capite fere angustior, sed paulo longior, posterius parum attenuatus, supra modice convexus, niger, nitidissimus. Series dorsales constant punctis quinque, sat profundis, quorum duo anteriora a posterioribus magis remota. Series laterales etiam 5-punctatae. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, laeve, medio impressum. Elytra thorace fere breviora, nigro-picea, nitida, parce punctata, punctis externe sub-seriatis. Abdo-

men nigrum, nitidum, obsolete punctulatum, ano dilutiore. Corpus subtus piceum, ventre interdum ferrugineo. Pedes toti ferruginei.

68. S. punctulatus p. 353.

Xantholinus elongatus, Dej. Cat. p. 23.

69. S. lentus p. 354.

70. S. tricolor p. 355.

Xantholinus elegans, Dej. Cat. p. 21.

71. S. pyropterus p. 356.

72. S. fulminans p. 357.

73. S. pilicornis p. 359.

Xantholinus alternans, Dej. Cat. p. 23.

74. S. melanocephalus p. 360.

75. S. cinerascens p. 361.

Obs. A Xantholinis discedit, et Staphylinis genuinis associandus.

LATHROBIUM p. 363.

1. L. elongatum p. 363.

1–2. L. rufipenne Pars 3. add. p. 704.

Habitat etiam in Vestrogothia, locis humidis.

2. L. fulvipenne p. 365.

2–3. L. multipunctatum Pars 3. add. p. 705.

3. L. brunnipes p. 366.

4. L. quadratum p. 367.

Lathrobium pilosum, Grav. Monogr. 131. 7. *ad a pertinet, teste Dom. Com. Dejean, in litteris.*

Var. c, d, Lathrobium terminatum, Dej. Cat. p. 24. Sed vix propria species.

5. L. fracticorne p. 369.

6. L.

6. L. lineare p. 370.
7. L. longulum p. 371.
Lathrobium minutum, *Dej. Cat. p.* 24.
Obs. Dom. Com. Dejean in litteris asseverat, L. longulum, Grav. l. c. a nostro distinctum esse, etsi ejus descriptio satis bene quadrat; Synonymon ideo delendum et nomen mutandum.

PAEDERUS.

1. P. riparius p. 372.
2. P. ruficollis p. 373.
3. P. orbiculatus p. 374.
4. P. angustatus p. 375.

4-5. P. laevigatus: niger, palpis, antennis pedibusque testaceis, capite magno thoraceque laevibus, elytris piceis, opacis, subtilissime punctulatis.

Habitat in Insula Färön Gottlandiae, rarissime. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Statura P. orbiculati et angustati, sed posteriori adhuc dimidio minor. Caput thorace multo majus, latius, basi truncatum, anterius rotundatum, nigrum, sub-opacum, vix punctulatum, palpis testaceis, maxillaribus apice incrassatis fuscis. Oculi sub-prominuli brunnei. Antennae capite dimidio longiores, crassiusculae, testaceae, medio obscuriores, articulo primo longo, sub-cylindrico, sequentibus brevibus, nodosis, ultimo ovato, acuminato. Collum valde angustum. Thorax parvus, oblongus, anterius angustatus, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, dein iterum paulo angustior, basi rotundatus, supra modice convexus, niger, magis nitidus, laevis, in medio dorsi obsoletissime carinatus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, opacum. Elytra thorace paulo latiora et longiora, oblongo-quadrata, angulo

 hume-

humerali et apicalibus fere rectis; supra parum convexa, fusco-picea, opaca, confertim subtilissime punctulata. Abdomen pone elytra illis dimidio longius, latiusculum, nigrum, opacum, ano piceo. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, tenuissime pubescens, ano testaceo. Pedes longiusculi, toti testacei.

5. **P. rubricollis** p. 377.

ALEOCHARA p. 377.

1. **A. sulcata** p. 378.

2. **A. obscura** p. 379.

3. **A. nigra** p. 380.

Aleochara picea, Dej. Cat. p. 28.

4. **A. impressa** p. 381.

Obs. Aboae in Finlandia, a Dom. Prof. Sahlberg pluries lecta.

5. **A. rivularis** p. 382.

Obs. Dom. Comes Mannerheim hanc speciem in Finlandia copiosius legit et benevole communicavit.

6. **A. aethiops** p. 383.

7. **A. nigricollis** p. 384.

8. **A. collaris** p. 385.

9. **A. lunulata** p. 386.

In Boletis annuis, versus autumnum, vulgaris.

9-10. **A. prolixa**: rufo-picea, sub-nitida, pubescens, antennis, elytris anoque dilutioribus, pedibus pallide testaceis.

Grav. Micr. 71. 5. *Monogr.* 165. 45. *var.*

Habitat in Scania, ad Abusa, rarissime. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Statura, magnitudo et affinitas A. lunulatae, sed color alius, antennae paulo longiores etc. Caput latitudine thoracis, rotundatum, nigrum, nitidum, pube-

bescens, subtilissime punctulatum, ore rufo-piceo. Antennae longitudine capitis cum thorace, crassiusculae, basi apiceque rufo-ferrugineae, articulis mediis 3—6, obscurioribus, infuscatis. Thorax latitudine antica vix longior, apice truncatus, basi rotundatus, supra convexus, nigro-fuscus, nitidus, tenue pubescens et pilosus, obsolete punctulatus, versus margines dilutior; ante medium baseos foveola parva, obsoleta impressus. Scutellum parvum, triangulare, fuscum. Elytra thorace paulo latiora et longiora, apice subtruncata, supra modice convexa, fusco-testacea, juxta scutellum obscuriora, undique confertim evidentius punctata, longius pubescentia. Abdomen pone elytra longitudine fere reliqui corporis, crassum, supra nigro-piceum, nitidum, vix punctulatum, ano testaceo. Corpus subtus dilutius rufo-testaceum, nitidum, obsolete punctulatum, segmentis ventralibus basi obscurioribus, nigro-piceis. Pedes elongati, tenues, pallide rufo-testacei.

10. A. circellaris p. 387.

Var. *b*, laete lutea, capite, antennarum medio abdominisque cingulo postico piceis.

Habitat cum praecedente, rarius.

Color totius corporis laete luteus, modo caput, antennarum articuli 3—10 et abdominis segmentum antepenultimum nigro-picea.

11. A. analis p. 388.

Var. *b*, elytris piceis.

Habitat cum praecedente passim, cui, elytrorum colore excepto, simillima.

12. A. reptans p. 389.

12-13. A. longiuscula: elongata, nigra, nitida, elytris femoribusque piceis, tibiis tarsisque pallidis, thorace rotundato, postice foveola impresso.

Grav.

Grav. Micr. 80. 20. *Monogr.* 155. 21.

Habitat in quisquiliis, rarius.

Al. tereti proxima, sed duplo major et aliter colorata. Caput thorace paulo minus, nigrum, nitidum vix punctulatum, ore palpisque obscuris. Antennae longitudine thoracis extrorsum crassiores; articulo ultimo majore, breviter ovato, acuminato: nigrae, basi sub-piceae. Thorax vix longitudine latior, lateribus et postice rotundatus, supra convexus, vix punctulatus, niger, nitidus, ante medium baseos foveola parva transversa impressus. Scutellum parvum, triangulare, concolor. Elytra thoracis medio vix latiora et illo parum longiora, supra convexa, subtilissime punctulata, nigro-picea, sub-nitida. Abdomen pone elytra illis plus duplo longius, lineare, crassiusculum, convexum, subtiliter punctulatum, nigrum, nitidum, ano piceo. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum punctulatum. Femora picea, tibiis tarsisque pallidioribus.

13. A. teres p. 390.

14. A. canaliculata p. 391.

15. A. linearis p. 392.

16. A. angustula p. 393.

Obs. Al. dimidiata, Grav. Monogr. 149. 3. species est vere distincta, apud nos adhuc non inventa, quantum mihi innotuit, quare Synonymon hocce, ad var. c, allatum, excludendum.

17. A. atra p. 395.

18. A. elongatula p. 396.

19. A. terminalis p. 397.

Obs. Thorace foveola baseos impressa destituto, a contiguis praecipue distincta.

20. A. quisquiliarum p. 398.

20-21. A. crassicornis: brevior, nigra, pedi-

pedibus testaceis, elytris brunneis, thorace amplo, sub-orbiculato, antennis longis, crassis, totis nigris.

Habitat in succo arborum, fungis et quisquiliis, passim.

Statura brevior, latior et crassior quam praecedentium, A. longicorni propinqua, sed thorax multo major, longior, sub-orbiculatus. Caput thorace paulo minus, rotundatum, convexum, nigrum, nitidum, punctulatum, ore palpisque nigro-piceis. Antennae capite cum thorace multo longiores, crassae, nigrae, articulo primo longo, clavato, basi piceo; 2, 3, longiusculis ob-conicis; 4—10, cyathiformibus, sensim crassioribus, ultimo adhuc majore, oblongo-ovato, acuminato. Thorax amplus, sub-orbiculatus, vel longitudine perparum latior, supra sub-depressus, minus saturate niger, subtiliter punctulatus, tenue pubescens; in medio baseos foveola sub-rotunda et ante illam impressiones obsoletae in medio dorsi. Scutellum parvum, triangulare, concolor. Elytra thoracis medio non latiora nec illo longiora, apice sub-sinuata, supra sub-depressa, confertim subtilissime punctulata, aut saturatius aut dilutius brunnea, subopaca. Abdomen pone elytra illis duplo longius, latum, nigrum, nitidum, apice obtusum. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, punctulatum, pubescens, segmentorum ventralium marginibus anoque testaceis. Pedes mediocres, toti testacei.

21. A. humeralis p. 399.

Var. *b*, paulo minor, elytris testaceis, apice tantum fuscis.

Habitat cum priore rarius.

Magnitudo et facies A. limbatae, sed antennarum articulus ultimus brevior, minus acutus, quare huc relata.

22. A. limbata p. 400.

22-23. A. funesta: nigra, sub-nitida, confertim subtilissime punctulata, tenue pubescens, antennis pedibusque fuscis, thorace foveola ante-scutellari impresso.

Grav. Monogr. 168. 49. *var.*

Habitat in Scania ad Esperöd. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Statura et summa affinitas Al. humeralis et limbatae, quae forte non nisi aberrationes unius ejusdemque speciei polymorphae; colore obscuro et thorace parum impresso fere unice ab illis distincta. Caput thorace paulo angustius, nigrum, nitidum, confertim punctulatum, fronte medio impressa; os et palpi rufo-picei; oculi oblongi, nigro-brunnei, prominuli. Antennae longitudine dimidii corporis, pubescentes, extrorsum crassiores, fusco-ferrugineae, articulo primo magno, nigro-piceo, nitido. Thorax longitudine latior, antice truncatus, angulis rotundatis, lateribus ante medium rotundato ampliatus, basi sub-truncatus, angulis obtuse rotundatis; undique angustissime marginatus; supra parum convexus, totus niger, sub-nitidus, confertim subtilissime punctulatus, pube tenui depressa cinerea adspersus; in medio baseos ante scutellum foveola obsoletior impressa, et ante illam rudimentum canaliculae, aegre observandum. Scutellum triangulare, nigrum, nitidum. Elytra thorace paulo longiora et latiora, apice sub-truncata, et juxta angulum lateralem apicis nonnihil excisa, supra parum convexa, confertissime punctulata, pube densiore cinerea adspersa, unde minus saturate nigra apparent. Abdomen pone elytra reliquo corpore paulo brevius, crassum, marginibus alte elevatis, ano obtuso; supra nigrum, nitidum, laeve, fere glabrum, subtus confertim punctulatum, densius et longius pubescens, nigrum, sub-nitidum, marginibus segmentorum obscure ferrugineis. Pedes longiusculi,

tenues

tenues, femoribus rufo-piceis, tibiis tarsisque fusco-ferrugineis.

23. A. **depressa** p. 401.

Obs. In graminosis aridis, tempore vernali saepius excipulo capta.

23-24. A. **picipennis**: brevior, lata, nigra, sub-opaca, palpis pedibusque ferrugineis, antennis brevibus crassis piceis, basi testaceis, elytris piceis confertissime punctatis.

Habitat ad Sparrsäter Vestrogothiae. *Dom. Schönherr.*

Statura et similitudo Al. cinnamomeae, sed dimidio minor, et thorax magis depressus etc. Caput majusculum, thorace parum angustius, nigrum, sub-nitidum, fronte fere plana, vix punctulata; palpi ferruginei. Antennae vix longitudine capitis cum thorace, crassae, articulo primo longiore, cylindrico, testaceo; 2, 3, parvis, obconicis, ejusdem coloris; 4—10, crassis, perfoliatis, nigro-piceis, ultimo conico, fusco-ferrugineo. Thorax transversus, antice truncatus, lateribus aequaliter rotundato-ampliatus, basi obtuse rotundatus, supra parum convexus, niger, subtilissime et obsolete punctulatus. Scutellum breve, latum, sub-triangulare, nigrum, punctatum. Elytra latitudine medii thoracis et illo fere dimidio longiora, supra perparum convexa, brunnea vel nigro-picea, non nitida, confertissime et sat profunde punctata, fere glabra. Abdomen pone elytra illis plus duplo longius, nigrum, magis nitidum, punctulatum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, tenue pubescens. Pedes breviusculi ferruginei, femoribus interdum externe obscurioribus.

24. A. **plana** p. 402.

Obs. Variat corpore pallido, capite et cingulo abdominis obscurioribus.

25. A. obscurella p. 403.
26. A. sericans p. 404.
27. A. longicornis p. 405.
28. A. socialis p. 406.

Obs. Al. sericans, longicornis et socialis inter se simillimae; exstant etiam plures intermediae, aut species aut varietates aegre determinandae.

29. A. nigritula p. 408.
30. A. atramentaria p. 408.

Var. *b*, elytris castaneis, pedibus dilutius testaceis.

Habitat cum praecedente, cui, colore elytrorum et pedum dilutiore excepto, simillima.

Obs. Thorax saepe in medio baseos foveola parva impressus.

30-31. A. excavata: nigra, sub-nitida, creberrime punctulata, parce pilosa, pedibus piceis, tarsis dilutioribus, antennis crassis, thorace fovea magna media excavato.

Var. *b*, elytris castaneis, pedibus fusco-testaceis.

Var. *c*, Fovea thoracis in duas divisa, anteriore majore.

Habitat in quisquiliis, cadaveribus exsiccatis etc., passim.

Parva, praecedenti aequalis et valde similis, fovea magna in disco thoracis praecipue distincta. Caput thorace parum angustius, basi truncatum, anterius rotundatum, nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum, fronte plana; os et palpi nigri. Antennae thorace paulo longiores, totae nigrae, pilosae, articulo primo magno, clavato; 2, 3, angustis, ob-conicis; sequentibus

tibus sensim crassioribus, cyathiformibus, ultimo magno, obconico, acuminato. Thorax transversus, antice truncatus, lateribus et basi rotundatus, totus niger, punctulatus, pilosus; dorsi maximam partem occupat fovea magna, ovata, profunde impressa. Scutellum triangulare, nigrum, punctulatum. Elytra latitudine medii thoracis et illo dimidio longiora, apice recta truncata, supra sub-depressa, nigra, opaca, confertissime evidentius punctulata. Abdomen pone elytra illis duplo longius, latum, minus convexum, nigrum, nitidum, punctulatum, longius pilosum. Corpus subtus nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum, pubescens. Pedes tenues in a picei, geniculis tarsisque dilutioribus; in var. b, fusco-testacei.

In var. c, fovea in medio dorsi thoracis brevior, rotunda, majuscula et in medio baseos altera, parva; caetera ut in a et b, omnia.

31. A. pusilla p. 409.

32. A. fungi p. 410.

Var. *d*, antennis, interdum etiam femoribus, fusco-piceis.

Habitat cum prioribus, non infrequens.

33. A. pumilio p. 411.

34. A. cinnamomea p. 412.

35. A. nitidula p. 413.

36. A. nana p. 414.

37. A. polita p. 415.

38. A. Boleti p. 416.

38–39. A. pusillima: sub-linearis, nigra, nitida, elytris obscure piceis, pedibus ferrugineis, antennis testaceis clava crassa nigra. *Grav. Monogr.* 175. 71. *Dej. Cat. p.* 28.

Habitat in Smolandia rarius. *Dom. Boheman* et *Wetterhall.*

Minu-

Minuta, Al. Boleti fere angustior, sed paulo longior. Caput thorace paulo majus, rotundatum, nigrum, nitidum, palpis testaceis. Antennae capite cum thorace longiores, articulo primo longo, crasso, cylindrico, 3, vel 4 sequentibus angustis, his omnibus pallide testaceis, reliquis abrupte crassioribus, coarctatis, nigris, pilosis, clavam formantibus. Thorax brevis, transversus, basi apiceque sub-truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, supra valde convexus, niger, nitidissimus, glaber, laevis. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, punctulatum. Elytra latitudine medii thoracis et illo dimidio longiora, supra parum convexa, brunnea vel nigro-picea, opaca, confertissime subtiliter punctulata. Abdomen pone elytra illis plus duplo longius, sub-lineare, nigrum, magis nitidum, punctulatum. Corpus subtus nigrum, punctulatum. Pedes tenues ferruginei vel testacei.

39. A. pilicornis p. 417.

40. A. obfuscata p. 418.

Obs. Similis Al. fungi var. c. sed minor, densius pubescens.

41. A. alternans p. 419.
42. A. marginalis p. 420.
43. A. flavipes p. 421.
44. A. ruficornis p. 422.
45. A. opaca p. 423.
46. A. umbrata p. 424.
47. A. brevicollis p. 425.
48. A. dubia p. 426.
49. A. minuta p. 427.
50. A. fuscipes p. 428.
51. A. tristis p. 430.
52. A. bi-punctata p. 430.

Var. *b*,

Var. *b*, duplo minor et ultra.

Habitat cum praecedente rarius.

Magnitudine excepta, in ceteris simillima, vix distinguenda.

53. A. carnivora p. 431.

Var. *b*, elytris rufo-brunneis, magis nitidis, pedibus fusco-testaceis.

Habitat cum priore passim.

Colore tantum ab a, distincta. Variat etiam haec species magnitudine dimidio minore.

53-54. A. moerens: nigra, nitida, palpis, antennarum basi, ano pedibusque testaceis, elytris rufo-brunneis, antennis extrorsum crassioribus, fusco-ferrugineis.

Aleochara moesta, *Grav. Micr.* 96. 41. *Monogr.* 170. 55.?

Habitat in fungis, quisquiliis, rarius.

Magnitudo et statura Al. carnivorae, sed aliter colorata, antennae paulo breviores, fractae etc. — Al. fumata quoque similis, sed fere duplo major, latior; thorax brevior, magis convexus etc. Caput thorace duplo minus, rotundatum, nigrum, nitidum, pubescens, palpis testaceis. Antennae capite cum thorace parum longiores, articulo primo crasso, cylindrico, 2, 3, minoribus, ob-conicis, his tribus testaceis; reliquis fusco-ferrugineis, 4—10, perfoliatis, sensim paulo crassioribus, ultimo magno, conico. Thorax brevis, antice sub-emarginatus, angulis compressis, lateribus et postice rotundatus, supra valde convexus, aequalis, niger, nitidus, crebre, subtiliter punctulatus, pube cinerea depressa adspersus. Scutellum triangulare nigrum, punctatum. Elytra latitudine thoracis et illo parum longiora, apice sub-sinuata, supra perparum convexa, confertissime evidentius ruguloso-punctata, rufo-brunnea, sub-nitida, circum

scu-

scutellum nigro-brunnea. Abdomen pone elytra longitudine reliqui corporis, crassum, latum, nigrum, nitidum, punctatum, pubescens, ano late testaceo. Corpus subtus nigrum, nitidum, punctatum, densius pubescens, segmentorum ventralium marginibus anoque testaceis. Pedes breviusculi, toti rufo-testacei.

54. A. lanuginosa p. 432.

55. A. laevigata p. 433.

56. A. fumata p. 434.

Var. *d*, pallidior, thorace, elytris, abdomine corporeque subtus rufo-testaceis, segmentorum marginibus pallidis.

Habitat cum prioribus rarissime.

Caput et antennae ut in var. b, c; thorax, elytra et reliquum corpus rufo-testacea, segmentorum abdominalium marginibus supra anguste, subtus latius pallidis; forte immatura.

56-57. A. pulla: brevior, lata, nigra, dense pallido-pubescens, undique punctatissima, palpis pedibusque testaceis, antennis brevibus crassis fuscis, basi apiceque testaceis.

Grav. Micr. 96. 43. *Monogr.* 172. 65. *Dej. Cat. p.* 27.

Habitat in fungis annuis passim.

A. fumata dimidio minor, praesertim brevior, non vero angustior, undique pube longiore densa, depressa, cinereo-pallescente obducta. Caput parvum, deflexum, rotundatum, nigrum, nitidum, parce pubescens, crebre punctatum, palpis testaceis. Antennae vix longitudine capitis cum thorace, crassae, perfoliatae, nigro-piceae, articulis tribus primis et ultimo testaceis. Thorax antice truncatus, compressus, angustior, lateribus rotundatus, basi sub-truncatus, supra valde convexus, aequalis, niger, confertissime punctatus, dense

dense pubescens. Scutellum breve, latum, sub-triangulum, nigrum, punctatum. Elytra latitudine baseos thoracis et illo paulo longiora, supra parum convexa; confertissime et profundius quam thorax punctata, dense pubescentia, aut nigra aut picea, margine suturali et apicali saepe anguste testaceis. Abdomen pone elytra illis duplo longius, latum, convexum, atrum, magis nitidum, confertissime punctulatum, parcius pubescens, marginibus lateralibus alte elevatis, densius pubescentibus. Corpus subtus nigrum, subnitidum, confertissime punctulatum, ventre densius pallido-pubescente, segmentorum marginibus anguste testaceis. Pedes breviusculi, tenues, femoribus posterioribus saepe versus basin infuscatis.

57. A. nitida p. 435.

58. A. bilineata p. 436.

LOMECHUSA p. 437.

1. L. strumosa p. 437.

2. L. paradoxa p. 438. *Ahr. Fn. Ins. Eur.* 5. *f.* 12.

Obs. Sub lapidibus, in societate cum formica parva nigra, tempore vernali pluries lecta.

3. L. emarginata p. 440.

4. L. dentata p. 441.

OXYPORUS p. 442.

1. O. rufus p. 442.

1-2. O. Mannerheimii: niger, glaber, tarsis pallidis, antennis brevissimis, compressis, obscure testaceis, capite maximo quadrangulo.

Billberg. Cat. Ins. p. 16.

Habitat in Savolaxia orientali rarissime. *Dom. Com. de Mannerheim. Mus. Dom. Schönh.*

Sta-

Statura et formatio partium omnino ut in Oxyp. rufo, sed fere dimidio minor et aliter coloratus. Caput maximum, thorace multo majus, quadrangulum, nigrum, nitidissimum, laeve; mandibulae magnae, validae, arcuatae, acutae. Palpi elongati picei, labiales apice valde dilatati, securiformes. Antennae vix capite longiores, obscure testaceae, compressae, pilosae, extrorsum multo latiores, articulo ultimo angustiore, obtuso. Thorax parvus, brevis, antice latior, lateribus ante medium ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, niger, nitidissimus, laevis. Scutellum parvum, nigrum, laevissimum, apice truncatum. Elytra thoracis basi latiora, humeris elevatis, rectangulis, thorace paulo longiora, apice recta, truncata, supra parum convexa, nigra, sub-nitida; juxta suturam stria crenata, sat profunde impressa, et in medio disci duae aliae, approximatae, obsoletiores, postice abbreviatae; praeterea puncta nonnulla majuscula, absque ordine sparsa. Abdomen pone elytra illis vix dimidio longius, nigrum, nitidum, laeve, posterius attenuatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, ventre pilis longis fuscis serieque punctorum impressorum ad margines segmentorum adsperso. Pedes validi, femoribus tibiisque nigro-piceis, his ferrugineo-ciliatis, tarsis pubescentibus, totis pallidis.

2. O. picipes p. 443.

OXYTELUS p. 444.

1. O. tricornis p. 444.

2. O. fracticornis p. 446.

Oxytelus pallipes, *Dej. Cat. p.* 25. *Grav. Monogr.* 197. 12. *var. Gallica.*

Var. *b*, ibidem:

Oxytelus castaneipennis, *Ziegler. Dej. Cat. p.* 25.

Vix tamen distincta species; praeter colorem elytrorum, differentiam nullam essentialem detegere valui.

Var. *c*,

Var. *c*, elytris nigris, externe tantum rufis.
Habitat cum prioribus.

Medius inter a et var. b; elytrorum basis tota et illi contigua plaga lata dorsalis nigra sunt, plaga tantum lateralis rufa, pone humerum inchoata.

Nomen Paykullii, primo impositum, retinendum.

3. O. pallipes p. 447.
Oxytelus laevicollis, *Dej. Cat. p.* 25.

Synonymon Dom. Gravenhorstii allatum, huc pertinere mihi videtur, quare etiam nomen ab illo impositum, retinendum.

3–4. O. femoralis: niger, sub-nitidus, femoribus piceis, ore, tibiis tarsisque testaceis; thorace longiore concinne punctato, canaliculato, postice rotundato.
Dej. Cat. p. 25.
Var. *b*, capite abdomineque nigris, thorace, pectore ventreque brunneis, elytris testaceis, pedibus totis pallidis.
Habitat in graminosis humentibus, rarius.

O. fracticorni proximus, sed dimidio minor, thorax longior, minus convexus, minus profunde punctatus; ab O. pallipedi differt: thorace profundius punctato, evidenter canaliculato etc. Caput cum oculis latitudine thoracis, nigrum, sub-laeve, fronte inter oculos foveis duabus impressa; oculi valde prominuli, brunnei; os ferrugineum, mandibulis apice nigris. Antennae fractae, nigro-piceae, structura ut in prioribus. Thorax longitudine vix latior, antice truncatus, posterius paulo angustior, sub-rotundatus, supra convexus, sat crebre et concinne punctatus, in medio evidenter canaliculatus, totus niger, parum nitidus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra thoracis basi latiora, hu-

 meris

meris elevatis, fere rectangulis, thorace paulo longiora, basi simultaneae emarginata, apice transverse truncata, supra modice convexa, crebrius et profundius quam thorax rugoso-punctata, nigro-picea, nitida, evidentius pubescentia. Abdomen et corpus subtus ut in prioribus. Femora rufo-picea, superne saltem; tibiae et tarsi dilutius testacei.

Var. b, colore dilutiore tantum differt ut in diagnosi dictum.

4. O. Talpa p. 448.

5. O. arenarius p. 448.

6. O. cornutus p. 450.

Obs. Superficies thoracis, probe inspecta, subtilissime reticulato-strigosa sive coriacea, et praeterea punctis parvis, remotis adspersa; elytra etiam pariter subtilissime coriacea; in sequenti vero thorax et elytra punctis majusculis, oblongis, sat crebre adspersa, superficie interjacente laevi. Femina O. cornuti differt capite paulo minore, mutico, supra os minus impresso, ceterum simillima.

7. O. morsitans p. 451.

Oxytelus striolatus, Ziegler. Dej. Cat. p. 25.

Obs. Dom. Gravenhorst l. c., feminam praecedentis cum hac specie confudisse videtur; verum tamen O. morsitantem sub oculis etiam habuisse, ex descriptione puncturae thoracis minorum et minimarum varietatum, in Micr. 108. 9, confirmatur. Caput maris paulo majus feminae, supra os valde depressum, saepe excavatum; mandibulae jam ferrugineae, jam nigro-piceae; color elytrorum et pedum variabilis.

8. O. carinatus p. 452.

9. O. piceus p. 454.

10. O. sculpturatus p. 456.

11. O. depressus p. 457.

12. O. nitidulus p. 458.

13. O. caelatus p. 459.

Obs. Var. c, errore typographi heic allata, ad speciem sequentem pertinet; de hujus speciei var. c, vid. omiss. p. 645.

14. O. corticinus, vid. Omiss. p. 645.

Ejus var. c, vide pag. 460. lin. 23. seqq.

15. O. fuliginosus p. 460. 14.

EVAESTHETUS p. 461.

1. E. scaber p. 462. *Ahr. Fn. Ins. Eur.* 7. *f.* 13.

In pratis humidis Vestrogothiae, tempore vernali aliquoties lectus.

STENUS p. 462.

1. O. coerulescens p. 462.

Stenus rugulosus, Dej. Cat. p. 25. *Dianous id. Leach. sec. Dejean.*

2. S. biguttatus p. 464.

Var. *b*, ut species distincta consideranda, sub nomine:

2-3. S. Kirbyi: niger, sericeo-pubescens, pedibus testaceis, genubus late nigris, elytris puncto postico flavo, fronte impressa obsolete carinata.

Stenus Kirbyi, Leach. Dej. Cat. p. 25.
Stenus biguttatus var. b, Gyll. Ins. Sv. 2. 464. 2.
Stenus guttula, Müll. in Germ. Mag. 4. 225.
Habitat in arenosis, ad ripas, apud nos rarius.

Praecedenti simillimus, sed plerumque minor, colore pedum praecipue distinctus. Caput, oculi, os, antennae ut in praecedente omnino. Thoracis structura, punctura, color et pubescentia etiam ut in illo.

Scutellum triangulare, nigrum, laeve. Elytrorum forma eadem, sat profunde rugoso-punctata, saturate nigra, pilis albido-argenteis adspersa, singula macula rotunda flava ante apicem notata. Abdomen ut in priori. Corpus subtus nigrum, pubescens, pectore fortius, ventre subtilius punctulatis. Segmentum penultimum maris late triangulariter emarginatum. Pedes elongati, tenues, pallide testacei, femorum medietate exteriore et tibiarum basi nigris.

3. S. bi-maculatus p. 466.
Stenus Juno, Dej. Cat. p. 25.

4. S. Juno p. 467.
Stenus Boops, Dej. Cat. p. 25.

5. S. boops p. 469.

6. S. Cicindeloides p. 470.

7. S. oculatus p. 471.

8. S. tarsalis p. 472.
Stenus clavicornis, Dej. Cat. p. 25.

9. S. binotatus p. 474.
Var. *b*, palpis totis tarsisque testaceis.
Habitat in Scania. *Mus. Dom. Schönherr.*

St. tarsali simillimus, sed abdomen evidenter marginatum et punctura thoracis elytrorumque multo subtilior.

9-10. S. bi-foveolatus: brevior, niger, sub-nitidus, parum pubescens, antennis medio testaceis, femoribus rufo-piceis, thorace oblongo, bi-foveolato, abdomine angustissime marginato.
Habitat in umbrosis humentibus, minus frequens.

Thoracis forma et impressiones, color antennarum etc.,

etc., similitudinem cum praecedente praebent, sed corporis statura multo brevior, etsi non angustior, color nigrior, pubescentia rarior etc. Caput cum oculis thorace latius, nigrum, sub-nitidum, fronte inter oculos bis impressa, jugo medio elevato; os ferrugineum, palpis apice fuscis; proboscis interdum exserta, capite longior; oculi magni, globosi, brunnei. Antennae vix capite dimidio longiores, pallide testaceae, articulo primo et tribus ultimis majoribus, nigris. Thorax latitudine longior, basi apiceque truncatus, lateribus sub-aequaliter rotundato-ampliatus, supra convexus, sat profunde punctatus, niger, sub-nitidus, vix pubescens; paulo pone medium utrinque fovea obliqua, arcuata, impressus. Scutellum parvum nigrum, saepe sub thorace occultatum. Elytra thoracis medio parum latiora et illo vix longiora, supra modice convexa, crebre, concinne punctata nigra, pilis cinereis parce adspersa. Abdomen pone elytra illis vix dimidio longius, crassum, cylindricum, nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum, tenue pubescens, lateribus angustissime marginatum. Corpus subtus minus saturate nigrum, subtiliter punctulatum, densius pubescens; segmentum penultimum maris profunde triangulariter emarginatum. Pedes mediocres, femoribus aut rufopiceis, aut dilutius rufo-testaceis, apice nigris; tibiae fusco-piceae, interdum cum tarsis dilutius testaceae.

10. S. buphthalmus p. 475.

10-11. S. canaliculatus: niger, immaculatus, cinereo-pubescens, subtilius punctatus, thorace oblongo, evidentius canaliculato, abdomine marginato.

id. Knoch. Dej. Cat. p. 25.

Stenus buphthalmus var. altera, Grav. Monogr. 230. 9.

Habitat in gramine, locis humentibus, passim.

Praecedenti, cujus varietatem minorem olim credidi,

didi, simillimus et valde affinis, sed differre videtur, punctura nonnihil subtiliore, canalicula dorsali evidentiore etc. Caput thorace latius, breve, basi truncatum, anterius rotundatum, supra inter oculos modice impressum, jugo medio elevato, obsoleto; nigrum, crebre punctatum, cinereo-pubescens; os aut piceum, aut dilutius testaceum, palpis anticis longis, apice fuscis; oculi maximi, globosi brunnei. Antennae vix capite dimidio longiores, articulo primo longo, crasso, cylindrico, nigro; secundo aeque crasso, sed breviore, ovato, etiam nigro; tertio angusto, ob-conico, 4—8, parvis, nodosis, piceis; nono abrupte majore, perfoliato, ultimis duobus adhuc majoribus, sub-globosis, his tribus nigris, clavam formantibus. Thorax latitudine multo longior, basi apiceque truncatus, lateribus paulo ante medium rotundato-ampliatus, posterius angustior, supra parum convexus, totus niger, subopacus, confertissime punctatus, cinereo-pubescens; in medio dorsi canalicula evidens, punctulata, per totam fere longitudinem. Scutellum parvum, sub-triangulare, nigrum, laeve. Elytra thorace latiora, sed parum longiora, supra minus convexa, nigra, confertissime punctata, pubescentia. Abdomen pone elytra illis duplo longius, convexum, nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum, tenue pubescens, marginibus evidenter elevatis. Corpus subtus nigrum, pectore fortius, ventre subtilius punctulatis, densius pubescentibus. Pedes mediocres nigri, pubescentes.

10-11. S. nigritulus: niger, opacus, parce pubescens, confertissime punctatus, antennis medio piceis, thorace ovato sub-depresso, abdomine immarginato.

Stenus morio, *Grav. Monogr.* 230. 10.?

Habitat sub-lapidibus, locis humidis tempore vernali, rarius.

St. buphthalmo statura similis, sed minor, praesertim brevior, thorax ovatus, non canaliculatus et abdo-

abdomen immarginatum. Caput thorace multo latius, nigrum, confertissime punctatum, fronte inter oculos latissima, bis canaliculata, jugo interjacente ovato, elevato. Palpi testacei, apice nigri; oculi maximi, globosi, brunnei. Antennae capite dimidio longiores, articulis 1, et 2, crassis, nigris; 3—8, angustis, piceo-testaceis, tribus ultimis iterum magnis, nigris. Collum angustum, convexum, nigrum, punctatum. Thorax sub-ovatus, anterius latior, lateribus ante medium rotundatus, basi angustior, truncatus, supra perparum convexus, fere planus, aequalis, confertissime punctatus, parum pubescens, totus niger, subopacus. Elytra thorace paulo latiora et longiora, apice introrsum oblique truncata, supra perparum convexa, nigra, non nitida, confertissime ruguloso-punctata, pilis minimis cinereis parce adspersa. Abdomen pone elytra illis fere duplo longius, cylindricum, nigrum, magis nitidum, confertim et sat profunde punctatum, praesertim anterius; lateribus immarginatum, rudimento tantum lineae elevatae in segmentis anterioribus. Corpus subtus nigrum, parum nitidum, confertim et sat profunde punctatum, densius pubescens. Pedes longiusculi nigri, tarsis fuscis.

Obs. Synonymon Gravenhorstii dubium, nam descriptiones hujus et plurium specierum insufficientes, certitudinem non suppeditant.

11. S. proboscideus p. 476.

Obs. Minime St. pallipes Grav. qui ad sequentem pertinet.

12. S. pallipes p. 477.

12-13. S. argus: niger, parce pubescens, antennis pedibusque fusco-testaceis, thorace oblongo, medio latiore, abdomine late marginato, jugo frontali elevato.

Grav. Monogr. 231. 12.

Habitat in graminosis humentibus passim.

Mag-

Magnitudo et statura St. fuscipedis. Caput thorace latius, nigrum, crebre punctatum, jugo frontali plerumque magis quam in reliquis elevato, interdum sub-carinato. Palpi ferruginei, apice fusci; oculi maximi, globosi, nigro-brunnei. Antennae aut dilutius testaceae, articulo primo piceo, aut rufo piceae, basi apiceque nigricantes. Thorax latitudine paulo longior, basi apiceque truncatus, lateribus in medio rotundato-ampliatus, supra minus convexus, plerumque foveola una alterave impressus, niger, parum pubescens, confertim punctatus. Elytra thoracis medio non latiora, nec illo longiora, apice introrsum, oblique truncata, supra parum convexa, nigra, confertim et sat profunde punctata, pilis parvis, depressis parce adspersa. Abdomen pone elytra illis plus duplo longius, convexum, nigrum, nitidum, crebre punctulatum, lateribus late reflexo-marginatum. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, densius pubescens. Pedes mediocres, aut dilutius testacei, geniculis tibiisque posterioribus infuscatis, aut obscurius piceo-testacei.

13. S. fuscipes p. 478.

Obs. Caput, thorax et elytra pube densiore cinerea tecta, unde color fuscus apparet; thorax angustus, sub-cylindricus, aequalis; jugum sic dictum frontale aut magis elevatum, aut obsoletum; abdomen cylindricum, anguste marginatum; femora aut rufo-testacea, aut rufo-picea; tibiae aut fuscae, aut dilutiores, uti tarsi.

13-14. S. opticus: niger, obscurus, parum pubescens, fronte obsoletissime bi-canaliculata, thorace breviore lateribus rotundato, crebrius ruguloso-punctato, abdomine anguste marginato.

Grav. Monogr. 231. 11.

Habitat in graminosis humidis passim; a *Dom. Sturm* et jam idem sub hoc nomine missus.

Prae-

Praecedenti simillimus et valde affinis, plerumque paulo minor, parum pubescens, unde color nigrior, et praecipue thorace paulo breviore, lateribus magis rotundato et crebrius punctato, diversus. Capitis forma ut in praecedente, nigrum, crebre punctatum, fronte inter oculos plana, fere aequali; oblique inspecta tamen jugi elevati vestigium observandum; oculi ut in priori; palpi nigri, basi picei. Antennarum structura eadem, nigrae, in medio piceae. Thorax latitudine medii parum longior, basi truncatus, lateribus aequaliter rotundato-ampliatus, supra modice convexus, niger, obscurus, confertissime et sat profunde punctatus, punctis hic illic in rugulas transversales confluentibus. Elytrorum forma ut in priori, sed color magis niger et punctura paulo crassior, crebrior. Abdomen et corpus subtus ut in priori. Pedes nigri, femoribus interdum basi piceis, tarsis fuscis.

13-14. S. carbonarius: totus ater, parum pubescens, confertissime punctatus, thorace oblongo, sub-depresso, obsolete foveolato, abdomine latius marginato.

Habitat in graminosis humidis passim.

Magnitudo et fere statura oblonga St. fuscipedis, sed color saturate niger, thorax et abdomen aliter constructa etc. Caput thorace latius, atrum, opacum, confertissime punctulatum, fronte inter oculos latissime, bis obsolete canaliculata, interjecto jugo ovato, elevato; palpi nigri, basi picei; oculi maximi, globosi, nigro-brunnei. Antennae breves, structura ut in prioribus, nigrae, in medio vix piceae. Thorax latitudine multo longior, basi apiceque truncatus, lateribus in medio rotundato-ampliatus, supra perparum convexus fere planus, confertissime punctatus, totus ater, obscurus; in utroque latere impressiones duae, una in medio, altera prope basin, saepe obsoletae, praesertim in femina. Elytra thoracis medio non latiora, nec illo longiora, supra sub-depressa,

con-

confertissime punctata, atra, opaca, pilis minimis cinereis parce adspersa. Abdomen pone elytra illis duplo longius, nigrum, magis nitidum, subtilissime punctulatum, evidenter marginatum. Corpus subtus nigrum, pectore fortius ventre subtilius crebre punctulatis, densius pubescentibus; segmentum anale maris triangulariter emarginatum, et duo antecedentia in medio impressa. Pedes longiusculi nigri, tarsis fuscis.

14. S. circularis p. 479.

Classis I. Sectio Secunda.

HETEROMERA.

Fam. 1. *Melooides*, *Cantharidiae. Latreille.*

MELOE p. 481.

1. M. proscarabaeus p. 482.
2. M. violaceus p. 483.
3. M. scabrosus p. 484.
4. M. brevicollis p. 485.

APALUS p. 486.

1. A. bimaculatus p. 487.

LYTTA p. 488.

1. L. vesicatoria p. 488. *Schönh. Syn.* 3. 20. 1.

ANTHICUS p. 489.

1. A. monoceros p. 490.
2. A. cornutus p. 491.
3. A. antherinus p. 492.

   Var. *c*, Pars 3. add. p. 706.

   Var. *d*, fascia ferruginea postica elytrorum omnino deficiente.

Habi-

Habitat in Gottlandia passim, *Dom. Prof. Zetterstedt;* in Suecia meridionali, *Dom. Marklin.*

Omnino ut a, elytris nempe nigris, macula vel fascia abbreviata humerali obliqua ferruginea, sed absque vestigio fasciae posterioris.

Var. *e*, elytris nigris, immaculatis, pedibus maxima parte testaceis.

Habitat in Gottlandiae Insula Fär-ön, rarissime. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Elytra nigra, omnino immaculata. Pedes quatuor anteriores pallide testacei, femoribus basi subtus infuscatis; postici longiores, femoribus crassis nigris, tibiis fuscis, tarsis elongatis, crassiusculis, testaceis; caetera quoad minimum punctum conveniunt.

4. A. sellatus p. 493.

5. A. ater p. 494.

6. A. floralis p. 495.

7. A. rufipes p. 497.

8. A. 4-notatus p. 498. An Sveciae incola?

8-9. A. hirtellus: niger, villosus, thorace fusco-ferrugineo, elytris macula transversa baseos flavo-testacea.

Fabr. S. El. 1. 292. 17. *Schönh. Syn.* 2. 58. 29.

Habitat in Blekingia. *Dom. Aspegren* testante *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Statura A. antherini, sed dimidio minor, praecedenti fere aequalis. Caput magnum, rotundatum, nigrum, nitidum, punctatum, villositate longa erecta pallida adspersum; os et palpi fusco-testacei. Antennae thorace paulo longiores, ferrugineae, extrorsum crassiores. Thorax sub-cordatus, basi apiceque truncatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus,

supra

supra valde convexus, confertim punctatus, pallido-villosus, anterius piceus, versus basin dilutius ferrugineus. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, thorace plus triplo longiora, apice rotundata, supra convexa, confertim et profundius punctata, villositate in dorso longa, evecta, pallida, versus latera breviore reclinata albida obducta; nigra, sub-nitida, pone humerum macula magna transversa flavo-testacea, interdum in fasciam ad suturam usque extensa, notata. Corpus subtus nigro-piceum, magis nitidum, obsolete punctulatum, parcius villosum. Pedes longiusculi, validi, ferruginei, pubescentes, femoribus plerumque piceis, saltem externe versus apicem.

9. A. bimaculatus p. 499.
10. A. populneus p. 500.
11. A. oculatus p. 501.
12. A. pygmaeus p. 502.

LAGRIA p. 503.

1. L. hirta p. 504. *Schönh. Syn.* 3. 9. 10.

Fam. 2. Pyrochroides.

PYROCHROA p. 505.

1. P. coccinea p. 505. *Schönh. Syn.* 3. 68. 1.
2. P. rubens p. 507. *Schönh. Syn.* 3. 69. 2.
3. P. pectinicornis p. 507. *Schönh. Syn.* 3. 69. 4.

PYTHO p. 508.

1. P. depressus p. 509. *Schönh. Syn.* 3. 55. 1. Var. *f*, Pars 3. add. p. 706.

CALOPUS p. 511.

1. C. serraticornis p. 511. *Schönh. Syn.* 3. 410. 1.

2. C.

2. C. aeneus p. 513. *Schönh Syn.* 3. 411. 2.
Dryops aenea, *Dej. Cat. p.* 71.

Fam. 3. Helopii.

SERROPALPUS p. 514.

1. S. striatus p. 515. *Schönh. Syn.* 3. 47. 1.

DIRCAEA p. 516.

1. D. laevigata p. 517.
Dircaea discolor, *Schönh. Syn.* 3. 48. 1.
2. D. rufipes p. 519. *Schönh. Syn.* 3. 49. 2.
3. D. 4-guttata p. 520. *Schönh. Syn.* 3. 49. 3.
Ahr. Fn. Ins. Eur. 6. *f.* 6.
4. D. ferruginea p. 521. *Schönh. Syn.* 3. 49. 4.
5. D. bifasciata p. 522. *Schönh. Syn.* 3. 50. 12.
Hypulus bifasciatus, *Dej. Cat. p.* 69.
6. D. quercina p. 523. *Schönh. Syn.* 3. 50. 13.
Hypulus quercinus, *Dej. Cat. p.* 70.
7. D. tri-guttata p. 524. *Dej. Cat. p.* 69.
Schönh. Syn. 3. 49. 9.
8. D. fuscula p. 525. *Schönh. Syn.* 3. 49. 10.
Scraptia fuscula, *Müller. Germ. Mag.* 4. 202. 11.
Scraptia fusca, *Dej. Cat. p.* 73.

HALLOMENUS p. 526.

1. H. humeralis p. 527. *Schönh. Syn.* 3. 51. 1.
2. H. fuscus p. 528. *Schönh. Syn.* 3. 51. 2.
3. H. affinis p. 529. *Schönh. Syn.* 3. 51. 4.
Dircaea collaris, *Müller. Germ. Mag.* 4. 200. 10.
4. H. flexuosus p. 529. *Schönh Syn.* 3. 51. 5.
5. H. fasciatus p. 531.

Orche-

Orchesia fasciata, Dej. Cat. p. 69. *Schönh. Syn.* 3. 52. 2.

6. H. micans p. 532.

Orchesia micans, Dej. Cat. p. 69. *Schönh. Syn.* 3. 51. 1.

MELANDRYA p. 533.

1. M. caraboides p. 533.
2. M. canaliculata p. 535.
3. M. ruficollis p. 536. *Schönh. Syn.* 3. 49.

HELOPS p. 537.

1. H. ater p. 537.
2. H. glaber p. 538.

Crypticus glaber, Dej. Cat. p. 66.

ALLECULA.

1. A. morio p. 539.

MYCETOPHILA p. 541.

Obs. Nomen antea a Dom. Meigen Generi Tipulariorum addictum, quare in Mycetocharis mutandum, praeeunte Clariss. Dom. Prof. Latreille.

1. M. linearis p. 541.

Mycetophila barbata, Mas. Dej. Cat. p. 71.

2. M. axillaris p. 542.
3. M. brevis p. 543.

Mycetophila barbata, Femina Dej. Cat. p. 70. *an jure?*

4. M. bi-pustulata p. 544.
5. M. scapularis p. 545.

Mycetophila humeralis, Dej. Cat. p. 71.

6. M. flavipes p. 546.

CONOPALPUS p. 547.

1. C. flavicollis p. 547. *Schönh. Syn.* 3. 52. 1.

Obs.

Obs. Individua nonnulla hujus Insecti, recentiori aevo in Blekingia, a Dom. Schönherr et Com. de Mannerheim inventa.

Fam. 4. *Diaperiales p.* 549.

DIAPERIS p. 549.

1. D. Boleti p. 549.

2. D. violacea p. 551.

3. D. aenea p. 551.

Obs. Etiam in Smolandia ad Annaeburg, a Dom. Boheman lecta.

4. D. haemorrhoidalis p. 553.

TETRATOMA p. 554.

1. T. fungorum p. 554.

2. T. ancora p. 555.

Var. *c*, omnino ut var. *b*, sed deest in elytris macula media communis pallida.

Habitat in fungis Betulinis Lapponiae Tornsensis. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

ANISOTOMA p. 557.

1. A. abdominalis p. 557.

Anisotoma glabrum, *Sturm. Fn.* 2. 45. 11. *Tab.* 23. *f. omn.*

2. A. humerale p. 558. *id. Sturm. Fn.* 2. 46. 12.

3. A. axillare p. 560. *Dej. Cat.* p. 69.

Anisotoma bi-pustulatum, *Ahrens in Nov. Act. Hall.* 2. 2. 12. 10. *Tab.* 2. *f.* 1. *a.*

4. A. castaneum p. 560. *Sturm. Fn.* 2. 48. 13. *Tab.* 25. *f. c. C.*

5. A. orbiculare p. 561. *Sturm. Fn.* 2. 50. 14.

Var. *b*, Pars 3. add. p. 707.

5-6. A.

5-6. A. sub-testaceum Pars 3. add. p. 707.
Anisotoma gibbulum, *Dom. Schüppel in litt.*

6. A. piceum p. 562. *Sturm. Fn.* 2. 36. 3.

7. A. ferrugineum p. 564. *Sturm. Fn.* 2. 37. 4.

8. A. rufipenne p. 565.
Anisotoma dubium, *Sturm. Fn.* 2. 38. 5.
Var. *b*, corpore toto pallido, capite antennarumque clava solum saturatius ferrugineis.
Anisotoma pallens, *Sturm. Fn.* 2. 39. 6. *Tab.* 24. *f. b*, *B*, *C*.

9. A. punctulatum p. 566.

9-10. A. multi-striatum Pars 3. add. p. 708.

9-10. A. spinipes Pars 3. add. p. 709.

10. A. brunneum p. 566.
Anisotoma badium, *Sturm. Fn.* 2. 41. 8. *Tab.* 24. *f. e. E.*

11. A. dentipes p. 567.

12. A. globus p. 568.
Agathidium globus, *Dej. Cat. p.* 129.
——— *ruficolle*, *Sturm. Fn.* 2. 68. 11.
In umbrosis sylvaticis Vestrogothiae jam pluries lectum.

Obs. Antennarum structura in hac specie et sequentibus a genuinis Anisotomis diversa, nam articulus octavus in plerisque aut septimo aequalis aut major, quapropter etiam apud recentiores peculiare constituunt Genus, Agathidium nempe; ad sectionem Tetramerorum tamen non apte referri possunt, nam tarsi anteriores in A. globo et pluribus vere 5-articulati mihi videntur.

13. A. staphylaeum p. 569.

Aga-

Agathidium ferrugineum, *Sturm. Fn.* 2. 66. 9. *Tab.* 29. *f. b*, *B*, *C.*

13–14. A. serricorne Pars 3. add. p. 710.

14. A. atrum p. 570.

Agathidium nigrinum, *Sturm. Fn.* 2. 56. 1. *Tab.* 27. *f. a. A. B.*

15. A. nigripenne p. 571.

Agathidium nigripenne, *Sturm. Fn.* 2. 67. 10.

16. A. seminulum p. 573.

Agathidium seminulum, *Sturm. Fn.* 2. 59. 3. *Tab.* 26.

17. A. orbiculatum p. 574.

Agathidium marginatum, *Sturm. Fn.* 2. 62. 5. *Tab.* 28. *f. a. A. B.*

Obs. Margo apicis elytrorum plus minusve testaceo-pellucens, ut a Dom. Sturm descriptus.

17–18. A. rotundatum: globosum, nigrum, nitidum, laevissimum, ore, antennarum basi, thoracis limbo laterali, tibiis tarsisque rufo-testaceis, corpore subtus femoribusque piceis, elytris stria suturali dimidiata.

Habitat in fungis et truncis putridis passim.

A. orbiculato simillimum, plerumque paulo minus, stria suturali elytrorum et thorace minus profunde emarginato distinctum. Caput magnum, transversum, nigrum, nitidum, laeve, ore rufo-testaceo. Antennae vix longitudine thoracis, testaceae, clava magna, triarticulata, nigra. Thorax brevis, transversus, antice late, sed minus profunde sinuato-emarginatus, lateribus valde deflexus, ibique et postice rotundatus, supra valde convexus, niger, nitidissimus, laevis, limbo laterali testaceo. Scutellum mediocre, acute triangulare, nigrum. Elytra ampla, angulo hu-

merali oblique retusa, apice acuminata, supra valde convexa, sub-globosa, tota nigra, nitidissima, vix visibiliter punctulata, stria suturali ab apice ultra medium extensa, impressa. Corpus subtus nigrum vel nigro-piceum, minus nitidum, confertim punctulatum. Pedes breviusculi, validi, femoribus rufo-piceis, tibiis tarsisque dilutius testaceis.

18. A. plagiatum p. 575.

Obs. Agathidium mandibulare, Sturm. Fn. 2. 58. 2. huic certe propinquum, sed color elytrorum et defectus scutelli discrepant.

19. A. pallidum, globosum, pallide testaceum, nitidum, laeve, oculis nigris, ore antennarumque clava brunneis, mandibula sinistra maris magna corniformi.

Habitat ad Vasam Ostrobothniae. *Dom. Vasastjerna.*

Magnitudo et statura A. plagiati. Caput magnum, transversum, pallidum, laeve, nitidum, oculis parvis nigris; os brunneum, mandibula sinistra maris magna, adscendente, recurvata corniformi; mandibulae feminae breves, arcuatae. Antennae thorace paulo breviores, testaceae; clava magna, triarticulata, pilosa, saturatius brunnea. Thorax brevis, antice late et profunde sinuato-emarginatus, lateribus valde deflexus, ibique et postice rotundatus, supra valde convexus, totus pallide testaceus, nitidus, laevis. Scutellum parvum, triangulare, concolor. Elytra ampla, angulo humerali oblique retusa, apice acuminata, supra semi-globosa, pallide testacea, nitida, laevia; stria suturalis ab apice ultra medium ducta, anterius magis a sutura remota. Corpus subtus pallide testaceum minus nitidum, subtilissime punctulatum. Pedes mediocres, femoribus pallidis, tibiis tarsisque testaceis.

20. A. minutum: ob-ovatum, nigrum, ni-

tidis-

tidissimum, laeve, thoracis limbo laterali testaceo, elytris postice acuminatis, declivibus, disco rufo-piceis.

Agathidium minutum, *Sturm. Fn.* 2. 64. 7. *Tab.* 28. *f. e. E.*

Habitat in fungis et ligno putrido passim.

Minutum, C r y p t o p h a g o g l o b u l o aequale. Caput magnum, latum, convexum, antice rotundatum, valde inflexum, nigrum, nitidum, laeve, ore piceo. Antennae breves, inferne testaceae, clava magna triarticulata, nigra. Thorax brevis, antice late, sed minus profunde emarginatus, lateribus valde deflexus, angulis posticis rotundatis, basi media truncatus, supra valde convexus, niger, nitidissimus, laevis, limbo laterali latius, postico angustius ferrugineis. Scutellum parvum, triangulare, concolor. Elytra ampla, humeris oblique retusis, posterius angustata, apice acuminata, supra antice valde convexa, apicem versus declivia, basi et lateribus nigra, disco rufo-picea, nitida, laevissima, stria suturali nulla. Corpus subtus nigrum, vix punctulatum. Pedes breviusculi, nigropicei, tarsis testaceis.

21. A. p u n c t u l u m: sub-orbiculatum, nigrum, nitidissimum, thoracis limbo laterali anguste testaceo, elytris apice obtusis, stria suturali nulla.

Agathidium punctulum, *Dej. Cat. p.* 129. *Beck. Beytr.* 1. 8. 4. *T.* 1. *f.* 4.

——— *nanum*, *Dom. Megerle a Mühlfeldt in litteris.*

Habitat in fungis et ligno putrido rarius; a *Dom. Sturm* e Germania etiam sub hoc nomine missum.

Inter minima Insecta coleoptrata, praecedente plus

 duplo

duplo minus, postice magis obtusum, alias simillimum. Caput et antennae ut in A. minuto. Thoracis forma eadem, niger nitidissimus, laevis, margine laterali anguste tantum rufescente. Elytra ampla, posterius parum angustiora, apice rotundata, supra convexa, nigra, nitidissima, laevia, absque stria suturali; apex ipse plerumque ferrugineus. Corpus et pedes nigra, tarsis parum dilutioribus.

COSSYPHUS p. 576.

1. C. pusillus p. 576. *Schönh. Syn.* 3. 59. 3.
Clypeaster pusillus, *Dej. Cat. p.* 129. *Ahr. Fn. Ins. Eur.* 8. *f.* 10.

2. C. lateralis: breviter ovalis, testaceus, capite, elytrorum basi et lateribus pectoreque infuscatis, thorace brevi postice sinuato, angulis acutis.

Clypeaster lateralis, *Dom. Megerle a Mühlfeldt in litteris.*

Habitat in Gottlandia rarissime. *Dom. Marklin.*

Praecedente duplo minor, brevior, colore et structura thoracis praeterea distinctus. Caput minutum, sub thorace omnino occultatum, supra fuscum, oculis globosis nigris; os et palpi pallidi. Antennae pallidae, extrorsum obscuriores. Thorax brevis, antice semicirculariter rotundatus, basi sat profunde bi-sinuatus, lobo medio rotundato, angulis lateralibus productis, acutis, humeros elytrorum amplectentibus; supra convexus, aequalis, pallide testaceus, nitidus, laevis, pellucidus, nigredine capitis et oculorum antice translucente. Scutellum parvum, rotundatum, fusco-testaceum. Elytra thoracis basi fere angustiora, sed illo plus duplo longiora, apice obtusa, fere truncata, supra parum convexa, subtilissime punctulata, tenue pubescentia, obscurius testacea, basi et lateribus infuscata. Thorax subtus pallidus; pectus et venter brunnea, nitida, subtiliter punctulata, ano pallido.

Pedes

Pedes breviusculi, validi, toti pallide testacei, postici basi valde distantes.

HYPOPHLOEUS p. 578.

1. H. castaneus p. 578.

2. H. Fraxini p. 579.

Obs. Hypophloeus Pini, Panz. Fn. 67. f. 19. forte distinctus. In Musaeo Dom. Schönherr individua vidi, ex Illyria sub hoc nomine missa, quae dimidio minora, colore pallidiora et multo subtilius punctata; Synonymon Panzeri ideo excludendum.

2-3. H. longulus: lineari-elongatus, minus convexus, pallidius rufo-testaceus, thorace oblongo elytrisque subtilius vage punctulatis.

Habitat in Vermelandia, *Dom. Mellerborg. Mus. Dom. Schönherr.*

Praecedentibus similis, sed differt: ab H. castaneo, quod plus duplo minor et elytra vage punctata; ab H. fraxini, thorace multo longiore corporeque dimidio minore; ab utroque punctura subtiliore et corpore minus convexo. Caput mediocre, porrectum, depressum, pallide rufo-testaceum, subtiliter punctulatum, striga impressa inter antennas notatum, ut in prioribus; oculi majusculi, reniformes, nigri; os et palpi pallidiores testacei. Antennae breves, ferrugineae, structura ut in prioribus. Thorax sub-quadrangulus, latitudine multo longior, basi apiceque truncatus, antice paulo latior, undique anguste marginatus, supra parum convexus, aequalis, rufo-testaceus, confertim subtiliter punctulatus. Scutellum breve, transversum concolor. Elytra thorace paulo latiora, humeris rectangulis, thorace fere triplo longiora, linearia, apice obtusa, fere truncata, supra parum convexa, rufo-testacea, confertim subtiliter punctulata. Corpus subtus subtilissime punctulatum, thorace

race rufo-testaceo, pectore ventreque nigro-brunneis. Pedes mediocres, toti pallidius testacei.

3. H. suturalis p. 580.
4. H. bicolor p. 580.
5. H. fasciatus p. 581.
6. H. linearis p. 582.
7. H. depressus p. 583.
8. H. brunneus Pars 3. add. p. 711.

BOROS p. 584.

1. B. corticalis p. 584.
2. B. thoracicus p. 586.

PHALERIA p. 587.

1. P. culinaris p. 587.
   Uloma culinaris, Dej. Cat. p. 67.
2. P. castanea p. 588.

Fam. 5. *Tenebrionites p.* 590.

TENEBRIO p. 590.

1. T. molitor p. 590.
2. T. obscurus p. 591.
3. T. loripes p. 592.

UPIS p. 593.

1. U. ceramboides p. 594.

BLAPS p. 595.

1. B. mortisaga p. 595.
2. B. obtusa Pars 3. add. p. 712.

OPATRUM p. 596.

1. O. sabulosum p. 597.
2. O. gibbum p. 598.
   Phylan crenatus, Dej. Cat. p. 66.

3. O.

3. O. tibiale p. 599.

BOLITOPHAGUS p. 600.

1. B. reticulatus p. 600.
Bolitophagus crenatus, *Dej. Cat. p.* 68.
2. B. agricola p. 602.
Bolitophagus agaricola, *Dej. Cat. p.* 68. *et aptius ita nominandus.*

Fam. 6. *Mordellonae.*

MORDELLA p. 603.

1. M. aculeata p. 604. *Schönh. Syn.* 3. 82. 2.
2. M. pumila p. 605. *Schönh. Syn.* 3. 83. 3.

Obs. Descriptioni addendum, propter distinctionem a sequenti: Thorax postice profunde bi-sinuatus, lobo medio producto, evidenter emarginato.

2-3 M. parvula: nigra, immaculata, sericeo-pubescens, thorace latitudine fere breviore, aculeo ani brevi, conico, antennis simplicibus.

Var. *b*, antennarum basi femoribusque anticis piceo-testaceis.

Habitat in floribus passim.

Praecedente adhuc duplo minor, thorace et aculeo anali multo brevioribus praeterea distincta. Caput quoad structuram ut in prioribus, nigrum, vix punctulatum, pube subtili cinereo-sericea adspersum. Antennae longitudine fere capitis cum thorace, simplices, nigrae, interdum basi piceae. Thorax subquadratus, latitudine fere brevior, antice truncatus, basi leviter bi-sinuatus, lobo medio rotundato, integro; supra valde convexus, niger, subtilissime punctulatus, pube longiore depressa cinereo-sericea obductus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Ely-

Elytrorum forma ut in prioribus, nigra subtiliter ruguloso-punctata, pube simili uti thorax obsita. Aculeus analis conicus, basi crassus, vagina infera vix tertia parte longior. Corpus subtus nigrum, punctulatum, sericeo-pubescens, ventris apice glabro, nitido. Pedes nigri, structura ut in prioribus, femoribus cinereo-pubescentibus.

Var. b, differt magnitudine dimidio minore, antennarum basi femoribusque anticis piceo-testaceis; forte mas.

Obs. Mordella pusilla, Dej. Cat. p. 73. huic magnitudine et colore simillima, sed thorax longior, basi profunde bisinuatus, et aculeus ani etiam longior.

3. M. fasciata p. 606. *Schönh. Syn.* 3. 83. 5.

Mordella biguttata Ziegler, an etiam eadem Dej. Cat. p. 73.? monente Dom. Schüppel in litteris, qui etiam veram Mordellam fasciatam Fabr. et Oliv. communicavit, a nostra distinctam, signaturis griseo-albidis aliter dispositis, quare Synonyma, praeter Paykullianum, omittenda et nomen mutandum.

4. M. guttata p. 607.

Mordella atomaria, *Dej. Cat. p.* 73. *Schönh. Syn.* 3. 85. 16.

5. M. abdominalis p. 608. *Schönh. Syn.* 3. 86. 24.

6. M. ventralis p. 609. *Schönh. Syn.* 3. 86. 23.

7. M. humeralis p. 610. *Schönh. Syn.* 3. 86. 25.

8. M. axillaris p. 611. *Schönh. Syn.* 3. 85. 9.

Mordella collaris, *Dej. Cat. p.* 73.

9. M. variegata p. 611. *Schönh. Syn.* 3. 84. 8.

Var. *c*, *d*, *e*, Pars 3. add. p. 713.

Var. *f*, thoracis lateribus late sinuatim flavis, humeris elytrorum immaculatis, femoribus posticis nigris totis.

Ha-

Habitat in Smolandiae floribus rarius. *Dom. Boheman.*

Paulo minor specie genuina; thoracis latera late sinuatim flava, dorso longitudinaliter nigro-fusco, in medio anguste, fere interrupte; elytra tota nigra, absque macula flava humerali; femora postica nigra et tibiae ejusdem paris apice infuscatae; cetera ut in a, et b, omnino.

10. M. testacea p. 613. *Schönh. Syn.* 3. 85. 13.

11. M. frontalis p. 614.

Anaspis frontalis, *Dej. Cat. p.* 73. *Schönh. Syn.* 3. 87. 1.

Var. *b*, monente *Dom. Sturm* specie distincta, cui nomen proposuit:

11-12. M. rufilabris: elongata nigra, fusco-pubescens, ore antennarumque basi fusco-testaceis, pedibus fusco-piceis, antennis longioribus moniliformibus.

Anaspis rufilabris, *Dom. Sturm in litteris.*

Habitat in floribus et plantis frequens.

Praecedenti simillima, sed dimidio, imo duplo minor, pedum color obscurior, antennae longiores etc. Caput rotundatum, convexum, nigrum, punctulatum, pubescens, clypeo, ore, palpisque fusco-testaceis. Antennae capite cum thorace longiores, articulis tribus primis testaceis, reliquis nigris, distantibus, submoniliformibus. Thorax et scutellum ut in priori. Elytrorum forma eadem, tota nigra, evidentius transversim strigosa, quam in priori. Corpus subtus nigrum, nitidum, laeve, parum pubescens; lamina pectoralis brevior et segmentum anale angustum, absque stylo, omnino ut in priori. Pedum structura eadem; femora, etiam antica, aut nigra aut fusco-testacea, genubus, tibiis tarsisque dilutioribus.

12. M.

12. M. lateralis p. 616.
Anaspis lateralis. Schönh. Syn. 3. 88. 2.
13. M. thoracica p. 616.
Anaspis thoracica, Schönh. Syn. 3. 85. 3.
14. M. flava p. 617.
Anaspis flava, Schönh. Syn. 3. 89. 4.
15. M. obscura p. 618.
Anaspis obscura, Schönh. Syn. 3. 89. 6.
Anaspis maculata, Dej. Cat. p. 73.

RIPIPHORUS p. 619.

1. R. paradoxus p. 619. *Schönh. Syn.* 3. 79. 6.
2. R. fennicus p. 621.
Pelecotoma mosquense, Fischer. Schönh. Syn. 3. 82. 1.

Fam. 7. Cisteliniae p. 621.

CISTELA p. 622.

1. C. Ceramboides p. 622.
2. C. fulvipes p. 623.
2-3. C. rufipes Pars 3. add. p. 714.
Ad Halleberg Vestrogothiae plura individua ante aliquot annos legi.
3. C. sulphurea p. 624.
Obs. Var. b, et aliae obscuriores, semper masculini sexus; feminae semper colore sulphureo immaculato, observante Dom. Prof. Zetterstedt.
4. C. murina p. 626.

NECYDALIS p. 627.

1. N. Lepturoides p. 627.
Oedemera notata, Dej. Cat. p. 76.
2. N. fulvicollis p. 629.

2-3. M.

2-3. N. croceicollis: obscure coerulea, tenue pubescens, thorace luteo, profunde tri-foveolato, antennis subtus, palpis, tibiis tarsisque anticis luteo-testaceis, elytro singulo stria sesqui-altera elevata.

Habitat in Blekingia, *Dom. Schönherr*; in Insula Alandia, *Dom. Prof. Sahlberg*, qui etiam nomen proposuit.

Magnitudo et statura N. virescentis, et forte ad sectionem: Elytris posterius attenuatis, emendanda; quoad colores N. sanguinicolli Fabr. proxima, sed vere diversa, striis elytrorum paucioribus, colore pedum anticorum etc. Caput thorace fere majus, inaequale, obsolete punctatum, tenue pubescens, saturate coeruleum, versus os angustatum, depressum, virescens; oculi magni, ovati, prominuli, brunnei; palpi lutei, anteriores apice fusci. Antennae corpore parum breviores, filiformes, supra obscurius, subtus dilutius testaceae, articulis primis supra, reliquis apice infuscatis. Thorax latitudine brevior, antice et lateribus rotundatus, posterius paulo angustior, basi truncatus, supra depressus, totus luteus, vix punctulatus; paulo ante medium utrinque fovea magna, transversim ovata, profunde impressa; et in medio baseos tertia, transversa, utrinque angustata; praeterea in disco posteriori plerumque foveolae duae parvae rotundatae, pares, remotae. Scutellum parvum, coerulescens, apice rotundatum. Elytra antice thorace latiora, humeris elevatis, thorace quintuplo longiora, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, confertissime ruguloso-punctata, tenue pubescentia, obscure coerulea; in singulo lineae duae elevatae, una in medio, apicem fere attingens, etsi posterius obsoletior; altera interior, abbreviata, a basi versus medium ducta. Corpus subtus coeruleo-virescens, punctatum, pectoris lateribus dense pubescentibus. Pedes longiusculi, coeruleo-nigricantes, pubescentes, tibiis tarsis-

que

que primi paris luteo-testaceis; femora postica maris crassa, clavata.

3. N. cyanea p. 630.
4. N. Thalassina p. 631.
5. N. viridissima p. 632.
6. N. podagrariae p. 633.
7. N. flavescens p. 635.
8. N. clavipes p. 637.
9. N. virescens p. 638.
10. N. lurida p. 639.

SALPINGUS p. 640.

1. S. ruficollis p. 640.
Rhinosimus Roboris, Dej. Cat. p. 77.
2. S. planirostris p. 641.
3. S. ater p. 642.

3-4. S. foveolatus: nigro-aeneus, glaber, ore, antennarum basi tarsisque ferrugineis, thorace brevi, cordato, inaequali, elytro singulo fovea transversim ovata ante medium.
Liungh; Act. Holm. 1823. *p.* 269. *Tab.* 3. *fig. h.*
Habitat in Smolandia ad praedium Skjärscö; *Dom. Liungh;* in Vestrogothia semel a me lectus.

S. atro similis et affinis, sed plus duplo major. Caput magnum, porrectum, nigro-aeneum, confertim punctatum, antice inter antennas impressum; oculi laterales, parvi, sed valde prominuli, globosi, brunnei; os productum ferrugineum, labro magno, supra infuscato, praesertim anterius. Antennae vix longitudine capitis cum thorace, sub-moniliformes, extrorsum sensim crassiores, articulis 1—6, ferrugineis, reliquis nigris, cinereo-pubescentibus, ultimo magno, ovato. Tho-

Thorax latitudine antica brevior, cordatus, antice multo latior, truncatus, lateribus ante medium ampliatus, dein angustatus, basi sub-truncatus, supra parum convexus, nigro-aeneus, confertim et sat profunde punctatus, inaequalis, impressionibus duabus semicircularibus, dorso conniventibus, externe fere apertis, notatus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra antice thoracis basi duplo latiora, humeris elevatis, rectangulis, thorace quadruplo longiora, sublinearia, apice rotundata, supra modice convexa, nigro-aenea, nitida, in disco sat regulariter striatim punctata, versus basin vero profunde, versus apicem obsoletius confertim vage punctata; ante medium singuli elytri fovea magna, transversim ovata, profunde impressa. Corpus subtus nigrum vel nigro-piceum, pectore punctulato, ventre sub-laevi. Pedes mediocres, nigri, tarsis ferrugineis.

4. S. bimaculatus p. 644.

5. S. denticollis Pars 3. add. p. 715.

6. S. cursor Pars 3. add. p. 716.

Etiam Upsaliae a Dom. Haeffner captus.

Sectio III.

Tetramera.

Tarsi omnes articulis quatuor.

Fam. 1. *Bruchelae.*

ANTHRIBUS.

1. A. latirostris Pars 3. p. 1.

Ad sub-genus Platyrhinus Schönherr pertinet.

2. A. albinus p. 3.

3. A. albirostris p. 4.

4. A. dorsalis p. 5. *Ahr. Fn. Ins. Eur.* 6. *f.* 12.

5. A. niveirostris p. 6.

5-6. A. sepicola: oblongus, nigro-fuscus, cinereo-varius, thorace striga postica elevata sub-recta, tuberculisque duobus nigris, elytris macula media nigra, sub-holosericea.

Herbst. Col. 7. 166. 7. *Tab.* 106. *f.* 7. *D. Fabr. S. E.* 2. 411. 51?

Habitat in Oelandia. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Magnitudo statura et affinitas A. niveirostris. Caput deflexum, rostro lato, plano, rotundato, una cum fronte pilositate depressa albida tecto; oculi laterales nigri. Antennae longitudine thoracis, tenues, ferrugineae, clava tri-articulata, obtusa. Thorax antice angustior, lateribus rotundatus, basi truncatus, supra convexus, nigro-fuscus, pube depressa cinereo-ferruginea variegatus; ante medium dorsi tubercula duo parva, approximata, nigra, acuminata, et pone medium striga transversa, valde elevata, sub-recta. Scutellum parvum, cinereo-pubescens. Elytra latitudine medii thoracis illoque plus duplo longiora, apice singulatim rotundata, supra convexa, obsolete punctato-striata, pube depressa cinereo-rufescente obducta, punctisque albidis nigrisque alternantibus, lineatim dispositis variegata; paulo pone scutellum, juxta suturam, tubercula duo parva, elevata, nigra, et fere in medio disci singuli elytri macula major, difformis nigra, subholosericea. Corpus subtus nigro-fuscum, pube brevi, depressa, fusco-rufescente, tectum. Pedes mediocres fusco-ferruginei, annulis albidis variegati.

6. A. cinctus p. 7.

6-7. A. undulatus: oblongo-ovatus ater, confertissime profundius punctatus, rostro

basi

basi angustato, thorace postice striga transversa elevata sub-recta, elytris strigis undulatis punctisque albido pubescentibus.
Panz. Ent. Germ. p. 294.
Habitat ad Sparrsätra Vestrogothiae rarissime.
Dom. Schönherr.

Statura et fere magnitudo A. cincti. Caput deflexum, atrum, confertissime et profunde punctatum, fronte convexa, pulvinata; rostrum capite fere longius, basi coarctatum, apice sub-orbiculatum, supra planum, subtilius quam caput punctatum, pube tenui cinerea adspersum, unde minus nigrum; oculi laterales prominuli, brunnei. Antennae capite cum rostro parum longiores, filiformes, nigrae, clava majuscula, ovata, triarticulata. Thorax latitudine brevior, antice truncatus, compressus, angulis et lateribus deflexis, basi etiam truncatus, angulis obtusis; supra convexus, ater, confertissime profunde punctatus; in disco anteriore foveola transversa impressa, in fundo albido-pilosa, et longe intra basin striga transversa, valde elevata, recta, versus margines tantum nonnihil antrorsum arcuata. Scutellum parvum, elevatum, rotundatum, dense albido-pubescens. Elytra antice latitudine baseos thoracis, humeris rotundatis, pone humerum nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse-rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, in disco anteriore impressa, nigra, sat profunde punctato-striata, interstitiis confertim punctulatis; strigis pluribus transversis, undulatis, interruptis et irregularibus e pilis depressis cinereo-albidis, ornata. Corpus subtus nigrum, confertissime punctatum, pube tenui adspersum. Pedes mediocres, femoribus nigris, tibiis tarsisque piceis.

Obs. Species No. 3, 4, 5, 5—6, 6, et 6—7, ad sub-genus Tropideres Dom. Schönherr, pertinent; sequentes duae ad sub-genus Brachytarsus.

7. A. scabrosus p. 8.

8. A.

8. A. varius p. 10.

Obs. Metamorphosis hujus Insecti a Dom. G. R. Dalman detecta et in Act. Holm. 1824, p. 388. descripta.

BRUCHUS.

1. B. granarius p. 11.
2. B. Loti p. 13.
3. B. Cisti p. 13.
4. B. seminarius p. 14.

Fam. 2. Curculionides.

Sect. I. Recticornes.

(Attelabides, Rhinomacerides et Apionides, Schönherr).

ATTELABUS.

1. A. Coryli p. 16. Ad Genus Apoderus *Schönherr* pertinet.
2. A. Curculionoides p. 18. Attelabus *Schönherr.*

RHYNCHITES.

1. R. Betuleti p. 19.
   Rhynchites Betulae, Oliv. Ent. 5. 81. *p.* 21. 29. *Attel. Tab.* 2. *f.* 29. *a.*
2. R. Populi p. 21. *Oliv. Ent.* 5. 81. *p.* 20. 28. *Attel. Tab.* 2. *f.* 28.
3. R. Bacchus p. 23. *Latr. Gen. Ins.* 2. 48. 1. *Oliv. Ent.* 5. 81. *p.* 20. 27. *Attel. Tab.* 2. *f.* 27. *a, b, c.*
4. R. cupreus p. 24.
   Rhynchites punctatus, Herbst. Col. 7. 131. 7. *Tab.*

Tab. 104. *f.* 7. *a.* *Oliv. Ent.* 5. 81. *p.* 29. 42. *Attel. Tab.* 2. *f.* 42.

Var. *c*, thorace nigro-coerulescente.

Habitat in Smolandia. *Dom. Boheman. Mus. Dom. Schönherr.*

5. R. aequatus p. 25. *Oliv. Ent.* 5. 81. *p.* 24. 33. *Attel. Tab.* 2. *f.* 33.

6. R. Alliariae p. 26. *Oliv. Ent.* 5. 81. *p.* 25. 35. *Attel. Tab.* 2. *f.* 35.

Obs. Synonymon Cl. Linnaei excludendum, utpote ad Rh. nanum pertinens.

7. R. minutus p. 27.

8. R. nanus p. 28. *Thunb. Nov. Act. Ups.* 7. 117. *Curculio alliariae, Linn. Syst.* 2. 606. 4. *Fn. Sv.* 580.

9. R. Betulae p. 29.

10. R. Rhinomacer p. 30.

Rhinomacer attelaboides, *Schönherr. Curc. Disp. meth. p.* 45. *Oliv. Ent.* 5. 87. *p.* 459. 2. *Tab.* 1. *f.* 2. *Dej. Cat. p.* 79.

APION.

Obs. Genus hoc recentiori aevo egregie elaboratum et ingenti numero specierum auctum, quare sub-divisiones necessariae evadunt, ut species facilius investigentur; tales proposuit Dom. Prof. Germar in Mag. 3. p. 41, quas et nos secuturi.

Stirps 1. Rostrum apice subulatum.

1. A. Pomonae. *Ins. Sv.* 3. 39. 7. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 143. 16. *Tab.* 2. *f.* 1. *a*, *b*, *c*.

Apion coerulescens, *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. *p.* 27. 10. *Tab.* 1. *f.* 4.

2. A. subulatum: nigrum, sub-opacum, tenuissime pubescens, antennis basi ferrugineis, rostro basi crassiusculo, apice subulato, subtus non gibboso, elytris sulcato-punctatis, interstitiis planis.

Germ. Mag. 2. *Mon. p.* 146. 17. *Pars* 3. *app. p.* 38. *Kirby Trans. Linn. Soc. p.* 28. 11. *Tab.* 1. *f.* 5.

Habitat in plantis et gramine rarius; in Lathyro pratensi, *Kirby*.

A. Pomonae minus, brevius; rostrum basi minus crassum. Corpus totum nigrum, sub-opacum, pube tenui cinerea adspersum. Caput porrectum, oblongo-quadrangulum, supra planum, crebre punctatum; fronte inter oculos multistriata; oculi magni, laterales, brunnei; rostrum feminae longitudine fere capitis cum thorace, maris paulo brevius, in utroque basi modice incrassatum, punctatum, opacum, apicem versus attenuatum, laeve, nitidum, subtus non gibbosum. Antennae ante medium rostri insertae, thoracis basin non attingentes, articulo primo longo, clavato, inferne rufescente, apice nigro, reliquis nigris, clava majuscula, acuminata. Thorax angustus, sub-cylindricus, vel anterius paulo angustior, antice truncatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, niger, confertissime punctatus, tenue pubescens; canalicula dorsalis tenuis, obsoleta, abbreviata. Scutellum minutum punctiforme. Elytra magna, ob-ovata, antice thoracis basi dimidio latiora, lateribus ampliata, inflexa, apice rotundata, supra valde convexa, praesertim posterius; nigra, opaca, sat profunde sulcata et in sulcis catenato-punctata, interstitiis latis, planis, laevibus. Corpus subtus nigrum, punctatum, tenue pubescens. Pedes elongati, validi, nigri.

3. A. craccae p. 38. 6. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 147.

147. 18. *Tab.* 2. *f.* 2. *a*, *b*. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. *p.* 29. 12.

Mas: *Germ. Mag.* 2. add. p. 255. 6.

Apion ruficorne, *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 149. 19. *Tab.* 4. *f.* 20. *a*, *b*. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. *p.* 30. 13.

Stirps 2. Rostrum cylindricum vel filiforme. Manip. 1. Antennae versus basin rostri insertae.

* Pedibus nigris.

4. A. Loti p. 60. n. 28. *Germ. Mag.* 2. add. 260. 28.

Apion vicinum, *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 139. 12. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 25. 8. *Tab.* 1. *f.* 3.

Apion incrassatum, *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 140. 13. *Tab.* 2. *f.* 3. *femina forte.*

5. A. atomarium p. 60. 29. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 209. 65. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 59. 40. *Tab.* 1. *f.* 14.

Apion pusillum, *Germ. Mag.* 2. *p.* 209. 66. *Tab.* 2. *f.* 4. *et Pars* 3. *add. p.* 43.

6. A. confluens: angustum, nigrum, parce pubescens, fronte sulculis duobus brevibus, profundis, postice connexis, thorace cylindrico obsoletius punctato, elytris ovatis, sulcis obsolete punctatis.

Germ. Mag. 2. *Mon.* 217. 73. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. *p.* 62. 44. *Tab.* 1. *f.* 15.

Habitat in graminosis aridis passim.

Parvum, angustum, Ap. flavipedi aequale. Caput

put breve, latiusculum, nigrum, obsolete punctulatum, fronte sulcis duobus, profundis, brevibus, postice confluentibus, litteram *y*, inversam formantibus, impressa; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, maris supra punctulatum, feminae paulo longius, magis arcuatum, laeve, nitidum; oculi parum prominuli, brunnei. Antennae vix basin thoracis superantes, paulo ante basin rostri insertae, crassae, totae nigrae, clava ovato-acuminata. Thorax angustus, cylindricus, obsolete punctatus, parce pubescens, foveola brevi baseos impressus. Scutellum parvum, punctiforme, concolor. Elytra ob-ovata, antice thorace multo latiora, lateribus ampliata, apicem versus angustiora, thorace fere quadruplo longiora, supra convexa, nigra, sub-nitida, parce pubescentia, sat profunde sulcata, sulcis obsoletius punctatis, interstitiis latis, planis, in femina subtiliter coriaceis. Corpus subtus nigrum, punctis majusculis remotis adspersum. Pedes validi, tarsis crassiusculis.

7. A. stolidum: angustum, nigrum, parce pubescens, fronte sulcis duobus longioribus, postice conniventibus, thorace antice subangustiore, obsoletius punctato-striatis.

Germ. Mag. 2. *Mon. p.* 218. 74. *Tab.* 2. *f.* 5. *a*, *b*.

Habitat prope Holmiam. *Dom. Schönherr*; in Smolandia *Dom. Boheman*.

Praecedenti simillimum et valde affine, sed plus duplo majus, sulci frontales longiores, minus profunde insculpti, elytra longiora etc. Corpus totum nigrum, pilis depressis cinereis parce adspersum. Caput breve, latum, nigrum, punctulatum, collo laevi exserto thoraci adnexum; in medio frontis sulci duo impressi, postice conniventes, minus profundi et longiores quam in praecedenti; oculi prominuli brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, maris paulo brevius, punctulatum, feminae laeve, nitidum. Antennae ut in priori. Thorax angustus, non exacte cylindricus, sed

sed anterius paulo angustior, ceterum obsoletius punctatus, parce pubescens, ut in priori. Elytra oblongo-ovata, thorace quintuplo longiora, supra modice convexa, minus profunde striata quam in priori, et in striis obsoletius punctata. Corpus et pedes ut in priori.

8. A. Hookeri: breve, nigrum, sub-pubescens, thorace lateribus rotundato-ampliato, supra crebre punctulato, elytris nitidioribus profunde sulcato-punctatis, interstitiis planis transversim strigosis.

Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. 69. 52. *Tab.* 1. *f.* 18. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 238. 92.

Habitat in Finlandiae pino et abiete. *Dom. Prytz* et *Sahlberg.*

Statura brevior, fere A. Sorbi, et minoribus ejus aequale. Caput porrectum, latiusculum, nigrum, opacum, punctulatum, tenue pubescens; rostrum maris thorace brevius, crassiusculum, punctulatum, opacum; feminae longius, magis tenue, sub-arcuatum, exterius nitidum. Antennae crassae, nigrae, vix basin thoracis attingentes, clava ovato-acuminata. Thorax antice angustior, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra convexus, sub-pulvinatus, niger, opacus, confertim punctulatus, tenue pubescens, intra basin foveola parva impressus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra magna, ovata, humeris elevatis, lateribus ampliata, inflexa, apice rotundata, supra valde convexa, nigra, magis nitida, profunde sulcata et in sulcis evidenter punctata, interstitiis latis, planis, subtilissime transversim strigosis. Corpus subtus nigrum, sat profunde punctatum, vix pubescens. Pedes validi nigri, tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.

9. A. Sahlbergii: breve, nigrum, sub-pubescens, antennis longioribus posticis, ro-

stro

stro crasso, arcuato, inaequali, thorace profundius punctato, elytrorum sulcis angustis, obsolete punctatis, interstitiis latis, planis, transversim strigulosis.

Hummel Essais Ent. 4. 61. 4.

Habitat in Fennia australi ad Willnäs, *Dom. Com. de Mannerheim;* ad Sparrsätra Vestrogothiae. *Dom. Schönherr*, junior.

Ap. Hookeri Kirby, Germar, simillimum et valde affine, sed differt: rostro crassiore, longiore, magis arcuato et inaequali, antennis longioribus, thorace profundius punctato, elytrorum sulcis angustioribus, obsolete tantum punctatis. Caput oblongum, angustum, fronte inter oculos ruguloso-punctata; oculi prominuli, brunnei; rostrum crassiusculum, maris breve, feminae longitudine fere capitis cum thorace, valde arcuatum, confertim rugoso-punctatum, ante antennas supra obsolete carinatum. Antennae nigrae, pubescentes, basin thoracis fere attingunt, clava oblongo-ovata. Thorax antice angustior, truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi in medio subemarginatus, angulis lateralibus fere rectis; supra convexus, sat crebre et profunde punctatus, canalicula abbreviata baseos impressus; niger, opacus, sub-pubescens. Scutellum parvum, triangulare nigrum. Elytra antice thorace multo latiora, tuberculo humerali elevato, glabro; lateribus nonnihil ampliata, apice rotundata, supra valde convexa, nigra, sub-nitida, sulcis profundis, sed angustis obsoletissime punctatis, exarata, interstitiis sulcis duplo latioribus, planis, subtilissime transversim strigosis. Corpus subtus nigrum, sat profunde punctatum, parce pubescens. Pedes longiusculi, validi, nigri, pubescentes, punctati, femoribus sub-clavatis, tarsis dilatatis, subtus albido-spongiosis.

Obs. Ap. vicinum Kirby, Germar, Ap. Loti, Ins. Sv. etiam huic affine, sed fere duplo minus, rostrum

strum magis tenue, thoracis latera parum dilatata, et elytrorum sulci lati, rude punctati etc.

Dom. Doctori C. R. Sahlberg, in Academia Aboensi Historiae Naturalis Professori, plurium operum ad Entomologiam spectantium auctori celeberrimo, amico suo exoptatissimo, hanc speciem dedicavit Schönh.

10. A. aeneum. *Ins. Sv.* 3. 40. 8. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 249. 103. *Tab.* 3. *f.* 8. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. p. 74. 58.

11. A. radiolus. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 246. 101. *Tab.* 2. *f.* 13. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. p. 76. 56. et *App.* 10. p. 56. 57.

Apion aterrimum, *Ins. Sv.* 3. 41. 9.

Apion oxurum, *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 247. 102. *Tab.* 4. *f.* 1. *Kirby. Trans. Linn.* 9. *p.* 73. 57.

12. A. gibbirostre. *Ins. Sv.* 3. 52. 19. *Dej. Cat. p.* 81.

Apion carduorum, *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 241. 96. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. *p.* 72. 55. *Tab.* 1. *f.* 19.

13. A. Onopordi: atrum, glabrum, thorace oblongo, cylindrico, profunde punctato, postice canaliculato, elytris ovalibus virescenti-aeneis, punctato-sulcatis.

Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. *p.* 71. 54. *et app.* 10. 24. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 240. 95. *Tab.* 2. *f.* 14.

Var. *b*, elytris coeruleo-virescentibus. *Kirby. Germ. l. c. var.* β.

Var. *c*, elytris violaceis vel nigro-coeruleis. *Kirby. Germ. l. c. var.* γ.

Habi-

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Zetterstedt*; in Kinnakulle Vestrogothiae, ipse.

Statura praecedentis, sed paulo minus. Caput breve, porrectum, nigrum, depressum, inter oculos rugoso punctatum, oculis brunneis, sub-prominulis; rostrum crassiusculum, sub-arcuatum, feminae longitudine capitis cum thorace, maris brevius, in utroque ad antennarum insertionem nonnihil tumidum, totum nigrum. Antennae breves, crassae, nigrae, clava ovata acuminata. Thorax latitudine longior, cylindricus, basi sub-bisinuatus, supra convexus, niger, punctis majusculis, valde profundis confertim perforatus et intra basin canalicula brevi, profunda impressus. Scutellum parvum, elevatum, elytris concolor. Elytra ovata, thorace multo latiora, lateribus ampliata, inflexa, apice rotundata, supra modice convexa, profunde sulcata et in sulcis punctata, interstitiis latioribus, planis; aut virescenti-aenea, aut coeruleo-virescentia, aut nigro-violacea, nitida. Corpus subtus nigrum, sat profunde punctatum. Pedes validi nigri, tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.

Stirps 2. Manip. 1. Ant. basilaribus cont.

* * Pedibus pallidis.

14. A. vernale p. 35. 2. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 131. 7. *Tab.* 2. *f.* 7. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. p. 21. 4.

15. A. rufi-rostre: nigrum, supra parce, subtus dense albido-pubescens, antennis pedibusque pallide rufis, thorace brevi, postice latiore elytris nitidis, sulcato-punctatis.
Mas: rostro breviore dimidiato anoque rufis.
Femina: rostro longiore toto anoque nigris.
Germ.

Germ. Mag. 2. *Mon. p.* 154. 23. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. *p.* 35. 17. *Herbst. Col.* 7. 111. 10. *Tab.* 102. 10. *k.* *Oliv. Ent.* 5. 84. 33. 48. *Attel. Tab.* 3. *f.* 48.

Attelabus rufirostris, *Fabr. S. El.* 2. 424. 43.

Apion Malvarum, *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 33. 16. *Femina.*

Habitat in Scaniae Malvis. *Dom. Prof. Zetterstedt* et *Sahlberg.*

Ap. flavipede paulo majus. Caput latiusculum, porrectum, depressum, nigrum, confertim ruguloso-punctatum, tenue pubescens; rostrum maris vix capite duplo longius, crassum, cylindricum, basi nigrum, punctatum, exterius rufo-flavum, nitidum, laeve, apice ipso infuscato; rostrum feminae longitudine capitis cum thorace, minus crassum, totum nigrum, nitidum. Antennae vix thoracis basin attingunt, in mare totae flavo-rufescentes, in femina ferrugineae, clava fusca. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius angustior, lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-bisinuatus, supra convexus, subpulvinatus, crebre subtiliter punctatus, ad basin obsolete canaliculatus, niger, obscurus, tenue pubescens. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thorace latiora, humeris elevatis, lateribus ampliata, inflexa, apice sub-acuminata, supra valde convexa, praesertim posterius; subtiliter striata, striis vix punctulatis, interstitiis latis, planis sub-coriaceis; aut nigro-aenea, aut virescentia, sub-nitida, pube longiori cinereo-albida parce adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, pube densa, albida tectum, ano maris rufo-testaceo. Pedes validi, rufo-testacei, tarsis infuscatis.

16. A. pallipes p. 34. 3. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 38. 20. *Tab.* 1. *f.* 7. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 160. 26. et add. 255. 3.

Apion

Apion geniculatum, *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 173. 36. *Tab.* 3. *f.* 25. *et Mag.* 3. *App. p.* 39.

Stirps 2. Manip. 2. Antennae in medio rostri insertae.

* Pedibus pallidis.

17. A. viciae p. 55. 4. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 51. 14. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 150. 20. *Tab.* 4. *f.* 15. *Add. p.* 255. 4. *et App. P.* 3. 58.

18. A. varipes: nigrum, glabrum, antennarum basi femoribus tibiarumque annulo rufis, thorace oblongo, profunde punctato, postice canaliculato, elytris oblongo-ovalibus, punctato-striatis, rostro arcuato.

Germ. Mag. 2. *Mon. p.* 173. 34. *Tab.* 4. *f.* 19.

Apion flavi-femoratum, *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. *p.* 43. 23. *var.* β.

Apion flavipes, *Ins. Sv.* 2. 36. 5. *var. c.*

Habitat in pratis rarius.

Varietatem Ap. flavipedis olim credidi, sed distinctum videtur, duplo majus, rostrum valde arcuatum, thorax profundius punctatus et pedum color alius. Caput breve, depressum, nigrum, inter oculos striato-punctatum, oculis brunneis, valde prominulis; rostrum maris capite cum thorace brevius, feminae multo longius, in utroque valde arcuatum, nigrum, supra punctulatum, apice nitidum. Antennae breves, nigrae, articulis primis rufo-ferrugineis, clava ovato-acuminata, pubescente. Thorax latitudine longior, sub-cylindricus, niger, confertissime et sat profunde punctatus, versus basin canalicula profunda, abbreviata impressus. Scutellum minutum nigrum. Elytra

tra oblongo-ovalia, antice thorace parum latiora, humeris rotundatis, tuberculo elevato instructis; lateribus ampliata, inflexa, apice rotundata, supra valde convexa, nigra, nitida, minus profunde striata, striis obsoletius punctatis, interstitiis planis, sub-coriaceis. Corpus subtus nigrum, nitidum, parce punctatum. Pedes longiusculi, validi, femoribus rufo-testaceis, apice nigris, tibiis anticis fere totis testaceis, reliquis nigris, annulo prope basin testaceo; tarsi omnes toti nigri.

19. A. Ononidis: nigrum, glabrum, antennarum basi femoribusque omnibus rufis, thorace oblongo, inaequali, profunde punctato, elytris oblongo-ovalibus, sulcato-punctatis, rostro longo arcuato.

Habitat in Bahusiae maritimis; prope Uddevalliam, in Ononide arvensi copiose lectum.

Praecedenti simile et affine, sed dimidio majus et ultra, et in pluribus distinctum. Caput cum oculis latitudine fere thoracis, nigrum, inter oculos depressum, evidenter striatum, striis in basin rostri continuatis; oculi prominuli, nigro-brunnei; rostrum feminae capite cum thorace fere longius, maris paulo brevius, in utroque valde arcuatum, nigrum, versus basin striatum, exterius nitidum, laeve. Antennae longiusculae, tenues, articulo primo longo, rufescente, sequentibus fusco-ferrugineis, clava ovata nigra, griseo-pilosa. Thorax latitudine longior, sub-cylindricus, sed lateribus inaequalis, bis quasi leviter coarctatus, angulis posticis sub-prominulis; basi truncatus, supra convexus, confertissime et profunde punctatus, punctis probe inspectis quasi ocellatis vel umbilicatis; canaliculae rudimentum prope basin obsoletum; totus saturate niger, non nitidus. Scutellum mediocre, rotundatum, nigrum. Elytra oblongo-ovalia,

lia, thorace latiora, humeris rotundatis, tuberculo humerali oblongo, elevato notatis; pone basin ampliata, lateribus inflexa, apice obtusa, supra valde convexa, sat profunde sulcata, sulcis catenato-punctatis, interstitiis planis, transversim strigosis, vel coriaceis; tota nigra, magis nitida. Corpus subtus nigrum, subnitidum, obsoletius punctulatum. Pedes elongati, validi, femoribus late rufis, apice nigris, tibiis anticis interne testaceis, externe fuscis, tibiis posterioribus tarsisque omnibus nigris.

20. A. apricans: nigrum, glabrum, antennarum basi, femoribus omnibus tibiisque anticis rufis, thorace oblongo, sub-cylindrico, subtilius punctato, elytris ob-ovalibus sulcato-punctatis, rostro longiore, parum arcuato.

Germ. Mag. 2. *Mon.* 165. 30. *Tab.* 4. *f.* 14. *a*, *b*. *Herbst.Col.* 7. 117. 17. *Tab.* 103. *f.* 5. *e.*

Apion flavi-femoratum, *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. *p.* 42. 25.

Apion flavipes, *Ins. Sv.* 3. 36. 5. *var. b.*

Curculio trifolii, *Marsh. Ent. Br.* 1. 246. 22.

Habitat in pratis passim, apud nos minus frequens.

Ap. flavipedi, cujus varietatem olim credidi, paulo majus, in elytris latius, et colore pedum distinctum. Caput oblongum, depressum, nigrum, inter oculos subtiliter ruguloso-striatum, oculis brunneis, non prominulis; rostrum feminae longitudine capitis cum thorace, maris brevius, in utroque nigrum, versus basin punctulatum, exterius laeve, nitidum, parum arcuatum. Antennae breviores, articulo primo pallide testaceo, sequentibus fusco-ferrugineis, clava ovata nigra. Thorax latitudine paulo longior, sub-cylindricus, vel antrorsum paulo angustior, supra

pra convexus, confertim subtilius punctatus, canalicula brevi postica impressus, totus niger, sub-nitidus. Scutellum minutum, nigrum. Elytra ob-ovalia, minus elongata, thorace multo latiora, supra valde convexa, nigra, nitida, parum coerulescenti-micantia, sat profunde striata et in striis evidenter punctata, interstitiis planis, sub-laevibus. Corpus subtus nigrum, parum nitidum, obsolete punctulatum. Pedes quoad formam et colores omnino ut apud praecedentem descripti.

21. A. assimile: angustum, nigrum, glabrum, antennis basi piceis, femoribus rufis, thorace cylindrico, subtilius punctato, elytris angustis, oblongo-ovatis, punctato-striatis, rostro longiore arcuato.

Germ. Mag. 2. *Mon. p.* 164. 29. *et Tom.* 3. *app. p.* 39. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 42. 22.

Apion flavipes, Ins. Sv. 3. 36. 5. *sub var. b.*

Habitat in pratis aridis sat frequens.

Praecedenti, ut et A. flavipedi simillimum, et certe nimis affine; distingui tamen posset, ab A. apricante: quod fere dimidio minus, frons inter antennas vix striata, antennarum basis picea, nec rufescens et elytra longiora, multo angustiora, minus nitida et minus profunde punctato-striata; — A. flavipedi statura et magnitudine aequale, sed color baseos antennarum et tibiarum alius; ulterior descriptio superflua, nam in ceteris cum nominatis convenit.

22. A. aestivum: nigrum, nitidum, femoribus omnibus tibiisque anticis rufis, antennis totis nigris, thorace cylindrico subtilius punctato; elytris latioribus ovalibus, sulcato-punctatis.

Germ. Mag. 2. *Mon. p.* 169. 31. *Tab.* 4. *f.* 16.

Apion

Apion flavi-femoratum, Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. 43. *var. β.*

Habitat in pratis aridis sat frequens.

Praecedentibus iterum simillimum et valde affine, statura A. apricantis, sed magnitudine a. assimilis. Caput breve, nigrum, depressum, latitudine fere thoracis, inter oculos subtiliter striatum; oculi brunnei, non prominuli; rostrum feminae capite cum thorace fere longius, arcuatum, nigrum, nitidum; maris paulo brevius, basi punctatum. Antennae breviusculae, totae nigrae, excepta basi intima articuli primi, quae interdum piceo-ferruginea. Thorax latitudine paulo longior, angustus, sub-cylindricus, supra minus convexus, confertim subtiliter punctatus, canalicula baseos obsoleta; totus niger, sub-nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra breviora, ovalia, thorace multo latiora, humeris elevatis, obtusis; supra valde convexa, sat profunde sulcata et in sulcis evidenter punctata, interstitiis planis, laevibus; tota nigra, nitida. Corpus subtus nigrum, parum nitidum, obsoletius punctatum. Pedes omnino ut apud praecedentes descripti.

23. A. flavipes. *Ins. Sv.* 3. 36. 5. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 158. 25. *Tab.* 4. *f.* 13. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 37. 19.

Obs. Varietates in Ins. Sv. l. c. allatae, deleantur, utpote ad proprias, jam descriptas species pertinentes.

24. A. frumentarium. *Ins. Sv.* 3. 32. 1.

Apion haematodes, Germ. Mag. 2. *Mon. p.* 251. 104. *et add. p.* 255. 1. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. *p.* 36. 59.

Obs. Synonymia hujus speciei vix extricanda, propter nimiam brevitatem et insufficientiam descriptionum. A. frumentarium Germarii et Kirbyi loc. cit. No. 105. et 60, ut et Herbstii, nostro quidem simi-

simile, et rostro arcuato itidem instructum, sed plus duplo majus, thorax lateribus rotundatus etc., ideoque specie distinctum, sed in Suecia non occurrit, quantum mihi innotuit, ideoque nec Insectum a Linnaeo et Paykullio descriptum esse possit; quare nomen illorum nostro competit. Inter specimina collectionis nostri, heic lecta, individua plura invenio, quorum rostrum longius, angustius et fere omnino rectum, quae differentia speciem separatam denotare videtur. Cl. De Géer, in descriptione Curculionis sanguinei, Ins. Tom. 5. 251. 40. dicit: „La trompe est deliée et de la longueur du corcelet," quod priori non competit, cui rostrum breve, crassum, quare nomen de Géeri jam memorato tribuendum.

25. A. sanguineum: pallide sanguineum, opacum, sub-pubescens, oculis solis nigris, rostro longiore, paulo angustiore, recto, pedibus pallidioribus, elytris crenato-striatis.

Curculio sanguineus, *De Géer Ins.* 5. 251. 40.

Habitat cum praecedente passim.

Magnitudo, statura, color et omnia ut in praecedenti omnino, rostro solo excepto; hoc in femina longitudine fere capitis cum thorace, cylindricum, glabrum, nitidum, fere omnino rectum; in mare tertia parte brevius, paulo latius, supra punctulatum, parum nitidum, itidem rectum.

Stirps 2. Manip. 2. ** Pedibus obscuris.

26. A. seniculus. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 216. 72. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 61. 43.

Apion tenuius, *Ins. Sv.* 3. 57. 25. *Germ. Mag.* 2. *add. p.* 258. 25. *et Pars* 3. *app. p.* 45.

Apion plebejum, *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 215. 71. *et P.* 3. *app. p.* 43.

Obs.

Obs. In nonnullis individuis utriusque sexus, thorax antice leviter constrictus, unde margo ipse elevatus apparet; Apion elongatum Germ. Mag. 2. Mon. p. 214. 70. Tab. 4. f. 7. certe huc pertinet.

27. A. civicum: nigrum, griseo-pilosum, thorace transverso, punctulato, elytris latioribus oblongo-ovalibus, sulcato-punctatis, rostro longiori arcuato.

Germ. Mag. 2. *Mon. p.* 234. 88. *Tab.* 3. *f.* 12. *a, b.*

Habitat in Scania, *Dom. Prof. Zetterstedt*; e Germania a *Dom. Schüppel* benevole missum.

Praecedenti paulo majus, praesertim in elytris latius. Caput latitudine fere thoracis, depressum, nigrum, inter oculos sub-striatum; oculi brunnei, subprominuli; rostrum feminae longitudine fere capitis cum thorace, maris brevius, in utroque arcuatum, nigrum, punctatum, pubescens, feminae extrorsum nitidum. Antennae in medio rostri insertae, longiusculae, nigrae, clava oblongo-ovata, pilosa. Thorax latitudine paulo brevior, sub-cylindricus, niger, pubescens, crebre subtilius punctatus, canalicula baseos impressus. Scutellum minutum, concolor. Elytra antice thorace fere dimidio latiora, humeris sub-rectangulis, lateribus ampliata, inflexa, apice attenuata, rotundata, supra valde convexa, nigra, longius cinereo-pubescentia, late et profunde striata, striis rude punctatis, interstitiis angustis, sub-convexis. Corpus subtus nigrum, non nitidum, confertim punctatum. Pedes longiusculi nigri, pubescentes.

28. A. superciliosum p. 58. 26. *Germ. Mag.* 2. *add p.* 259. 26. *et P.* 3. *app. p.* 45.

Apion triste, *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 233. 86. *Tab.* 3. *f.* 2. *teste D. Schüppel.*

29. A. angustatum p. 56. 24. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 221. 76. et add. p. 250. 24. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 10. *p.* 67.

Apion modestum, *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 234. 87. *Tab.* 4. *f.* 6. *teste Dom. Schüppel.*

30. A. minimum p. 59. 27. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 236. 90. *Tab.* 5. *f.* 9.

Apion velox, *Kirby Trans. Linn. Soc.* 10. 349. 64. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 199. 55. *Pars* 3. *app. p.* 41.

31. A. humile. *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 232. 85. *Tab.* 3. *f.* 1.

Apion brevirostre, *Ins. Sv.* 3. 52. 20. *Oliv. Ent.* 5. 81. 36. 52. *Attel. Tab.* 3. *f.* 52. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 68. 51.

Apion curtirostre, *Germ. Mag.* 2. *Mon.* 230. 84. *et P.* 3. *app. p.* 45.

Obs. Apion brevirostre Herbstii ad Basicornes pertinet, quare hoc Synonymon excludendum et nomen mutandum.

32. A. Sedi: brevirostre nigrum, tenue pubescens, fronte rugoso-punctata, thorace cylindrico, parcius vage punctato, elytris oblongo-ovalibus punctato-striatis.

Germ. Mag. 3. *app. p.* 49. 5.

Habitat in plantis, locis aridis, raro lectum.

Praecedenti simillimum, sed multo minus, frons evidentius rugoso-punctata et thorax minus confertim punctatus. Caput latitudine fere thoracis, oblongum, depressum, nigrum, inter oculos ruguloso-striatum,

oculis sub-depressis; rostrum vix capite longius, crassum, rectum, punctatum, pubescens. Antennae breves, nigrae, clava ovata, Thorax latitudine non longior, sub-cylindricus, supra tamen parum convexus, niger, tenue pubescens, punctis sparsis impressus, in disco multo rarioribus quam in priori; in medio baseos foveola obsoletior impressa. Scutellum minutum concolor. Elytra ovalia, antice thorace parum latiora, pone medium ampliata, apice rotundata, supra anterius parum convexa, nigra, tenue pubescentia, sulcato-striata, sulcis evidenter punctatis, interstitiis planis; sulcus suturae proximus reliquis latior et profundior, praesertim in medio. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, evidenter punctatum, parce pubescens. Pedes breviusculi, validi, nigri, pubescentes.

33. A. Marchicum. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 197. *Tab.* 3. *f.* 15. *Pars* 3. *app. p.* 45. *et* 54. *n.* 66. *Oliv. Ent.* 5. 81. 56. 53. *Attel. Tab.* 3. *f.* 53.?

Apion violaceum, *Ins. Sv.* 3. 50. 17. *excluso Syn. Herbstii.*

Apion rumicis, *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 228. 81. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 67. 49.

Obs. Color elytrorum variat, praeter violaceum, coeruleum et virescentem, etiam in aeneum et tandem fere nigrum abit. Nomen mutandum, utpote jam sequenti additum.

34. A. violaceum: nigrum, sub-glabrum, rostro breviusculo, arcuato, thorace subcylindrico, vage, parcius punctato, foveola cuneiformi impresso, elytris elongato-ovalibus punctato-sulcatis cyaneis.

Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. 65. 47. *Tab.* 1. *f.* 16.

16. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 224. 79. *et P.* 3. *app. p.* 44.

Var. *b*, elytris virescentibus. *Germ. l. c. var.* β.

Var. *c*, capite thoraceque sub-aeneo-micantibus, elytris coeruleo-virescentibus. *Germ. l. c. var.* γ.

Apion cyaneum, *Herbst. Col.* 7. 106. 7. *Tab.* 102. *f.* 7. *G.*

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Zetterstedt, Sahlberg* et *Com. Mannerheim*; in Vestrogothia. *Dom. Schönherr.* Var. *c*, in Smolandia. *Dom. Boheman.*

Medium quasi inter Ap. Marchicum et Hydrolapathi; priori multo longius, thorax angustior, rostrum crassius, elytra minus convexa; posteriori minus, rostrum longius, arcuatum, thorax parcius punctatus, foveola postica profundiore, cuneiformi impressus, cum in A. Hydrolapathi thorax confertissime punctulatus, canalicula postica angusta, tenui, abbreviata, notatus. Caput oblongum, nigrum, nitidulum, punctatum, inter oculos sub-striatim rugulosum; oculi sub-prominuli, brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, crassiusculum, arcuatum, nigrum, basi punctatum, externe nitidum. Antennae rostro paulo longiores, nigrae, clava majuscula, acuminata. Thorax angustus, capite vix latior, cylindricus, niger, interdum sub-aeneo-micans, nitidus, sat profunde et distincte, sed minus crebre punctatus, foveola baseos profunda, cunei-formi impressus. Scutellum parvum, nigrum, laeve. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, lateribus ultra medium ampliata, apice rotundata, supra in dorso anteriore fere plana, posterius convexiora; aut coeruiea, aut violaceo- et virescenti-micantia, nitida, profunde sulcata et in sulcis evidenter punctata, interstitiis fere planis, sub-laevibus. Corpus subtus nigrum, nitidum, lateri-

teribus crebre, in medio parcius punctatum. Pedes elongati, validi, femoribus sub-clavatis, nigris, nitidis, tibiarum apice tarsisque pubescentibus.

35. A. Hydrolapathi p. 51. 18. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 60. 18. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 226. 80. *Tab.* 3. *f.* 14. *et P.* 3. *app. p.* 44. *et* 54.

Obs. Differentias a praecedente ibi indicavi; striae elytrorum attentius inspectae, revera punctatae sunt, subtilius tamen et obsoletius quam in priori.

36. A. virens. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 53. 32. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 193. 52. *et P.* 3. *app. p.* 54. 68. *Herbst. Col.* 7. 118. 18. *Tab.* 103. *f.* 6. *F.*

Apion aeneocephalum, Ins. Sv. 3. 49. 6.

Obs. Teste Dom. Schüppel, Apion virens Herbstii huc pertinet, quare nomen mutandum.

37. A. ebeninum p. 48. 15. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 197. 54. *Tab.* 4. *f.* 3. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. 55. 34. *Tab.* 1. *f.* 11.

38. A. astragali p. 44. 11. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 200. 56. *Tab.* 3. *f.* 22. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. *p.* 55. 35. *Thunb. Act. Ups.* 7. 118.

39. A. Gyllenhalii. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. *p.* 62. 45. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 219. 75. *add. p.* 257. 22. *et P.* 3. *app. p.* 42.

Apion Aethiops, Ins. Sv. 3. 54. 22. *exclusis Synonymis.*

Apion unicolor, Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. 58.

58. 39. *Germ. Mag. 2. Mon. p. 206. 63. et P. 3. app. p. 42.*

Obs. Apion Aethiops Herbstii ad sequentem pertinet, teste Dom. Schüppel, quare placuit Dom. Kirby nomen mutare.

40. A. Aethiops. *Herbst. Col. 7. 120. 21. Tab. 103. f. 9. J. Germ. Mag. 3. app. p. 54. 83. et p. 43. Pars 2. Mon. p. 213.*

Apion Marchicum, Ins. Sv. 3. 47. 14. excluso Synonymo Herbstii.

Obs. Nomen Herbstii erroneae a me adhibitum, ideoque mutandum.

41. A. Ervi p. 55. 23. *Germ. Mag. 2. Mon. p. 133. 8. Tab. 5. f. 13. Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. p. 23. 5.*

Var. *b*, antennis totis pallide testaceis. Mas. *Apion Lathyri, Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. 24. 6. Germ. Mag. 2. Mon. p. 135. 9.*

Var. b, differt tantum antennis totis pallide testaceis, et hi semper masculini sexus, quorum rostrum brevius, magis pubescens; clava antennarum oblonga, acuminata, articulis in femina magis coarctatis quam in mare.

42. A. vorax p. 23. 21. *Germ. Mag. 2. Mon. p. 141. 14. Tab. 3. f. 3. Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. p.. 28. 9.*

43. A. foveolatum. *Kirby. Trans. Linn. Soc. 9. 48. 27. Germ. Mag. 2. Mon. p. 183. 44.*

Apion cyaneum, Ins. Sv. 3. 45. 12. exclusis Synonymis Fabricii et Herbstii, utpote erroneae allatae, quare etiam nomen mutandum.

Obs. Oculi globosi supra frontem assurgunt, unde frons

frons impressa apparet, quamvis revera plana est, nec ut in sequente et Ap. columbino excavata, quare nomen minus aptum. Var. γ. Kirby l. c. femina, rostro inter antennas puncto impresso, etiam heic occurrit, sed modo fortuita mihi videtur.

44. A. intrusum: nigrum, albido-pubescens, fronte intrusa, striata, rostro crassiore, sub-arcuato, elytris gibbosis coeruleis, sub-glabris, sulcato-punctatis.

Apion foveolatum var. β, Kirby, Germar, locis apud praecedentem citatis.

Habitat in Kinnakulle Vestrogothiae, pluries lectum. *Dom. Schönherr* et *Auctor.*

Praecedenti simillimum et valde affine, distinctum tamen videtur, notis in diagnosi indicatis. Caput porrectum, elongatum, posterius quasi constrictum, inter oculos profunde impressum, striis 3 l. 4, insculptum, vertice elevato, convexo; totum nigrum, punctatum, pube rigida, griseo-albida, parcius adspersum; oculi brunnei, prominuli; rostrum maris capite duplo longius, crassum, arcuatum, undique confertim punctulatum, densius pubescens; rostrum feminae adhuc longius, minus crassum, parum pubescens, unde magis nitidum, aeque punctulatum. Antennae longiusculae, tenues, nigrae, basi piceae, clava oblonga, distincte articulata. Thorax latitudine media brevior, antice paulo angustior, sed non constrictus, nec margo anticus elevatus, ut in priori; lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim sed obsoletius granulato-punctatus, canalicula sat profunda postice impressus; totus niger, pilis rigidis griseo-albidis adspersus. Scutellum minutum nigrum. Elytra brevia, valde convexa, structura omnino ut in priori, sat profunde sulcato-punctata, interstitiis planis, coriaceis; coerulea sub-nitida, fere glabra. Corpus subtus nigrum, punctatum, densius

sius albido-pubescens. Pedes elongati, validi, nigri, pubescentes.

45. A. columbinum: nigrum, sub-pubescens, fronte intrusa, sulcata, rostro elongato, arcuato, thorace sub-cylindrico, profunde punctato, postice canaliculato, elytris ovalibus punctato-sulcatis. cyaneis.

Germ. Mag. 2. *Mon. p.* 185. 45.

Habitat in caulibus et foliis Lathyri heterophylli et latifolii, ad Mysseberg Vestrogothiae copiose lectum.

Praecedenti paulo majus, longius, primo adspectu sub-simile, sed abunde distinctum, rostro multo longiore, elytris ovalibus, minus convexis etc. Caput oblongum, pone oculos constrictum, fronte profunde intrusa et in fundo sulcata, vertice elevato, convexo; totum nigrum, sat profunde punctatum, tenue pubescens; oculi majusculi, laterales, prominuli, brunnei; rostrum maris longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum, arcuatum, nigrum, punctulatum, tenue pubescens; rostrum feminae adhuc longius, ante antennas magis attenuatum, nitidum. Antennae breviusculae, tenues, nigrae, clava parum crassa, acuminata. Thorax longitudine paulo latior, sub-cylindricus, lateribus perparum ampliatus, basi sub-sinuatus, supra convexus, confertim et profunde rugoso-punctatus, canalicula dorsali, jam evidentiore, elongata, jam breviore, obsoleta, impressus; niger, opacus, parce pubescens. Scutellum rotundatum nigrum. Elytra oblongo-ovalia, minus lata et multo minus convexa quam in prioribus; sulcis latioribus catenato-punctatis exarata, interstitiis planis; vix punctulatis; jam latius coerulea, jam nigro-coerulescentia, parum nitida, tenue pubescentia. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, densius pubescens. Pedes elongati nigri, tenue pubescentes.

46. A. punctigerum. *Germ. Mag.* 3. *app. p.* 40. *et P.* 2. *Mon. p.* 188. 47.

Apion punctiger, *Ins. Sv.* 3. 46. 13. *excluso Synonymo Herbstii.*

Apion sulcifrons, *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. *p.* 50. 29.

47. S. sulcifrons: atrum, glabrum, thorace profunde sulcato, parce punctato, elytris ovato-globosis, leviter striatis, rostro longo arcuato, fronte intrusa, profunde trisulcata.

Herbst. Col. 7. 182. 25. *Tab.* 103. *f.* 12. *M. Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 189. 48. *Tab.* 2. *f.* 10. *a*, *b*.

Habitat in Scania rarius, *Dom. Prof. Zetterstedt* et *Com. de Mannerheim.*

A. Sorbi statura simile, et feminis ejus majoribus aequale, valde tamen distinctum. Caput parvum, angustum, atrum, impunctatum, fronte inter oculos valde intrusa, sulcis tribus profundis exarata, sulco medio antice latiori, postice acuminato; oculi sub-depressi, brunnei; rostrum elongatum, valde arcuatum. nigrum, nitidum, in medio incrassatum, parce et subtilissime punctulatum. Antennae in medio rostri insertae, illoque fere breviores, crassae, clava mediocri acuminata. Thorax antice paulo angustior, truncatus, basi bi-sinuatus, supra in medio transversim convexior, totus ater, glaber, nitidus, punctis rarioribus, minus profundis adspersus; canalicula dorsalis valde profunda, a basi ultra medium extensa, exaratus. Scutellum minutum, atrum, laeve. Elytra magna, thorace fere duplo latiora et quintuplo longiora, supra valde convexa, ovato-globosa, tota atra, glabra, nitida; juxta suturam utrinque stria profundior, sub-punctata; striae reliquae tenues, obsoletissime pun-

punctulatae, interstitiis latis, planis, laevibus; latera elytrorum inflexa violaceo-micantia. Corpus subtus atro-coeruleum, violaceo-micans, sat profunde punctatum. Pedes elongati validi, femoribus clavatis nigris, tibiis tarsisque piceis.

48. A. Sorbi p. 42. 10. *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 176. 37. *Tab.* 4. *f.* 23. *Kirby. Trans. Linn. Soc.* 9. *p.* 46. *f.* 25.
Apion carbonarium, *Germ. Mag.* 2. *Mon. p.* 176. 37. *Tab.* 3. *f.* 17. *et Pars* 3. *app. p.* 39. *Mas.*

Fam. 2. *Sect.* 2. *Fracticornes.*

LIXUS p. 62.

1. L. paraplecticus p. 62.

Obs. Synonymon Panzeri excludendum, utpote ad sequentem pertinens.

2. L. turbatus: niger, pubescens, flavescenti-farinosus, thorace sub-varioloso, flavescenti-bilineato, elytrorum apice attenuato, recto, sub-obtuso.
Dom. Schönherr nomen proposuit. Zetterst. Act. Holm. 1818. *p.* 255. *Not.*
Curculio paraplecticus, *Panz. Fn.* 6. *f.* 15.
Habitat in Scandice cerifolia Calmariae. *Dom. Prof. Zetterstedt;* in Finlandia. *Dom. Schönherr.*

L. paraplectico plerumque major, praesertim latior, variat tamen magnitudine; punctura thoracis et apice elytrorum recto, non acuto, praecipue distinctus. Caput parvum, confertim punctatum, pubescens, nigrum, oculis depressis brunneis; rostrum crassum, porrectum, perparum arcuatum, confertim punctatum, pube-

pubescens, longitudine capitis cum thorace. Antennae breviusculae, fusco-ferrugineae, clava obscuriore, acuminata, pubescente. Thorax brevior quam in praecedente, caeterum ejusdem structurae, antice angustior, truncatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis majusculis variolosis parcius impressus, superficie reliqua confertim subtilissime coriacea; niger, lateribus et vittis duabus dorsalibus dense flavo-pubescentibus. Scutellum minutum, immersum. Elytra antice thorace paulo latiora, pone basin nonnihil ampliata, dein versus apicem attenuata, thorace quintuplo longiora, apice recto, nonnihil adscendente, non acuto; supra modice convexa, regulariter striatim punctata, punctis majusculis, distantibus, interstitiis obsolete coriaceis; nigra, pube et pulvere cinereo vel flavescente plus minusve tecta. Corpus subtus nigrum, obsoletius punctatum, dense pubescens. Pedes nigri, pubescentes, antici validiores.

5. L. Bardanae: niger, pubescens, flavescenti-farinosus, thorace longiore sub-varioloso, antice obsolete constricto, elytris apice obtusis.

Fabr. S. El. 2. 502. 22. *Zetterstedt Act. Holm.* 1818. *p.* 254. 6.

Curculio Bardanae, *Herbst. Col.* 6. 46. 4. *Tab.* 62. *f.* 4.

Habitat in Rumice patientiae et Rheo Rhabarbaro Calmariae. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Praecedenti coloribus similis, sed plus duplo minor, elytris obtusis abunde distinctus. Caput parvum, breve, punctatum, nigrum, pubescens, oculis subdepressis brunneis; rostrum crassum, feminae longitudine capitis cum thorace, maris paulo brevius et latius, in utroque nigrum, punctulatum, pubescens, basi depressum, supra obsolete carinatum, parum arcuatum. Antennae breviusculae, obscurae ferrugineae. Tho-

Thorax latitudine baseos fere longior, sub-conicus, apice truncatus et pone apicem obsolete constrictus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, undique flavescenti pubescens et pollinosus, foveolis majusculis variolae-formibus confertim impressus, superficie interjacente subtiliter granulata vel coriacea. Scutellum minutum, triangulare, immersum. Elytra thoracis basi vix latiora, sed illo quadruplo longiora, sub-linearia, apice obtusa rotundata, supra convexa, regulariter striatim punctata, punctis majusculis, distantibus, interstitiis confertissime subtiliter granulatis vel coriaceis; nigra, pube et polline cinereo et flavescenti plus minusve tecta. Corpus subtus nigrum, pectore fortius, ventre obsoletius punctulatis, pubescentibus. Pedes validiusculi, nigri, pubescentes, antici longiores, femoribus crassis, tibiis validis arcuatis.

RHYNCHAENUS p. 63.

Obs. Familia Curculionidum, in opere nuper edito, sub titulo: Curculionidum dispositio methodica a Cl. Dom. Schönherr, solertissime elaborata, et in plurima Genera divisa. Illius amicitia suffultus, ad unamquamque a me descriptam speciem indicare volui, cuinam ex his Generibus adnumeranda est.

1. R. arcticus p. 64. Genus: Hylobius, *Schönherr Curc. p.* 170.
2. R. Pineti p. 65. *dito.*
3. R. Pini p. 66. Genus: Pissodes, *Schönherr Curc. p.* 225.
4. R. Hercyniae p. 68. *dito.*
5. R. notatus p. 69. *dito.*
6. R. Piniphilus p. 70. *dito.*
7. R. indigena p. 71. Genus: Brachonyx, *Schönherr Curc. p.* 232.

8. R.

8. R. Aethiops p. 72. Genus: Erirhinus, *Schönherr Curc. p.* 229.

Rhynchaenus Aethiops, Dej. Cat. p. 87.

9. R. bi-maculatus p. 74. Genus: Erirhinus, *Schönherr Curc. p.* 229.

10. R. acridulus p. 75. *dito.*

Obs. Varietas pedibus antennisque obscurioribus, piceis, teste Dom. Comite Dejean, est Rhynchaenus Scirpi, Fabr. Syst. Eleut. 2. 446. 43. vide Dej. Cat. p. 87.

11. R. Festucae p. 76. Genus Erirhinus, *Schönherr.*

12. R. Nereis p. 77. *dito.*

Curculio inquisitor, Herbst. Col. 7. *p.* 42. 600. *Tab.* 97. *f.* 12. *G. secundum sententiam Dom. Sturm, potius huic quam Rh. Festucae competit.*

Rhynchaenus typhae, Ahr. Nov. Act. Hall. II. 2. 15. 6. *Tab.* 1. *f.* 6. *f. cfr. ejusdem operis Heft.* 4. *p.* 69.

Obs. Rostrum feminae longum, tenue, sub-laeve, ut in descriptione loc. cit. attuli, rostrum maris paulo brevius, multo crassius et evidenter rugoso-punctatum, fere striatum. Indumento detrito, facies Insecti mutatur: Elytra tunc sat profunde crenato-striata videntur, praesertim interius versus suturam; maxima parte rufo-ferruginea, dorso anteriore plus minusve infuscato. Thoracis color variat, aut rufo-ferrugineus, aut piceus aut fusco-niger. Elytra et pedes etiam interdum magis infuscata.

13. R. cylindrus p. 78. Genus Lyprus, *Schönherr Curc. p.* 288.

Bagous attenuatus, Dej. Cat. p. 89.

Lixus

Lixus attenuatus, *Ahrens Nov. Act. Hall. II. Heft.* 2. *p.* 18. 9. *Tab.* 1. *f.* 9. *i.*

14. R. T. album p. 79. Genus Baridius, *Schönherr Curc. p* 274.

Baris atriplicis, *Dej. Cat. p.* 99.

15. R. Artemisiae p. 81. Gen. Baridius, *Schönherr Curc. p.* 274.

Baris Artemisiae, *Dej. Cat. p.* 99.

16. R. Pruni p. 82. Gen. Thamnophilus, *Schönherr Curc. p.* 51.

Obs. Thamnophilus, Schönherr; Magdalis Germar; Rhinodes, Dejean, Genus naturale et egregie distinctum videtur; plures huc pertinentes species, antea aut ignotae aut cum aliis confusae, recentiori aevo etiam intra patriam detectae et determinatae, quapropter etiam diagnosin specierum antea descriptarum emendare necesse est. Aptum ideo censui hoc Genus, quasi in Parenthesi, integrum proponere, etsi plurimae ejus species in sectione sequenti, femoribus nempe dentatis, antea descriptae exstant.

THAMNOPHILUS. Schönh.

(Characterem Generis, a Dom. Germar exhibitum, offerre licet.)

Magdalis, Genus novum.

Rostrum cylindricum, scrobe lineari, obliqua, in canthu infero oculi desinens. Antennae pone medium rostri insertae, mediocres, sub-rectae, scapo curvato, funiculo septem articulato, articulo primo maximo, clava oblonga, sub-solida. Oculi ovati, approximati. Scutellum distinctum, trigonum.

Pedes

Pedes breves, tibiis apice oblique truncatis, unco terminatis.

Corpus cylindricum, postice obtusum, antice attenuatum. Antennarum ſuniculus cum scapo sub angulo obtusissimo (praesertim in maribus) cohaeret, ita ut in nonnullis inſractae dici possint. Mares rostro breviori, interdum antennarum clava longiori et oculis prominulis discrepant. Maxilla membranacea, lobo simplici ovato, ciliato. Glossarium membranaceum, oblongo ovatum. Palpi aequales subulati. *Germ. Ins. Spec. I. p.* 191.

1. T. violaceus: nigro-coerulescens, capite vix punctulato, thorace oblongo, antice angustiore, margine depresso, lateribus subrotundato, elytris cyaneis punctato-striatis, interstitiis sub-ruguloso-granulatis, rostro modice arcuato.

Magdalis violacea, *Germ. Ins. Sp. I. p.* 192. *e.* *Rhynchaenus violaceus*, Ins. Sv. 3. 181. 97. ubi Synonyma allata et descriptio data, sed diagnosin jam emendavi, propter distinctionem a speciebus valde aſfinibus, postea detectis. Addendae quoque sunt e Musaeo Dom. Schönherri:

Var. c, elytris virescenti-aeneis; in Vermelandia a Dom. Mellerborg capta; et:

Var. d, tota nigra, e Vestrogothia.

2. T. frontalis: nigro-coerulescens, capite evidentius punctulato, thorace breviore antice angustiore, margine reflexo, elytris cyaneis punctato-striatis, interstitiis obsoletius

letius ruguloso tuberculatis, rostro valde arcuato.

Var. *b*, elytris purpurascenti-violaceis.

Habitat in frutetis passim.

Magnitudo, statura et color ut in praecedenti, cui valde affinis. Capitis forma ut in illo, sed evidentius, etsi subtiliter punctulatum et inter oculos striatum; rostrum longius et multo magis arcuatum. Thorax paulo brevior quam in priori, antice minus angustatus et juxta apicem leviter constrictus, unde margo anticus evidenter elevatus, qui in priori depressus. Elytrorum forma, color et striae ut in priori.

3. T. duplicatus: niger, capite evidentius punctulato, thorace breviore, antice angustiore, vix constricto, elytris nigro-coeruleis punctato-striatis, interstitiis simpliciter seriatim punctatis, rostro valde arcuato.

Magdalis duplicata, Germ. Ins. Sp. I. p. 194. 317.

Var. *b*, elytris etiam nigris. *Germ. loc. cit. var. β.*

Habitat cum prioribus, passim.

T. frontali simillimus et valde affinis, plerumque minor. Caput ut in illo, fronte punctulata, in femina evidentius; rostrum punctatum, valde arcuatum, feminae longitudine capitis cum thorace, maris paulo brevius et crassius. Thorax ut in T. frontali, brevior, anterius paulo angustior, obsoletius constrictus, margine parum elevato, niger, punctatissimus, linea dorsali laeviore, obsoleta. Elytrorum forma ut in prioribus, sed color minus lucidus, nigro coerulescens, interdum niger; striae sat profundae, punctis oblongo-quadratis, impressae; interstitia plana, subtilissime tantum coriacea, et in singulo series regularis, simplex, e punctis parvis impressis, posterius sensim minoribus. Femora omnia in medio crassiora, subtus dente acuto armata.

4. T. phlegmaticus.

Rhynchaenus phlegmaticus, *Ins. Sv.* 3. 182.98.

Magdalis phlegmatica, *Germ. Ins. Spec. I.* 192.*f.*

Var. *b*, corpore fere toto nigro. *Ins. Sv. l. c.*

Obs. Capite angustiore, crebre et profunde punctato, thorace sub-depresso, antice constricto et elytrorum interstitiis disperse punctatis, a prioribus optime distinguitur.

5. T. linearis: niger, parum nitidus, capite latiore, evidenter punctato, thorace oblongo, sub-depresso, profunde punctato, elytris linearibus punctato-striatis, interstitiis disperse punctulatis.

Magdalis virescens, *Germ. Ins. Spec. I.* 195. 318. *var.?*

Habitat in frutetis, semel tantum lectus.

T. phlegmatico var. b, in multis similis, diversus tamen, longe minor, angustior, caput latius, magis convexum, thorax antice non constrictus etc. Caput majusculum, convexum, nigrum, confertim punctatum, inter oculos parum impressum; rostrum capite dimidio longius, crassiusculum, valde arcuatum, nigrum, punctatum. Antennae mediocres, basi rufo-piceae, medio nigrae, clava magna, oblonga, cinereo-pubescente, distincte articulata. Thorax latitudine longior, antice angustior, vix constrictus, lateribus mox pone apicem ampliatis, dein fere rectis, basi sat profunde bi-sinuatus, angulis acutis; supra perparum convexus, fere planus, niger, confertissime et profunde punctatus; in dorso antico linea abbreviata laevis. Scutellum parvum, oblongum, nigrum. Elytra linearia, thorace parum latiora, sed quadruplo longiora, antice et postice singulatim rotundata, supra modice convexa, tuberculo humerali elevato, oblongo, praedita; late et profunde striata, striis punctis oblongo-

longo-quadratis fere contiguis impressis, interstitiis parum latis, sub-convexis, confuse seu disperse punctulatis et rugulosis; nigra, vix nitida. Corpus subtus nigrum, confertim profunde punctatum. Pedes validi nigri, femoribus medio crassioribus, subtus dente parvo armatis.

6. T. nitidus: niger, nitidus, capite punctulato, thorace oblongo, supra depresso, subtilius punctato, antice utrinque impresso, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, subtilissime sub-disperse punctulatis, rostro sub-recto.

Habitat in Ostrogothia. *Dom. Prof. Zetterstedt. Mus. Dom. Schönherr.*

Statura T. phlegmatici, sed minor et abunde distinctus. Caput majusculum, nigrum, nitidum, subtiliter punctatum, fronte inter oculos parum impressa; rostrum capite fere duplo longius, nigrum, nitidum, punctatum, fere rectum. Antennae longiusculae, aut nigro-piceae, aut fusco-ferrugineae, pilosae, clava magna cinereo-pubescente. Thorax oblongus, antice multo angustior, ibique utrinque impressus, obsolete constrictus, lateribus obliquis, fere rectis, basi bi-sinuatus, angulis prominulis acutis; supra depressus, inaequalis, niger, sat crebre sed parum profunde punctatus, canalicula media, posterius profundiore, exaratus. Scutellum oblongum, nigrum, nitidum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris subrectangulis, pone basin ampliata, apice simultaneae rotundata, supra convexa, minus profunde punctato-striata, interstitiis latis, planis, subtilissime, subdisperse punctulatis; nigra, magis quam in reliquis nitida. Corpus subtus nigrum, nitidum, tenue pubescens, crebre punctatum. Pedes longiusculi, nigri, femoribus parum crassis, subtus acute dentatis.

7. T. Cerasi, *Schönh.*

Rhynchaenus Cerasi, *Ins. Sv.* 3. 183. 99. *exclusis Synonymis Fabricii, Paykullii et Panzeri.*
Magdalis Cerasi, *Germ. Ins. Spec. I.* 192. *c.*
Rhynchaenus Armeniacae, *Fabr. S. El.* 2. 447. 46. *teste Dom. Germar, sec. Mus. Fabricianum.*

8. T. Stygius, *Schönh.*
Rhynchaenus Stygius, *Ins. Sv.* 3. 184. 100. *exclusis Synonymis Fabricii, Paykullii et Panzeri.*
Magdalis aterrima, *Germ. Ins. Spec. I.* 193. *i.*
Rhynchaenus aterrimus, *Fabr. S. El.* 2. 486. 225. *teste Dom. Germar*, *sec. Mus. Fabricianum.*
Rhynchaenus Cerasi, *Oliv. Ent.* 5. 83. 229. 124. *Tab.* 22. *f.* 309.
Rhinodes Cerasi, *Dej. Cat. p.* 98. *ab ipso Comite communicatus.*

9. T. atramentarius, *Schönh.*
Magdalis atramentaria, *Germ. Ins. Spec. I.* 193. *g.*
Mas: rostro brevi, crasso subrecto, apice dilatato, antennis crassis, clava elongata, 4-articulata.
Rhynchaenus atratus, *Ins. Sv.* 3. 187. 102.
Curculio Cerasi, *Mas*, *Payk. Fn.* 3. 193. 10.
Femina: rostro tenuiore, arcuato, cylindrico, antennae basi tenues.
Rhynchaenus carbonarius, *Ins. Sv.* 3. 185. 101. *exclusis Synonymis Fabricii et Paykullii.*

Obs. In Ins. Sv. l. c. dudum autumavi, Rh. atratum a carbonario sexu solum distinctum esse, quod etiam experientia dein confirmatum est. Rhynchaenus semicylindricus, Ins. Sv. 3. 180. 96. Mecinus pyrastre Schönh. Curc. a Dom. de Paykull

kull ut femina ejus Curc. Cerasi inspectus, secundum ejus Musaeum; sed ejus Curculio carbonarius mihi plane ignotus, nec in Musaeo Paykulliano jam exstat.

10. T. Rhina, *Schönh.*

Rhynchaenus Rhina, Ins. Sv. 3. 83. 77. *excluso Synonymo et var. b, quae ad speciem sequentem pertinent.*

*Magdalis Cerali, Mas.Germ.Ins.Spec.I.p.*192.*c.*

11. T. barbicornis: niger, sub-opacus, antennis ferrugineis, clava longissima nigro-fusca, thorace antice coarctato, supra planiusculo, foveolato, elytris nitidioribus sulcato punctatis, interstitiis convexis, subtilissime strigosis.

Rhina barbicornis, Latr. Gen. Ins. 2. 264.

Panus (sub-genus) barbicornis, Schönh. Curc. disp. method. p. 52.

Magdalis barbicornis, Germ. Ins. Spec. I. p. 192.*b.*

Rhynchaenus Rhina, Ins. Sv. 3. 83. 77. *var. b.*

Habitat in foliis Pruni, Padi, Sorbi, rarius.

Praecedenti, cujus varietatem olim credidi, simillimus; distinctus tamen, antennarum forma et colore, thorace lateribus minus dilatato, elytrorum interstitiis subtilius strigosis etc. Caput breve, latum, convexum, nigrum, confertim punctulatum; rostrum vix capite longius, crassum, punctatum, nigrum, apice paulo latius, depressum. Antennae capite cum thorace fere longiores ferrugineae, clava nigro-fusca, pubescente, longissima; articulus primus longus, clavatus, secundus brevior, crassus, cyathiformis; tertius angustus, subconicus; 4—7, brevissimi, coarctati, perfoliati; octavus multo latior, sed etiam brevissimus, perfoliatus; 9, 10, valde crassi, elongati, sub-cylindrici, primo

breviore; ultimus longitudine duorum praecedentium, basi illis adhuc crassior, apicem versus acuminatus; hi tres articuli, clavam nigro-fuscam, dense hirtam constituentes, simul sumtae flagello duplo longiores. Thorax latitudine baseos non longior, antice multo angustior, constrictus, margine elevato, in medio emarginato; lateribus multo minus quam in priori ampliatus, dein angustior, angulis posticis iterum prominulis; basi truncatus, supra parum convexus, inaequalis, foveolis tribus obsoletis impressus, duabus in medio dorsi, paribus, lunatis, tertia in medio baseos; in dorso antico linea elevata, laevis, abbreviata; totus niger, opacus, confertissime reticulato-punctatus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, sub-laeve. Elytra thoracis basi latiora, humeris clavatis, rotundatis, thorace quadruplo longiora, fere linearia, apice singulatim rotundata, supra convexa, nigra, sub-nitida, sat profunde sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis convexis, subtilissime strigosis seu coriaceis. Corpus subtus nigrum, opacum, tenue pubescens, confertim punctatum. Pedes mediocres nigri, femoribus parum incrassatis, muticis, tarsis piceis.

12. T. tri-foveolatus: niger, sub-opacus, clava ovata fusca, thorace antice coarctato, dorso parum convexo, tri-foveolato, elytris nitidioribus sulcato-punctatis, interstitiis convexis, subtilissime strigosis.

Dom. Schönherr in litteris.

Rhina bipunctata, Dom. Megerle a Mühlfeldt in litteris.

Habitat cum praecedente; in Kinnakulle Vestrogothiae, *Dom. Schönherr*; ad *Höberg*, aliisque locis Vestrogothiae; in foliis Sorbi praesertim invenit auctor.

Praecedenti simillimus et valde affinis, rostro paulo lon-

longiore, minus crasso, antennarumque clava brevi, ovata, fere unice distinctus; forsan praecedentis femina? Caput paulo magis convexum et fortius punctatum, ceterum ut in priori; rostrum capite paulo longius, sub rectum, minus crassum, nigrum, nitidum, basi crebre punctatum, apice paulo latius, subtilius punctulatum. Antennae capite cum thorace paulo breviores, ferrugineae, clava ovato-acuminata fusca, pubescente, articulis reliquis fere ut in priori constructis. Thorax ut in praecedente formatus, supra paulo magis convexus, foveolis tribus impressis et lineola antica elevata, laevi, abbreviata, notatus, omnino ut in illo; color et punctura etiam eadem. Scutellum majusculum, nigrum, apice obtusum. Elytrorum forma, color, sulci et interstitia omnino ut in praecedenti, modo puncta in sulcis paulo majora, evidentiora. Corpus et pedes ut in priori.

13. T. Pruni, *Schönh.*

Magdalis Pruni, *Germ. Ins. Sp. I.* 192. *a.*
Rhynchaenus Pruni, *Ins. Sv.* 3. 82. 16.

RHYNCHAENUS. cont.

17. R. Rhina p. 83. vid. antea: Thamnophilus Rhina n. 10, et ejus var. b, ibid. Thamnophilus barbicornis n. 11.

18. R. bi-nodulus p. 84. Gen. Bagous, *Schönh. Curc. p.* 289.

19. R. lutosus p. 85. *dito.*

Obs. Curculio Collignensis Herbstii, huc non pertinet, testante Dom. Schüppel, qui alium, sequenti proximum, sub hoc nomine communicavit.

20. R. lutulentus p. 86. Genus Bagous, *Schönherr.*

Curculio Collignensis, *Herbst. Col.* 7. 50. 608. *Tab.* 98. *f.* 7. *c.*

Obs.

Obs. Descriptioni addendum: In illaesis individuis macula parva, rotunda, alba in elytrorum interstitio tertio a sutura paulo pone medium, et altera, magis obsoleta, posterius in callo interstitii quinti. Articulus penultimus tarsuum dilatatus, bilobus.

Var. c, antennarum scapo ferrugineo, apice nigro, tantum differt; caetera omnia conveniunt; hic ut C. Collignensis Herbstii verus, a Dom. Schüppel missus, quare etiam C. tempestivus Herbstii, heic citatus, deleatur.

20-21. R. limosus: niger, cinereo-squamosus, antennis inferne tibiisque ferrugineis, thorace brevi, variegato, elytris profunde sulcato-punctatis; tarsuum articulo penultimo angusto. Gen Bagous, *Schönh.* Habitat in littoribus argillosis lacuum, rarius; in Dalekarlia ad Hubby Kloster lectus.

Magnitudo et fere statura praecedentis. Caput breve, retractum, parum convexum, nigrum, squamulis cinereo-albidis, nitidis, omnino tectum; rostrum breve, crassum, parum arcuatum, nigrum, punctulatum, apice nitidum. Antennae vix rostro cum capite longiores rufo-piceae, scapo apice infuscato, clava brevi, ovata nigra. Thorax latitudine multo brevior, sub-quadrangulus, antice late emarginatus, intra apicem sat profunde constrictus, lobo anteriore adscendente; lateribus pone stricturam ampliatus, dein angustior, basi sub-bisinuatus, supra parum convexus, niger confertissime ruguloso-punctatus, dense squamosus, plagis duabus dorsalibus approximatis magis nudis. Scutellum triangulare, nigrum, sub-laeve. Elytra thorace multo latiora, humeris elevatis, rotundatis, posterius attenuata, thorace triplo longiora, supra convexa, sat profunde sulcata et in sulcis punctis majusculis, distantibus impressa, interstitiis angustis, elevatis, erosis, subtilissime coriaceis; nigra, squamulis cinereis obte-

obtecta. Corpus subtus nigrum, dense cinereo-squamosum. Pedes elongatis femoribus clavatis nigris, tibiis arcuatis ferrugineis, apice unico valido, incurvo armatis, tarsis tenuibus nigris, articulo penultimo praecedentibus non latiore.

20-21. R. Frit: niger, squamulis cinereis variegatus, antennis inferne tibiisque ferrugineis, thorace brevi, constricto, articulo penultimo angusto. Gen Bagous, *Schönh.*
Curculio Frit, *Herbst. Col.* 6. 256. 223. *Tab.* 78. *f.* 12.

Habitat in littoribus argillosis lacuum, rarius.

Magnitudo et statura proxime praecedentium. Caput breve, retractum, nigrum, punctatum, cinereo-squamosum, canalicula frontali impressum; rostrum capite dimidio longius, crassum, arcuatum, nigrum punctatum, basi squamosum, apice glabrum. Antennae brevissimae, structura et colore ut in priori. Thorax latitudine brevior, antice sat profunde constrictus, lobo antico adscendente, lateribus pone stricturam ampliatus, dein angustior, basi vix sinuatus, supra parum convexus, confertissime ruguloso-punctatus, dorso nigro-fuscus, stria media angusta cinereo-squamosa, lateribus late cinereo-squamosus, lituris duabus obliquis, denudatis. Scutellum minutum, nigrum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rotundatis, versus apicem attenuata, thorace triplo longiora, supra in dorso parum convexa, posterius declivia, callo elevato ante apicem notata, regulariter striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; nigra, squamulis cinereis, praesertim versus latera, variegata; in illaesis individuis punctum cinereo-albidum in interstitio tertio a sutura pone medium, et alterum in callo posteriore, ut in Rh. lutulento. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis cinereis omnino tectum. Pedes longiusculi, femoribus sub-clavatis nigris, tibiis arcuatis, aut totis, aut

aut apice tantum ferrugineis, tarsis tenuibus nigris, articulo penultimo angusto, simplici.

20-21. R. lutulosus: angustior, niger, squamulis cinereo-albidis variegatus, tibiis sub-arcuatis ferrugineis, thorace profunde constricto, antice elevato, elytrorum interstitiis alternis elevatioribus, tarsuum articulo penultimo angusto. Ad Genus Bagous *Schönh.* pertinet.

Habitat ad littora lacuum, in Westrogothia, rarius. *Dom. Schönherr* et auctor.

Praecedentibus plus duplo minor, praesertim angustior, et distinctus. Caput rotundatum, convexum, retractum, rugoso-punctatum, nigrum, squamulis cinereo-albicantibus omnino tectum, maculis duabus frontalibus ovatis, magis denudatis; rostrum vix capite dimidio longius, crassum, arcuatum, nigrum, subtilius punctulatum. fere totum supra cinereo-squamosum. Antennae rostro cum capite parum longiores, tenues, totae nigrae, clava majuscula, ovata. Thorax longitudine vix latior, longe intra apicem profunde constrictus, lobo antico lato, alte adscendente, lateribus pone stricturam fere rectis, basi obsolete bisinuatus, supra perparum convexus, confertim ruguloso-punctatus, dorso niger, linea media albo-squamosa, lateribus albo squamosus, utrinque maculis duabus denudatis. Scutellum minutum nigrum. Elytra thorace latiora, humeris rotundatis, et illo vix triplo longiora, apice attenuata, supra in dorso anteriore parum convexa, posterius declivia, regulariter punctato striata, sutura interstitiisque tertio et quinto elevatioribus, convexis, reliquis planis, omnibus subtilissime coriaceis; in interstitio tertio a sutura, paulo pone medium, macula oblonga cinereo-albida; in quarto et quinto lineae, utrinque abbreviatae; in sexto et septimo lineae ab humero exeuntes, posterius abbrevia-

viatae; ejusdem coloris, omnes simul plagam inaequalem formantes. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis cinereis omnino tectum. Pedes mediocres, subtiliter squamulosi, femoribus sub-clavatis nigris, tibiis ferrugineis, brevioribus et minus arcuatis quam in prioribus, tarsis tenuibus nigris, articulo ultimo praecedentibus non latiore.

21. R. Alismatis p. 87. Gen. Hydronomus, *Schönh. Curc. p.* 231. *n.* 131.
Bagous productus var. Dej. Cat. p. 89. *sed vere distinctus, notis in diagnosi et descriptione allatis.*

22. R. costatus p. 89. Gen. Gronops, *Schönh. Curc. p.* 157. n. 81.
Obs. Nomen mutandum, nam certe est:
Curculio lunatus, Fabr. S. El. 2. 524. 100. *Herbst. Col.* 6. 495. 523.
Curculio percussor, Herbst. Col. 6. 250. 215. *Tab.* 78. *f.* 4.
Rhynchaenus rubricus, Ahr. Nov. Act. Hall. 2. 2. 16. 7. *Tab.* 1. *f.* 7. *g. et p.* 38. 8.

23. R. Sisymbrii p. 90. Gen. Ceutorhynchus, *Schönh. Curc. p.* 296.

24. R. Equiseti p. 91. Gen. Erirhinus, *Schönh. Curc. p.* 229. subgen. Grypidius p. 231.

25. R. atrirostris p. 92. Gen. Erirhinus, *Schönh. Curc. p.* 231.

26. R. brunnirostris p. 93. *dito.*
Curculio obliteratus, Herbst. Col. 6. 273. 245. *Tab.* 81. *f.* 2.

26–27. R. Fringilla: ovatus, niger, antennis ferrugineis, rostro basi carinato, thorace transverso, rugoso punctato, nigris punctulatis, elytris subtiliter transversim rugulosis, punctato-striatis, griseo-fasciculatis. Gen. Larinus, *Schönh. Curc. p.* 219. n. 123.

Larinus Sturnus, *Germ. Ins. Sp. I.* 384. 528.
Rhinobatus Fringilla, *Dej. Cat. p.* 98.
Habitat in Finlandia et Bothnia orientali.
Dom. Wasastjerna et *Com. Mannerheim.*

Inter majores generis, Rh. abietis mediocri latitudine aequalis, sed brevior, variat tamen magnitudine. Caput parvum, breve, retractum, nigrum, obsoletius ruguloso-punctatum, fronte inter oculos foveola impressa; oculi oblongi brunnei, non prominuli; rostrum feminae longitudine capitis cum thorace, maris tertia parte brevius, in utroque crassum, punctulatum, parum arcuatum, anterius carinatum, nigrum, sub-nitidum. Antennae breves, crassiusculae, piceo-ferrugineae, clava cinereo-pubescente. Thorax brevis, transversus, antice angustior, coarctatus, lateribus sub-rotundatus, basi profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus acuminatis; supra minus convexus, in-aequalis, in medio baseos et apicis canaliculatus, niger, opacus, confertim et profunde rugoso-punctatus, rugis elevatis iterum subtilissime punctulatis; latera thoracis cinereo-pubescentia, saepius e polline florum flavescentia. Scutellum parvum, depressum, nigrum. Elytra ampla, antice thorace latiora et illo quadruplo longiora, humeris et apice rotundatis; supra valde convexa, ante apicem transversim depressa, nigra, obsoletius striato-punctata, punctis distantibus, interstitiis planis, subtiliter coriaceis vel transversim rugulosis; fasciculis pilorum grisescentium plus minusve adspersa, majore rotundato plerumque juxta scutellum

utrin–

utrinque. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, griseo-pubescens, indumento plerumque tam supra quam subtus e polline florum flavescente vel virescente. Pedes validi, nigri, pubescentes, antici longiores et crassiores.

27. R. Rumicis p. 94. Gen. Phytonomus, *Schönh. Curc. p.* 175. n. 94. et huic Generi adnumerantur species jam sequentes, usque ad No. 46., R. bipunctatus.

28. R. Pollux p. 96.

29. R. miles p. 97.

Var. *b*, linea media thoracis obsoleta vel nulla, et hoc in utroque sexu.

Habitat cum priori frequens.

Var. *c*, pallidior, pedibus totis testaceis.

Habitat cum prioribus, rarius.

Squamulae corpus tam supra quam subtus tegentes, pallidae; linea media thoracis cupreo-micans. Pedes toti testacei.

Var.? *d*, elytrorum sutura postice lineisque tribus singuli elytri abbreviatis albis, nigro-maculatis, pedibus totis testaceis.

Habitat in Kinnakulle Vestrogothiae, semel captus.

Thorax niger, linea media angusta, albissima. Elytra brunneo-squamosa, sutura a medio ad apicem et interstitia, tertium, quintum et septimum alba, nigromaculata. Pedes toti testacei.

30. R. pedestris p. 98.

31. R. elongatus p. 99.

32. R. arundinis p. 100.

33. R. Viciae p. 101.
34. R. Plantaginis p. 103.
35. R. variabilis p. 104.
36. R. murinus p. 105.
37. R. fasciculosus p. 107.
Curculio Dauci, *Oliv. Ent.* 5. 83. 124. 74. *T.* 35. *f.* 542.
38. R. punctatus p. 108.
Curculio Philanthus, *Oliv. Ent.* 5. 83. 123. 72. *Pl.* 35. *f.* 541.
39. R. Polygoni p. 109.
40. R. Trifolii p. 111. Hypera Meles, *Germ. Mag.* 4. 340. 9. *var. c, d*, Hypera pallida, *Dej. Cat. p.* 88.

Var. *e*, thorace elytrisque pube cinerea unicolore adspersis, absque lineis albidioribus.

Habitat cum prioribus.

Corpus nigrum ut in a, antennis tibiisque ferrugineis, sed pubescentia cinerea thoracis et elytrorum rarior, unicolor, absque signaturis; tibiae posteriores interdum nigrae.

41. R. posticus p. 113. Hypera postica, *Germ. Mag.* 4. 340. 10.
42. R. nigri-rostris p. 114. Hypera nigrirostris, *Germ. Mag.* 4. 338. 5.
43. R. borealis p. 115. Hypera borealis, *Germ. Mag.* 4. 339. 7.

Obs. Typum hujus Insecti e Musaeo Paykulliano, jam accuratius lustravi, et eundem omnino cum sequenti, R. dissimili, invenio, quare e numero specierum delendus est.

44. R. dissimilis p. 116. Hypera dissimilis, *Germ. Mag.* 4. 340.

45. R. Scanicus p. 118. Hypera Scanica, *Germ. Mag.* 4. 338. 3. 8.

46. R. bi-punctatus p. 119. Hypera bipunctata, *Germ. Mag.* 4. 338. 4.

Var. *b*, tibiis etiam nigris vel nigro-piceis.

Habitat cum a, passim.

47. R. Carpini p. 120. Genus Tychius, *Schönh. Curc. p.* 245. n. 142.

48. R. picirostris p. 121. Gen. Tychius, *Schönherr.*

Obs. Corpus supra pube densa, depressa, aut cinereo-albida aut flavescente obductum; subtus squamulis niveis omnino tectum; femora antica interdum, rarius omnia infuscata. Rostri apex semper late ferrugineus. Var. b, observante oculatissimo Dom. Schönherr, essentialiter differt, funiculo antennarum sexarticulato tantum, quare non specie solum distinxit, sed etiam ut sub-genus, Miccotrogus, proposuit; sub nomine Marshami ideo assumendus.

48-49. R. cinerascens: angustior, niger, convexus, supra parcius cinereo-pubescens, antennarum basi, tibiis tarsisque ferrugineis, rostri apice vix rufescente, antennarum funiculo sex-articulato.

Curculio cinerascens, Marsh. Ent. Br. 1. 248. 28.

Rhynchaenus picirostris var. b. Ins. Sv. 3. 121. 48.

Var. *b*, thoracis linea media longitudinali elytrorumque sutura densius albido-villosis.

Habitat a, cum praecedente, non infrequens;

quens; var. *b*, in Scania prope Londinum. *Dom. Fries.*

Praecedente plerumque dimidio minor, praesertim angustior, caeterum excepto colore rostri, clavae antennarum et femorum, omnino similis et nimis affinis. Caput rotundatum, nigrum, pubescens, punctulatum; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, arcuatum, basi crassum punctulatum, apicem versus attenuatum, laeve, nigrum, vix apice ipso rufescente. Antennae crassiusculae, articulis primis rufo-testaceis, reliquis, cum clava nigro-fuscis, pubescentibus. Thoracis structura et punctura ut in praecedenti, sed minus dense pubescens. Elytrorum forma eadem, tota nigra, sat profunde punctato-striata, interstitiis pube depressa cinereo-albida, minus densa, striatim adspersis. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis niveis tectum. Pedes crassiusculi, pubescentes, femoribus nigris, tibiis tarsisque ferrugineis.

Var. b, secundum diagnosin tantum differt.

49. R. Beccabungae p. 122. Gen. Gymnaetron, *Schönh. Curc. p.* 319.

Cionus Veronicae, *Germ. Mag.* 4. 305. 11.

Var. *b*, Cionus Beccabungae, *Germ. Mag.* 4. 305. 11.

Obs. Vix specie distincta; promiscue cohabitant; magnitudo et color diversimode variant; puncta striarum in elytris plus minusve perspicua, ratione pubescentiae rarioris vel densioris.

50. R. pascuorum p. 124. Gen. Gymnaetron, *Schönh.*

Cionus pascuorum, *Germ. Mag.* 4. 206. 13.

Cleopus nanus, *Dej. Cat. p.* 83.

Obs. Femora, praesertim antica, plerumque dentata.

51. R. tricolor p. 126. Gen. Gymnaetron, *Schönherr.*

Cio-

Cionus labilis, *Germ. Mag.* 4. 306. 14.
Curculio labilis, *Herbst. Col.* 6. 244. 208. *Tab.* 77. *f.* 12.

52. R. Lythri p. 127. Genus Nanodes, *Schönh. Curc. p.* 322.
Cionus Lythri, *Germ. Mag.* 4. 314. 32.

52–53. R. globulus: niger, nitidus, subpubescens, antennarum femorumque basi tibiisque rufo-testaceis, elytrorum disco indeterminate testaceo, nigro-punctato.
Cionus globulus, *Germ. Mag.* 4. 315. 33.
Nanodes globulus, *Schönh. Curc. p.* 323.
Habitat in Vestrogothia, ad Höberg, in graminosis aliquoties excipulo captus.

Affinis R. Lythri, sed minor, in elytris brevior, magis convexus. Caput nigrum, punctulatum, pubescens, oculis depressis brunneis; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, parum arcuatum, basi coarctatum, totum nigrum, striatum, pubescens. Antennae capite cum rostro longiores, scapo articulisque primis flagelli testaceis, clava magna, elongata, nigra. Thorax brevis, conicus, antrorsum valde angustatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, punctulatus, niger, nitidus, cinereo-pubescens. Scutellum minutum, immersum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris sub-elevatis, thorace triplo longiora, apice rotundata, supra valde convexa, profunde striato-punctata, tenue pubescentia, maxima parte testacea, basi, introrsum latius, margineque laterali nigris; praeterea puncta aliquot sparsa nigra in disco et sutura. Corpus subtus nigrum, punctulatum, parum pubescens. Pedes elongati, validi, femoribus crassiusculis nigris, basi et subtus, ut et tibiis totis rufo-testaceis; tarsi fusco ferruginei.

53. R. Ptinoides p. 128. Gen. Tylodes, sub-gen. Acalles, *Schönh. Curc. p.* 295.

54. R. Lemnae p. 129. Gen. Tanysphyrus, *Schönh. Curc. p.* 168.

55. R. Campanulae p. 130. Gen. Gymnaetron, *Schönh. Curc. p.* 319.

Cionus Campanulae, *Germ. Mag.* 4. 308. 20.
Curculio ellipticus, *Herbst. Col.* 6. 171. 131. *Tab.* 71. *f.* 13.

56. R. viscariae p. 132. Gen. Sibynes, *Schönh. Curc. p.* 247.

57. R. signatus p. 133. *dito.*

Curculio primitus, *Herbst. Col.* 6. 104. 64. *Tab.* 66. *f.* 8.

Etiam in Westrogothia jam pluries lectus.

58. R. globosus p. 134. Gen. Orobitis, *Schönh. Curc. p.* 314.

59. R. scortillum p. 135. Gen. Amalus, *Schönh. Curc. p.* 240.

Var. *b*, elytris anterius brunneo-rufis, apice dilutioribus.

Habitat cum a, passim. *Dom. Schönherr* et auctor.

60. R. rubicundus p. 136. Genus Ceutorhynchus, *Schönh. Curc. p.* 296, et huic Generi etiam sequentes species adnumerantur, usque ad No. 72. Rh. Epilobii, inclusive.

61 R. Quercus p. 138.

62. R.

62. R. Geranii p. 140.

63. R. assimilis p. 141.

Obs. Species duae, sub hac denominatione confusae, quae distinguendae, quapropter etiam diagnosis mutanda:

R. assimilis: plumbeo-niger, parcius pubescens, thorace canaliculato, evidentius bi-tuberculato, antice reflexo, elytris longioribus, apice vix muricatis, rostro longissimo, tenui.

Falciger alauda, Dej. Cat. p. 84. *ab ipso Comite sub hoc nomine communicatus.*

Ceutorhynchus assimilis, Germ. Ins. Sp. I. 220. 20.

Habitat in plantis Tetradynamis frequens.

63-64. R. Syrites: saturate niger, densius pubescens, pedibus sub-piceis, thorace canaliculato, obsoletius bi-tuberculato, antice reflexo, elytris brevioribus, apice muricatis, rostro longissimo, tenui.

Ceutorhynchus Syrites, Germ. Ins. Sp. I. 232. 358.

Falciger assimilis, Dej. Cat. p. 84. *ab ipso ita designatus.*

Habitat cum praecedente, minus tamen frequens.

Praecedenti quidem valde similis et affinis, sed tamen notis indicatis distinctus. Caput, rostrum et antennae ut in priori, modo color saturatius niger et pubescentia cinerea longior. Thorax quoad structuram ut in praecedenti, sed saturatius niger, paulo profundius punctatus, tubercula lateralia obsoletiora et pubescentia longior; margo anticus etiam plerumque altius elevatus, reflexus. Elytra antice thoracis basi

multo latiora, humeris elevatis, rotundatis, pone basin ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix plus quam duplo longiora, supra modice convexa, profunde crenato-striata, interstitiis evidenter rugulosis, versus apicem tuberculis crebris muricatis; saturate nigra, pilis rigidis albidis depressis adspersa. Pygidium sub-orbiculatum, albido-pilosum. Corpus subtus nigrum, dense albo-squamosum. Pedes validi, nigri, pubescentes, interdum picei, praesertim anteriores.

64. R. Erysimi p. 142.

65. R. contractus p. 143.

Obs. In illaesis individuis elytra posterius pilis parvis, raris, depressis, cinereis adspersa. Ceut. hirtulus Germarii, huic simillimus, sed paulo major, densius hirtus et femora posteriora sub-dentata, quare in sectione sequenti quaerendus.

66. R. Cochleariae p. 144.

66-67. R. pumilio: fusco-piceus, albido-sub-pilosus, rostro brunneo, pedibus testaceis, thorace transversim convexo, elytris sub-globosis, profunde punctato-striatis, humeris prominulis.

Var. *b*, femoribus medio infuscatis.

Var. *c*, supra dilutius fusco-testaceus, rostro rufescente, pedibus pallidis.

Habitat in aridis, arenosis, ad Esperöd Scaniae. *Dom. Prof. Fallén* et *Zetterstedt.*

Medius quasi inter R. Cochleariae et floralem, sed duplo minor. Caput oblongum, nigricans, crebre et profunde punctatum, pilis minutis, rigidis, depressis, albidis, nitidis adspersum; oculi sub-globosi, brunnei; rostrum longitudine dimidii corporis, tenue, valde arcuatum, rufo brunneum, nitidum, subtilissime striatum. Antennae rostro longiores, tenues, nigrae,

nigrae, basi piceae, clava majuscula, acuminata, pubescente. Thorax brevissimus, transversus, antice multo angustior, profunde constrictus, margine alte elevato, reflexo; basi profunde bi-sinuatus, declivus, supra in medio transversim valde convexus, tuberculo obsoleto utrinque notatus, vix canaliculatus, modo in medio baseos foveola oblonga impressus; totus fusco-piceus, confertim punctulatus, pilis similibus, uti caput adspersus. Scutellum vix observandum. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris prominulis, et latitudine baseos parum longiora, apice rotundata, supra valde convexa, sub-globosa, fusco picea, profunde punctato-striata, interstitiis angustis, sub-rugosis; pilis similibus uti caput et thorax adspersa. Corpus subtus fusco-piceum, confertim punctatum, albido pilosum.

Pedes validi, testacei, femoribus clavatis.

Var. b, differt tantum femoribus in medio magis fuscis.

Var. c, dilutius fusco-testacea, rostro rufescente, pedibus totis pallidis; forte immatura.

67. R. floralis p. 145.

68. R. depressicollis p. 147.

69. R. Ericae p. 147.

Falciger rufirostris, *Dej. Cat. p.* 84.

70. R. Querceti p. 149.

Obs. In gramine pratorum humentium, tempore vernali pluries excipulo captus.

70-71. R. apicalis: niger, cinereo-pubescens, elytrorum sutura basi albo-squamosa, margine apicali, tibiis tarsisque rufo-testaceis, thorace obsoletius bi-tuberculato.

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Magnitudo, statura et summa affinitas Rh. Querceti, sed tubercula thoracis minora, obsoletiora, femora tota nigra et apex elytrorum anguste tantum rufo-testaceus. Caput, oculi, rostrum et antennae ut

in priori. Thorax brevis, transversus, antice profunde constrictus, margine altius elevato quam in priori, et disco concolore, nec rufescente, ut in illo; posterius transversim valde convexus, tuberculis lateralibus parvis, obsoletis; totus niger, profunde punctatus, pubescens, subtus, non vero lateribus albido-squamosus. Elytra antice thorace multo latiora, tuberculo humerali elevato, thorace fere triplo longiora, apice singulatim obtuse rotundata, supra valde convexa, nigra, cinereo-pubescentia, sat profunde crenato-striata, interstitiis transversim rugulosis; margo ipse apicis anguste rufo-testaceus. Corpus subtus nigrum, profunde punctatum, pectore densius, ventre parcius albido-squamosis. Pedes elongati, validi, pubescentes, femoribus punctatis nigris, summo apice ferrugineis, tibiis tarsisque rufo-testaceis.

70-71. R. atratulus: ovatus ater, subtus dense albo-squamosus, tarsis rufo-piceis, thorace constricto, canaliculato, obtuse bituberculato, elytris profunde striato-punctatis, sutura basi albo-squamosa.

Habitat in plantis et fruticibus, rarius.

Statura praecedentium, sed paulo major, R. Erysimi aequalis. Caput convexum, atrum, opacum, confertissime punctatum, oculis brunneis; rostrum longitudine capitis cum thorace, valde arcuatum, tenue, atrum, basi punctatum. Antennae longiusculae, tenues, nigrae, flagello piceo, clava apice cinereo-pubescente. Thorax brevis, antice angustior, minus profunde constrictus, margine supra caput elevato; basi bi-sinuatus, supra posterius transversim convexus, utrinque tuberculo obtuso armatus, in medio evidenter canaliculatus, profunde sed non crebre punctatus, totus ater, canali lateribusque ultra tuberculum albido-squamosis. Elytra thoracis basi latiora, humeris rotundatis, thorace triplo longiora, apice singulatim rotundata, supra valde convexa, aequalia, atra, sub-nitida,

tida, tenue-pubescentia, profunde striato-punctata, interstitiis parum rugulosis. Suturae basis distincte albo-squamosa. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, squamulis densis albidis tectum. Pedes elongati, nigri, opaci, confertim punctati, pubescentes, tarsis rufo-piceis.

71. R. sub-rufus p. 149.

72. R. Epilobii p. 151.

73. R. Myriophylli p. 152. Gen. Hydaticus, *Schönh. Curc. p.* 242.

Var. *b*, duplo minor, capite thoraceque nigris, opacis, linea scutellari corporeque subtus cinereo-squamosis, rostro paulo breviore; forte mas.

Habitat in Smolandia. *Dom. Boheman. Mus. Dom. Schönherr.*

Rostrum paulo brevius et crassius quam in a; capitis et thoracis color obscurior, niger, opacus; squamulae paginae inferioris, laterum thoracis elytrorumque ut et lineolae suturales pone scutellum, non albidae sed obscurius cinereae; caetera exacte conveniunt.

74. R. 4-tuberculatus p. 153. Gen. Ceutorhynchus, Stirps 2. *Schönh. Curc. p.* 299.

73. R. 4-cornis p. 154. *dito.*

75-76. R. velaris: niger, subtus et lateribus dense albido-squamosus, supra squamulis virescenti-aureis tectus, thorace depresso, acute quadri-tuberculato, pedibus testaceis, tarsis nigris.

Hydaticus velaris, Dom. Schönherr, in litteris.

Habitat ad littora lacuum et fluviorum; in Dalekarlia ad Husby Kloster rarius lectus.

Mag-

Magnitudo, statura et summa similitudo R. 4-tuberculati. Caput porrectum, planum, subtilissime punctulatum, squamulis cupreo-aeneis, sub-nitidis, omnino tectum; oculi laterales prominuli, brunnei; rostrum vix capite longius, crassum, supra latum, planum, totum squamulis similibus uti caput omnino tectum. Antennae rostro cum capite paulo longiores, piceae, clava majuscula, ovata acuminata. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius multo angustior, truncatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio rotundato; supra in disco planus, leviter canaliculatus, squamulis virescenti- vel cupreo-aureis omnino tectus, lateribus et subtus dense albo-squamosus; in dorso tuberculis quatuor validis, acuminatis, armatus, duobus nempe in margine ipso antico, remotis, lateraliter inclinatis, posterioribus pone medium, magis adhuc distantibus, rectis. Elytrorum forma omnino ut in R. 4-tuberculato, supra convexa, punctato-striata, squamulis virescenti-aureis tecta, immixtis lituris sparsis e squamulis cinereo-albidis. Corpus subtus dense albo-squamulosum. Pedes elongati, tenues, pallide testacei, femoribus plerumque versus apicem infuscatis, et pube albida variegatis, tarsis nigris, articulo penultimo lato, bilobo, subtus albido-spongioso.

75-76. R. notula: brevis, niger, subtus et lateribus dense albido squamosus, supra fere nudus, thorace brevi, 4-tuberculato, elytris maculis sparsis albido-squamosis, pedibus testaceis, femoribus, medio infuscatis. Genus Hydaticus, *Schönh.*

Ceutorhynchus notula, Germ. Ins. Sp. I. 240. 370.

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Parvus, Rh. Comari minor, alias praecedentibus similis. Caput sub-deflexum, nigrum, parum convexum, confertissime punctulatum, oculis lateralibus, pro-

prominulis, brunneis; rostrum capite multo longius, crassum, sub-arcuatum, nigrum, convexum, confertim punctulatum, ore pallido. Antennae longitudine rostri cum capite, piceae, clava ovata nigra. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, inaequalis, sat profunde canaliculatus, confertim punctatus, dorso niger, lateribus canalicula dorsali et subtus dense albido-squamulosus; tuberculis quatuor validis, acutis, eodem ordine ac in prioribus locatis, armatus. Elytra ampla, antice thoracis basi fere dimidio latiora, humeris sub-rectangulis, thorace fere triplo longiora, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, profunde striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime punctulatis; nigra, maculis nonnullis sparsis in medio et posterius e squamulis cinereo-albidis. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, squamulis cinereo-albidis adspersum. Pedes longiusculi testacei, femoribus ante apicem infuscatis, tarsis obscuris, articulo penultimo lato, bilobo.

76. R. 4-nodosus p. 175. Gen. Hydaticus, *Schönh. Curc. p.* 242.
Ceutorhynchus mucronulatus, *Germ. Ins. Sp. I.* 239. 369.

77. R. Comari p. 156. Gen. Hydaticus, *Schönherr.*

78. R. pericarpius p. 157. Gen. Ceutorhynchus, Stirps 2. *Schönh. Curc. p.* 279.

79. R. inconspectus p. 158. *dito.*

80. R. Castor p. 159. *dito.*

81. R. leucogaster p. 161. *dito.*

Obs. C. leucogaster Marsh. l. c. ad Gen. Hydaticus Schönh. pertinet; Synonymon ideo delendum et nomen mutandum, R. asperatus dicendus.

82. R.

82. R. fusco-maculatus p. 162. Genus Molytes, *Schönh. Curc. p.* 172.
83. R. Germanus p. 163. *dito.*
Curculio coronatus, Latr. Gen. Ins. 2. 263. 1.
84. R. Colon p. 164. Gen. Lepyrus, *Schönh. Curc. p.* 167.
85. R. bi-notatus p. 165. *dito.*
86. R. Abietis p. 166. Gen. Hylobius, *Schönh. Curc. p.* 170.
87. R. Pinastri p. 168. *dito.*
88. R. Lapathi p. 169. Gen. Cryptorhynchus, *Schönh. Curc. p.* 280.
89. R. vorax p. 170. Gen. Erirhinus, *Schönh. Curc. p.* 229. et huc pertinent jam sequentes species, usque ad No. 95. Rh. pectoralis, inclus.
90. R. Tremulae p. 171.
91. R. Tortrix p. 173.
92. R. affinis p. 174.
Dorytomus flavipes, Dej. Cat. p. 86. *ab ipso designatus.*

Var. *c*, nigrior, femoribus etiam infuscatis.

Habitat cum prioribus, rarius.

Colore obscuriore tantum distinctus.

93. R. taeniatus p. 175.

Obs. Thorax vix carinatus, ut in priori.

Var. c, excludatur, et ut propria species considerari posset, sub nomine:

93-94. R. Salicinus: angustior, nigro-piceus, variegatus, pedibus totis testaceis, tho-

thorace longiore, lateribus aequaliter rotundato, subtus cum pectore dense albido-pubescens.

Rhynchaenus taeniatus var. c, Ins. Sv. 3. 175. 93.

Curculio affinis var. pygmaea. Payk. Fn. 3. 191. 8.

Habitat in Salicibus Bothniae et Lapponiae. *Dom. Host* in Finlandia, *Dom. Prof. Sahlberg. Mus. Dom. Schönherr* et nostrum.

Praecedente longe minor, angustior; thorax longior, in medio, non ante medium, aequaliter rotundato-ampliatus; caetera ut in descriptione loc. cit. p. 177, data, quae ideo consulenda.

Obs. Dom. Prof. Zetterstedt ante plures annos Insectum communicavit, quod tunc R. taeniati varietatem credidi, cui pedes picei, genubus, tibiarum apice tarsisque testaceis; sed cum jam ad manus non sit, de identitate specifica dijudicare nequeo.

94. R. majalis p. 177.

95. R. pectoralis p. 178.

96. R. semi-cylindricus p. 180. Gen. Mecinus, *Schönh. Curc. p.* 321.

Mecinus pyraster, Germ. Mag. 4. 317. 1.

Curculio pyraster, Herbst. Col. 6. 252. 217. *Tab.* 78. *f.* 6.

Curculio haemorrhoidalis, ibid. p. 266. 235. *Tab.* 80. *f.* 4.

Curculio Cerasi, femina. Payk. Fn. 3. 193. 10.

97. R. violaceus p. 181. et sequentes usque ad No. 102. R. atratus: Gen. Thamnophilus, *Schönh. Curc. p.* 51. vid. antea hoc genus sub Rh. Pruni No. 16. propositum.

103. R. Pomorum p. 188. Gen. Anthonomus, *Schönh. Curc. p.* 236.

Anthonomus Pomorum, Germ. Mag. 4. 323. 3. Var. *b*, secundum sententiam *Dom. Germari*, ut species diversa considerari posset, nempe:

103–104. R. incurvus: fusco-piceus, cinereo-pubescens, elytris nigro-fuscis, humeris margineque ferrugineis, fascia postica obliqua, obsoleta, albida, pube flavescente obducta, scutello niveo.

Curculio incurvus, Panz. Fn. 36. *f.* 17. *Crit. Rev.* 1. 129.

Anthonomus incurvus, Germ. Mag. 4. 323. 4.

Rhynchaenus Pomorum, var. b. Ins. Sv. 3. 188. 103.

Habitat in foliis Pruni Padi, ad Alingsähs Vestrogothiae et alibi, passim copiose.

Statura et formatio partium ut in praecedenti omnino, sed triplo minor, color obscurior, fascia elytrorum obsoletior, habitatio alia. Caput et rostrum nigra; antennae ferrugineae, clava fusca, cinereo-pubescente. Thorax niger, margine antico elevato ferrugineo, lateribus et linea media longitudinali albido-pubescens. Scutellum elevatum, niveo-pubescens. Elytra nigra, humeris et lateribus ferrugineis; pone medium fascia obliqua, sub-duplicata, albido-pubescens, immixtis fasciculis flavescentibus; haec tamen saepe obsoleta. Corpus subtus piceum. Femora piceo ferruginea, tibiis tarsisque dilutioribus.

104. R. Ulmi p. 189. Gen. Anthonomus, *Schönherr.*

Anthonomus pedicularius, Germ. Mag. 4. 322. 1.

Antho-

Anthonomus clavatus, Dej. Cat. p. 87. *ab ipso designatus.*

Var. *b*, *c*, Anthonomus Pomonae, *Germ. l. c.* No. 2.

Var. *d*, capite thoraceque obscure, rostro dilutius ferrugineis, elytris nigris, pube albida variegatis, apice ferrugineis; femoribus rufo-piceis, tibiis tarsisque dilutioribus.

Habitat in Westrogothia. *Mus. Dom. Schönh.*

Obs. Magnitudo, color et signaturae hujus speciei valde dissimiles et variabiles, vix vero ad specificas distinctiones satis constantes et sufficientes.

105. R. druparum p. 191. Gen. Anthonomus, *Schönh.*

106. R. pubescens p. 192. *dito.*

Anthonomus pubescens, Germ. Mag. 4. 125. 9.

106-107. R. melanocephalus: niger, parce cinereo-pubescens, thorace elytris pedibusque rufis, scutello albo, femoribus acutius dentatis, tarsis nigricantibus.

Fabr. S. El. 2. 490. 245.

Anthonomus melanocephalus, Germ. Mag. 4. 125. 10.

Curculio melanocephalus, Panz. Fn. 18. *f.* 12.

Curculio phyllocola, Herbst. Col. 6. 161. 118. *Tab.* 70. *f.* 14.

Var. *b*, elytrorum margine laterali nigricante.

Var. *c*, ut var. *b*, et praeterea femora posteriora superne versus apicem et tibiae posticae, nigrae.

Habi-

Habitat in frondibus Pini sylvestris, in Westrogothia pluries lectus; var. b, et c, rarius occurrunt

Praecedenti dimidio minor, color rostri et tarsuum alius etc.; sequenti magis affinis, et forte modo varietas speciei polymorphae. Caput nigrum, crebre punctatum, pubescens, posterius convexum, fronte inter oculos foveola profunda impressa; oculi semiglobosi, nigro-brunnei; rostrum longitudine dimidii corporis, tenue filiforme, modice arcuatum, nigrum, nitidum, laeve, basi punctatum et pubescens. Antennae longae, valde tenues, testaceae, clava oblonga nigricante. Thorax antice multo angustior, leviter constructus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra posterius transversim convexus, crebre et profunde punctatus, pilis longioribus depressis cinereis adspersus, rufo-testaceus, margine antico interdum infuscato. Scutellum orbiculatum, niveo-pubescens. Elytra antice thorace parum latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace quadruplo longiora, apice rotundata, supra valde convexa, praesertim posterius; profunde sulcato-punctata, interstitiis sub-convexis, subtilissime punctulatis; tota rufo-testacea, nitida, parce et tenue pubescentia. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, anterius dense pallido-pubescens, ventre magis glabro. Pedes validi rufi, tarsis piceis, femoribus crassis, clavatis, anticis dente valido, posterioribus dente minore armatis.

Var. b, differt tantum margine laterali elytrorum anguste nigricante.

In var. c, margo elytrorum lateralis etiam anguste niger, et praeterea femora quatuor posteriora a medio ad apicem superne nigra; tibiae ultimi paris etiam ejusdem coloris; haec varietas transitum ad speciem sequentem parare videtur.

107. R. varians p. 193. Gen. Anthonomus, *Schönh.*

Antho-

Anthonomus varians, *Germ. Mag.* 4. 324. 6.

108. R. Rubi p. 194. Gen. Anthonomus, *Schönherr.*

109. R. dorsalis p. 196. Gen. Erirhinus, *Schönh. Curc. p.* 229.

Obs. Segmentum ultimum ventrale maris in medio impressum, utrinque denticulo armatum.

110. R. 5-punctatus p. 197. Gen. Tychius, *Schönh. Curc. p.* 245.

111. R. venustus p. 199. *dito.*

112. R. squamifer p. 200.

Trachodes hispidus, *Schönh Curc.p.*260. *et certe. Curculio hispidus*, *Linn. Fn. Sv.* 619. *Syst. nat.* 2. 614. 65. *ideoque nomen mutandum.*

113. R. nucum p. 201. Gen. Balaninus, *Schönh. Curc. p.* 238.

Balaninus nucum, *Germ. Mag.* 4. 294. 3.

114. R. villosus p. 203. Gen. Balaninus, *Schönherr.*

Balaninus villosus, *Germ. Mag.* 4. 295. 6.

Obs. In foliis Quercus, Mense Majo, in Westrogothia jam pluries lectus.

115. R. Cerasorum p. 204. Balaninus, *Schönherr.*

Balaninus Cerasorum, *Germ. Mag.* 4. 295. 5.

116. R. Salicivorus p. 206. Balaninus, *Schönh.*

Balaninus Brassicae, *Germ. Mag.* 4. 296. 8.

Var. *b*, a recentioribus ut species distincta consideratur, nempe:

116-117. R. Pyrrhoceras: niger, supra cine-

cinereo-sub-pubescens, scutello corporeque subtus albido-squamosis, antennis testaceis, clava fuscescente.

Mas: rostri apice rufo.

Balaninus Pyrrhoceras, *Germ. Mag.* 4. 296. 9. *Schönh. Curc. p.* 240.

Curculio Pyrrhoceras, *Marsh. Ent. Br.* 1. 188. 149.

Rhynchaenus Salicivorus var. b, *Ins. Sv.* 3. 206. 116.

Habitat cum praecedente, minus frequens.

Minimis praecedentis individuis plerumque adhuc minor, antennarum scapo et funiculo testaceis, clava solum plus minusve infuscata et rostro maris apice rufo, unice distinctus; caetera omnia quoad minimum punctum conveniunt, quare ulterior descriptio superflua. Dubium mihi videtur, an specie distinctus.

117. R. Antirrhini p. 207. Gen. Gymnaetron, Stirps 3. *Schönh. Curc. p.* 320.

Obs. Curculio ellipticus, Herbst. l. c. huc non pertinet, monente Dom. Schüppel, sed ad R. Campanulae No. 55. antea; loco ejus inseratur: Curculio noctis, Herbst. Col. 6. 269. 240. Tab. 80. f. 9.

Obs. Variat magnitudine et colore pubescentiae aut cinereo aut albicante; femora jam evidentius, jam obsoletius dentata. Striae elytrorum vario situ inspectae, jam subtilius, jam profundius punctatae apparent. Cionus Antirrhini, Germ. Mag. 4. 312. 28. et C. Noctis, ibid. 314. 29. vix specie distinctae mihi videntur; C. Antirrhini, Payk. l. c. certe idem cum nostro.

118. C. Linariae, *Germ. Mag.* 4. 314. 30. Synonymon Herbstii excludendum.

119. R. collinus p. 209. Gen. Gymnaetron, *Schönh.*

120. R. graminis p. 210. *dito.*
Cionus graminis, *Germ. Mag.* 4. 308. 19.

121. R. Scrophulariae p. 212. Gen. Cionus, *Schönh. Curc. p.* 318., et ad hoc genus etiam pertinent jam sequentes species usque ad No. 125. Rh. Fraxini inclusive.
Var. *c*, auctorum consensu, ut species distincta consideranda:

121–122. R. Verbasci: niger, thoracis lateribus pectoreque flavescenti-pilosis, elytris interstitiis alternis elevatioribus atro-alboque tessellatis, maculis duabus suturalibus atro-holosericeis.
Cionus Verbasci, *Germ. Mag.* 4. 302. 2.
Rhynchaenus Scrophulariae var. c, *Ins. Sv.* 3. 212. 121. *cum allatis Synonymis.*
Habitat cum praecedente passim.
Differentiae in Ins. Sv. loc. cit. indicatae; antennarum clava semper longior.

122. R. Thapsus p. 214.
Cionus Thapsi, *Germ. Mag.* 4. 305. 4.

123. R. Hortulanus p. 215.
Obs. Rostro multo tenuiore praecipue distinctus.

124. R. Solani p 216.
Cionus pulchellus, *Germ. Mag.* 4. 304. 8.
Obs. Asseverante Dom. Germar loc. cit. Rhynchaenus Solani Fabricii alius et distinctus, quare Synonymon excludendum et nomen Herbstii nostro adjiciendum.

125. R. Fraxini p. 217.
Cionus Fraxini, *Germ. Mag.* 4. 304. 7.

126. R. trimaculatus p. 219. Gen. Ceutorhynchus, *Schönh. Curc. p.* 296., et huic generi adnumerantur species jam sequentes, usque ad No. 138., R. globulus, inclusive.

Obs. Verus R trimaculatus Fabricii. sec. Illig. a Dom. Schüppel missus, alius est, quare Synonymon excludendum; hic apud nos non inventus, quantum mihi innotuit. Dom. Prof. Germar, in Ins. Sp. I. p. 220. 6. hunc nostrum Rh. 4-maculatum, Fabricii et Linnaei esse contendit; vix vero jure; nam ille ab auctoribus nominatis in Sectione: „Femoribus muticis locatus, noster vero femora gaudet valide dentata. C. crucifer, Oliv. Ent. 5. 83. 210. 200. idem ac noster videtur, ideoque hoc nomen nostro imponendum.

127. R. viduatus p. 220.
Ceutorhynchus viduatus, *Germ. Ins. Sp. I.* 220. 11.

128. R. asperifoliarum p. 221.
Ceutorhynchus intersectus, *Germ. Ins. Sp. I.* 227. 331. *certe.*

129. R. litura p. 222.
Ceutorhynchus litura, *Germ. Ins. Sp. I.* 220. 8.

129-130. R. guttula: niger, opacus, subdepressus, subtus albido-squamosus, thorace canaliculato, bi-tuberculato, elytris macula suturali baseos holosericeo-atra, apicis oblonga albo-squamosa.

Fabr. Syst. Eleut. 2. 482. 205. *Oliv. Ent.* 5. 83. 213. 204. *Pl.* 23. *f.* 325. *Herbst. Col.* 6. 393. 372. *Tab.* 91. *f.* 3.

Var. *b*, duplo minor, macula holosericeo-

atra

atra baseos elytrorum antice albido-squamosa.

Curculio fuliginosus, *Marsh. Ent. Br.* 1. 280. 124.

Habitat var. *b*, in Scania, ad Abusa et Esperöd, *Dom. Prof. Zetterstedt*; a, apud nos non inventus, quantum mihi innotuit.

Var. b, quae tantum in Scania lecta, Rh. guttula Germanorum duplo minor, Rh. litura aequalis, caeterum omni puncto conveniens. Caput parvum, retractum, nigrum, punctatum, cinereo-squamulosum, fronte impressa; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum, arcuatum, nigrum, punctatum, cinereo-squamulosum. Antennae rostro longiores, nigrae. Thorax antice coarctatus et profunde constrictus, margine antico alte elevato, reflexo, sub-integro; basi bi-sinuatus, supra sub-depressus, niger, opacus, confertim punctatus; canalicula longitudinalis basi apiceque profunda, in medio fere interrupta, et versus latera utrinque tuberculum elevatum, sub-acuminatum. Scutellum minutum, immersum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris valde elevatis, prominulis, thorace vix duplo longiora, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, nigra, opaca, regulariter crenato striata, interstitiis subtiliter granulatis; pone basin, in ipsa sutura, macula communis, ovata, atro-holosericea, antice plerumque macula minore aut albido- aut cinereo-squamosa aucta; et in ipso apice suturae macula oblonga, communis, albo-squamosa. Corpus subtus convexum, nigrum, punctatum, dense albido- vel cinereo-squamosum, praesertim in pectore. Pedes elongati, validi, nigri, squamulis albidis sub-fasciati, femoribus dente valido armatis, tarsis piceis.

Obs. E Germania, sub nomine R. Cardui, quoque missus.

130. R. marginatus p. 224.

Variat triplo minor et ultra, caeterum in omnibus

 simil-

simillimus. In illaesis individuis thorax versus apicem rudimenta gerit trium linearum albicantium, quarum laterales longiores, arcuatae.

131. R. didymus p. 225.

132. R. pollinarius p. 226.

133. R. Borraginis p. 227.

Ceutorhynchus quadridens, *Germ. Ins. Sp. I.* 221. 32.

Obs. R. Borraginis, Fabr. loc. cit. alius, apud nos non inventus, quare synonymon excludendum et nomen mutandum.

134. R. sulcicollis p. 228.

Falciger sulcicollis, *Dej. Cat. p.* 84.

Ceutorhynchus alauda, *Germ. Ins. Sp. I.* 220. 21.

Obs. Synonymon Paykullii forte ad sequentem pertinet.

134–135. R. cyanipennis: niger, subsetosus, subtus griseo-squamosus, thorace canaliculato, constricto bi-tuberculato; elytris cyaneis, punctato striatis, interstitiis planis, seriatim punctatis, apice muricatis.

Ceutorhynchus cyanipennis, *Germ. Ins. Sp. I.* 235. 363.

Habitat in plantis passim, minus frequens.

Magnitudo, statura et summa affinitas Rh. sulcicollis, sed elytrorum color et punctura alia. Caput rotundatum, nigrum, sat profunde punctatum, griseo-pubescens, fronte plana, oculi modice prominuli, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, valde arcuatum, nigrum, nitidum, basi punctatum. Antennae longiusculae, tenues, nigrae, clava ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice multo angustior, constrictus, margine alte elevato, sub-emarginato; basi bi–

bi-sinuatus, supra perparum convexus, profunde punctatus, in medio canaliculatus, utrinque tuberculo parvo armatus. niger, interdum fusco-sub-aeneus, pilis depressis cinereis parce adspersus in canalicula dorsali magis condensatis. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace plus duplo longiora, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, sat profunde striata, striis punctatis, interstitiis latis, planis, singulo serie unica punctorum notato; coerulea vel cyanea, nitida, setulis minutis fuscis adspersa, versus apicem tuberculato-muricata. Corpus subtus nigro-aeneum, confertim punctatum, squamulis fusco-cinereis, in pectore densioribus, tectum. Pedes longiusculi, nigri, cinereo-pubescentes, femoribus dente parvo, obsoleto, armatis.

134-135. R. hirtulus: niger, sub-setosus, subtus griseo-squamulosus, thorace canaliculato, constricto, bi-tuberculato, elytris obscure coerulescentibus, anguste striatis, apice muricatis.

Ceutorhynchus hirtulus, Germ. Ins. Sp. I. 236. 364.

Habitat in plantis passim.

Minutus, Rh. contracto, No. 65., antea, parum major, eique simillimus, femoribus sub-dentatis et striis elytrorum ab illo distinctus. Caput planum, punctatum, nigrum, griseo-sub-pubescens, oculis modice prominulis, brunneis; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, arcuatum, nigrum, nitidum, basi punctulatum. Antennae longiusculae, nigrae, clava magna, ovata. Thorax brevis, transversus, antice angustior, profunde constrictus, margine elevato, reflexo; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, profunde punctatus, obsoletius canaliculatus, utrinque tuberculo elevato armatus, niger, parum pubescens. Elytra antice thorace paulo latiora, humeris elevatis, rotun-

 tun-

tundatis; mox pone basin ampliata, thorace triplo longiora, apice singulatim rotundata, supra convexa, striis angustis, in fundo obsolete catenato punctatis exarata, interstitiis latis, planis, certo situ punctis, alio verso angulis transversis, aequali fere spatio remotis, simplici serie notatis. Corpus subtus nigrum, punctatum, thorace pectoreque dense, ventre parcius albido-squamulosis. Pedes longiusculi, nigri, cinereo-pubescentes, femoribus dente parvo armatis.

135. R. Quercicola p. 230.

136. R. rugulosus p. 231.

Obs. Curculio melanostictus, Marsh. loc. cit. a Dom. Kirby ex Anglia communicatus, huic quidem valde affinis, distinctus tamen videtur, elytris paulo longioribus, pedibus, tarsis exceptis, nigris etc., quare Synonymon excludendum.

Var. c, praeeunte Dom. Prof. Germar, ut distincta species consideranda, sub nomine:

136-137. R. Chrysanthemi: niger subtus albido-squamosus, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, thorace depresso, bi-tuberculato, elytris fasciis duabus albido-squamosis, anteriore flexuosa, posteriore undulata.

Ceutorhynchus Chrysanthemi, *Germ. Ins. Sp. I.* 221. 29.

Rhynchaenus rugulosus var. c, *Ins. Sv.* 3. 231. 136.

Habitat in plantis oleraceis passim.

Magnitudo, statura et summa affinitas praecedentis. Caput, oculi, rostrum ut in illo omnino; antennarum structura eadem, sed color dilutius ferrugineus. Thoracis forma similis, supra depressus, niger, punctatus, linea media et lateribus cinereo-pubescentibus, relicto tuberculo laterali nudo utrinque. Elytra antice thorace latiora humeris valde elevatis, thorace plus du-

duplo longiora, apice singulatim rotundata, supra convexa; anguste striata, interstitiis planis subtilissime coriaceis; nigra, parce fusco-variegata; in ipsa basi suturae litura magna, triloba, albido-squamosa, e cujus ramulo laterali utrinque exit fascia angusta, subinterrupta, valde flexuosa, oblique versus medium disci ducta, dein antrorsum versus marginem humeralem flexa; versus apicem fascia altera albido-squamosa, magis transversa, sed irregularis et interrupta. Suturae medium, inter lituras albidas, macula oblongo-quadrata atra notatum, ut in priori. Corpus subtus et pedes ut in praecedente.

137. R. Troglodytes p. 233.

Var. *d*, jam pluries lecta in plantis oleraceis; elegans, lineis thoracis et lituris elytrorum e squamulis niveis, fere argenteis, compositis.

138. R. globulus p. 235.

139. R. viminalis p. 237. Gen. Orchestes, *Schönh. Curc. p.* 254.

Salius Quercus, *Germ. Mag.* 4. 328. 1.

140. R. Alni p. 238. *dito.*

141–142. R. semi-rufus: oblongus, niger, pubescens, scutello albido-piloso, elytris, antennis pedibusque rufo-ferrugineis.

Habitat in Gottlandia. *Dom. Wetterhall* et *Prof. Zetterstedt.*

Statura et affinitas R. scutellaris, sed fere duplo minor, Rh. rufo et melanocephalo Oliv. aequalis. Caput parvum, nigrum punctatum, griseo-pubescens, oculis magnis, brunneis, in fronte approximatis, non vero connatis; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, inflexum, arcuatum, nigrum, nitidum, laeve. Antennae vix longitudine thoracis, ante medium rostri insertae, rufo-testaceae, clava fuscescente.

scente. Thorax parvus, antice angustior, lateribus rotundatus, basi bi-sinuatus, supra fere planus, non impressus, crebre et profunde rugoso-punctatus, totus niger, pilis depressis cinereis subtus densioribus et albidioribus, adspersus. Scutellum parvum, nigrum, pube densa, depressa, albida, nitida, tectum. Elytra magna, thorace multo latiora et quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, profunde striato-punctata, tota rufo-ferruginea, pilis depressis cinereo-albidis adspersa. Pectus et abdomen tota nigra, sub-nitida, punctata, pube griseo-albida adspersa. Pedes validi, obscure rufo-testacei, pubescentes, femoribus posticis magnis, subtus denticulis pluribus armatis; genua et femora postica interdum subtus infuscata.

142. R. Ilicis p. 241. Genus Orchestes, *Schönherr.*

Salius Ilicis, *Germ. Mag.* 4. 330. 6.

143. R. pilosus p. 242. *dito.*

Salius pilosus, *Germ. Mag.* 4. 330. 7.

Var. *c*, dimidio major, elytris rufescentibus, basi brunneis.

In foliis Betulae albae, semel in Westrogothia lectus.

Magnitudine majore et colore elytrorum exceptis, in omnibus simillimus. Femora postica subtus angulata, denticulis pluribus minutis armata.

144. R. Fagi p. 243. Orchestes, *Schönh.*

Salius Fagi, *Germ. Mag.* 4. 330. 8.

144-145. R. Jota: ovatus, niger, scaber, hirtus, thorace brevi canaliculato, elytrorum sutura basi niveo-pilosa, antennis tarsisque piceo-ferrugineis, femoribus posticis subtus angulatis, seriato-dentatis.

Fabr.

Fabr. Syst. Eleut. 2. 495. 269.
Salius Jota, *Germ. Mag.* 4. 134. 18.
Curculio Rosae, *Herbst. Col.* 6. 428. 414. *Tab.* 93. *f.* 10.
Rhynchaenus Rosae, *Zetterstedt Act. Holm.* 1818. 255. 7.

Habitat in Westrogothia. *Dom. Schönherr*; in Scania, *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Obs. Rh. Jota, Ins. Sv. No. 148. et Curc. id. Paykullii, non idem Fabricii, quare nomen Fabricii retinendum.

Statura ovata, sub-depressa, fere Rh. Ilicis, sed minor. Caput parvum, ovatum, profunde punctatum, oculis magnis, sub-globosis, in fronte coadunatis; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum, nigrum, nitidum, valde arcuatum, obsolete punctulatum. Antennae basi rostri propius insertae, clava pilosa testacea, scapo ferrugineo, funiculo piceo. Thorax brevis, antice angustatus, truncatus, lateribus rotundatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, in-aequalis, in medio canaliculatus, totus ater, confertim et profunde punctatus, pilis erectis fuscis hirtus. Scutellum parvum, nigrum, punctulatum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, ante medium ampliata, thorace quintuplo longiora, apice obtuse rotundata, supra parum convexa, regulariter punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter rugulosis; tota nigra, pilis fusco-cinereis declinatis adspersa; in basi suturae, pone scutellum, linea abbreviata communis, e pilis depressis niveis. Corpus subtus nigrum, nitidum, crebre punctatum, pilis cinereis parce adspersum. Pedes mediocres, nigri, cinereo-pilosi, tarsis fusco ferrugineis; femora postica magna, subtus angulato-dilatata, denticulis plurimis armata, primo majore, acuto.

144-145. R. Lonicerae: ovalis, luteo-

fer-

ferrugineus, pubescens, oculis, pectore, abdomine femorumque posticorum fascia nigris; elytris puncto humerali fasciaque media dentata nigro-fuscis.

Fabr. Syst. Eleut. 2. 495. 267.

Curculio Lonicerae, *Herbst. Col.* 6. 427. 413. *Tab.* 93. *f.* 9.

Salius Lonicerae, *Germ. Mag.* 4. 331. 10.

Habitat in Finlandiae Lonicera, Aboae, non infrequens. *Dom. Prof. Sahlberg.*

Statura et color Rh. scutellaris sed dimidio minor et ultra. Caput angustum, pallide ferrugineum, punctatum, pubescens, oculis magnis, brunneis, maris in fronte magis approximatis, quam feminae; rostrum feminae longitudine fere capitis cum thorace, tenue, arcuatum, rufo-brunneum, nitidum, laeve; maris paulo brevius et crassius, basi pubescens. Antennae vix rostro cum capite longiores, pallidae, clava pubescente. Thorax brevis, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, supra parum convexus, obsolete punctatus, luteo-ferrugineus, opacus, pubescens. Scutellum triangulare, albido-pubescens. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris sub-rectangulis, thorace quintuplo longiora, apice rotundata, supra modice convexa, profunde sulcato-punctata, punctis sub-umbilicatis, interstitiis angustis, elevatis; dilutius flavo-testacea, pubescentia; in ipso callo humerali punctum nigro-fuscum et in medio fascia angusta, irregularis, utrinque dentes inaequales emittens, jam nigra, jam dilutius fusca. Thorax subtus testaceus, punctatus; pectus et abdomen nigra, sub-nitida, punctata, cinereo-pubescentia. Pedes validi, luteo-testacei, pubescentes, femoribus posticis ante apicem annulo nigro-fusco cinctis, muticis.

145. R. Salicis p. 245. Sub-genus Tachyerges, *Schönh. Curc. p.* 256.

Salius

Salius bi-fasciatus, Germ. Mag. 4. 332. 13.

Obs. Dom. Marsham loc. cit. certe nostrum ut C. Salicis descripsit et Musaeum Linnaeanum consuluit, quare nomen manebit.

Variat frequens fascia elytrorum anteriore interne vix vel parum flavescente; fascia posterior aut continua, aut lineolis discretis composita, tarsi semper nigri.

Orchestes rufitarsis, Dej. Cat. p. 82. Salius rufitarsis, Germ. Mag. 4. 333. 14. in plurimis simillimus, sed major et tarsi toti laete rufo-testacei; apud nos vero non occurrit, quantum mihi innotuit.

145-146. R. decoratus: ovalis, niger, antennis tarsisque rufo-testaceis, scutello albo, elytris fasciis duabus obsoletis, e lineolis albidis compositis (a *Dom. Schüppel* hoc nomine missus).

Salius decoratus, Germ. Mag. 4. 333. 15.

Orchestes confinis, Megerl. Dej. Cat. p. 83. *Olim etiam sub nomine Orchestes undulatus a Dom. Megerle a Mühlfeldt communicatus.*

Habitat in Salicetis, apud nos rarius; ad Sparrsätra, *Dom. Schönherr;* ad Höberg, *Auctor.*

Medius quasi inter Rh. Salicis et bi-fasciatum; a priori differt thorace breviore et colore tarsuum; a posteriori, thorace obsolete tantum punctato, elytrorum sutura non basi alba et tibiis posticis externe angulatis etc. Caput convexum, nigrum, confertim punctatum, oculis magnis globosis, in fronte coadunatis; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, arcuatum, nigrum, nitidum, punctulatum. Antennae rufo-testaceae, clava plerumque fuscescente. Thorax brevissimus, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus sub-rotundatus, posterius latior, supra depressus, fere planus, totus niger, obsole-

soletius punctatus, pubescens. Scutellum parvum, elevatum, dense albido-pubescens. Elytra antice thoracis basi multo latiora, callo humerali valde elevato, thorace quintuplo longiora et ultra, apice sub-rotundata, supra posterius convexa, dorso antico impressa; sat profunde punctato-striata, interstitiis planis subtiliter coriaceis; nigra, sub-nitida, pubescentia; fasciae duae dorsales, approximatae, utrinque abbreviatae, una paulo ante altera paulo pone medium e lineolis discretis albido-pilosis compositae. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, punctulatum, parum pubescens. Pedes validi, nigri, pubescentes, tarsis totis rufo-testaceis, tibiae posticae externae angulatae, fasciculo piloso dentiformi instructae.

146. R. signifer p. 246. Orchestes, *Schönh.*
Salius Salicis, *Germ. Mag.* 4. 332. 12.

147. R. bi-fasciatus p. 247. *dito.*
Salius Rusci, *Germ. Mag.* 4. 333. 16.

148. R. Jota p. 248. Subgen. Tachyerges, *Schönh. Curc. p.* 256.
Salius Stigma, *Germ. Mag.* 4. 334. 19.
Orchestes albo-scutellatus, *Dej. Cat. p.* 82.

Obs. Synonymon Fabricii excludendum, et nomen in Rh. Stigma mutandum.

149. R. Populi p. 249. Subgen. Tachyerges, *Schönh.*
Salius Populi, *Germ. Mag.* 4. 334. 20.

150. R. Saliceti p. 250. Subgen. Tachyerges, *Schönh.*
Salius Saliceti, *Germ. Mag.* 4. 335. 21.

151. R. pulicarius p. 251. Gen. Rhamphus, *Schönh. Curc. p.* 49.
Rhamphus flavicornis, *Clairv. Ent. Helv.* 1. 104. *Tab.* 12. *Oliv. Ent.* 5. 81. 40. 58.

Attel.

Attel. Pl. 3. *f.* 58. *a*, *b*, *c*, *Latr. Gen. Ins.* 2. 250. 1.

152. R. plantaris p. 252.

Anoplus plantaris, *Schönh. Curc. p.* 244.

153. R. sub-fasciatus p. 253. Gen. Ceutorhynchus, Stirps 2., Spurii, *Schönh. Curc. p.* 299.

CALANDRA.

1. C. granaria p. 255. Subgen. Calandra, *Schönh. Curc. p.* 238.

Obs. Calandra Oryzae auctorum, saepius quidem viva inventa inter grana Oryzae in mercatorum tabernis, non tamen spontanea Sveciae incola.

COSSONUS.

1. C. linearis p. 256. Gen. id., *Schönh. Curc. p.* 330.

Oliv. Ent. 5. 83. 425. 525. *Pl.* 35. *f.* 534. *f. a*, *b*, *c*.

1–2. C. ferrugineus: niger, glaber, antennis, elytris pedibusque ferrugineis, rostro longiore, apice dilatato, thorace subtilius punctato, non impresso.

Oliv. Ent. 5. 83. 426. 526. *Pl.* 35. *f.* 535.

Zetterstedt Act. Holm. 1818. 255. 8.

Var. *b*, pallide testaceus totus, capite rostroque brunneis.

Habitat in Ostrogothia ad Läcketorp; in trunco putrescente Populi Tremulae, a *Dom. Prof. Zetterstedt*, copiose lectus.

Praecedenti similis, sed dimidio major, rostrum multo longius, minus crassum, thorax subtilius et parcius

cius punctatus, basi non impressus, elytra minus profunde punctato-striata, non sulcata etc. Caput porrectum, nigrum postice laeve, inter oculos parce punctatum; oculi laterales nigri, subprominuli; rostrum feminae longitudine fere capitis cum thorace, maris paulo brevius, in utroque porrectum, parum arcuatum, modice crassum, nigrum, nitidum, punctulatum, apice quadrangulariter dilatatum, planum, piceum. Antennae versus apicem rostri insertae, rostro cum capite longiores, scapo longissimo, clavato, ferrugineo, articulis 2, 3, breviter obconicis, 4—8, brevissimis, perfoliatis, coarctatis, nigro-piceis, clava ovato-acuminata, testacea, pallido-pubescente. Thorax sub-quadrangulus, basi apiceque truncatus, antice coarctatus, lateribus nonnihil rotundatus, supra parum convexus, subtiliter et minus crebre punctatus, niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, piceum, laeve. Elytra thoracis basi latiora, humeris elevatis, sub-rectangulis, thorace plus duplo longiora, linearia, apice rotundata, supra in dorso parum convexa, interne subtilius, versus latera profundius punctato-striata, interstitiis planis, laevibus; tota ferruginea vel testacea, nitida, glabra. Corpus subtus rufo-piceum, nitidum, obsolete punctulatum. Pedes breviusculi, tenues, rufo-testacei, geniculis piceis.

Var. b, colore dilutiore tantum differt, immatura forte.

Obs. Cossonus ferrugineus, Dej. Cat. p. 99., ab ipso Comite benevole missus, quoad colores nostro similis, sed dimidio minor, thorax a basi versus medium longitudinaliter bis impressus, ibique profunde punctatus; elytra profundius striato-punctata etc., quare certe species distincta.

2. C. lignarius p. 258. Subgen. Rhyncholus, *Schönh. Curc. p.* 532.

Cossonus cylindrirostris, *Oliv. Ent.* 5. 83. 427. 528. *Pl.* 35. *f.* 537. *forte.*

Rhyncolus cylindrirostris, *Dej. Cat. p.* 100.?

2-3. C.

2-3. C. **truncorum**: piceus, glaber, rostro capite longiore et angustiore, thorace sub-ovali, profundius punctato, elytris profunde sulcato-punctatis, femoribus compressis, utrinque dilatatis.

Germ. Ins. Sp. I. 308. 446.

Rhyncolus tenuirostris, *Caracter*, *sec. Dom. Megerl. in litteris.*

Habitat in Blekingia, rarissime. *Dom. Schönherr.*

C. chloropo minor, brevior, et ab illo praesertim rostro multo longiore et tenuiore distinctus; a C. lignario differt: rostro breviore et latiore, thorace profundius punctato etc. Caput breve, convexum, piceum, subtilissime punctulatum, oculis lateralibus, valde depressis, brunneis; rostrum capite multo longius et angustius, praesertim feminae, sub-cylindricum, confertim punctulatum, rufo-piceum. Antennae breviusculae, minus crassae, ferrugineae, clava dilutiore, apice sub-truncata. Thorax latitudine paulo longior, anterius angustior, ante apicem vix constrictus, lateribus pone medium dilatatus, basi truncatus, angulis rotundatis; supra convexus, aequalis, sat crebre et profunde punctatus, aut rufo- aut nigro-piceus, nitidus, glaber. Scutellum minutum, concolor. Elytra thorace parum latiora et vix duplo longiora, supra convexa, profunde sulcato-punctata, interstitiis sub-convexis, subtilissime disperse punctulatis; rufopicea, nitida. Corpus subtus rufo-piceum, sub-nitidum, thorace crebrius, pectore et ventre parcius punctatis. Pedes breves, ferruginei, femoribus compressis, utrinque rotundato-ampliatis.

Obs. Cossonus culinaris, Germ. Ins. Sp. I. 306. 405. Rhyncolus brevirostris, Dom. Megerle a Mühlfeldt in litteris, huic in multis similis, sed differt: clava antennarum ovata, sub acuminata, elytris

tris posterius setosis seu muricatis etc.; sed hic apud nos adhuc non inventus.

3. C. chloropus p. 259. Rhyncholus, *Schönherr.*

Obs. Exstant species plures, etsi simillimae, tamen distinctae; C. chloropus auctorum, a nemine ita sufficienter descriptus, ut de identitate cum nostro pro certo dijudicari possit; e maxime illi affinibus unus est:

3-4. C. elongatus: niger, glaber, antennis brevibus, crassis, pedibusque piceis, thorace profundius punctato, medio subcarinato, elytris sulcato-punctatis, rostro brevissimo, depresso, latitudine capitis.

Rhyncolus elongatus, *Dej. Cat. p.* 100. *forte.*
Curculio planirostris, *Panz. Fn.* 18. *f.* 18. *forte.*

Habitat in truncis arborum exsiccatis, passim.

Magnitudo et statura praecedentis, cui simillimus, sed differt: Antennis adhuc crassioribus; thorace paulo breviore, lateribus magis rotundato, profundius et minus crebre punctato, dorso carinula vel saltem linea media laevi notato, elytris profundius sulcato-punctatis, interstitiis angustioribus etc. Caput porrectum, nigrum, punctatum, vertice elevato sub-laevi; rostrum latitudine capitis et illo fere brevius, confertim punctulatum, nigrum, perparum convexum, supra os impressum. Antennae brevissimae, valde crassae, scapo clavato, basi piceo; articulo secundo magno cyathiformi; 3—8, brevissimis, coarctatis, perfoliatis, nigro-piceis; clava flagello parum crassiore, ovata, subacuminata, testacea, apice pubescente. Thorax latitudine postica paulo longior, anterius angustior et prope apicem leviter constrictus, lateribus pone medium rotundato-ampliatus, basi truncatus, angulis rotundatis; supra convexus, multo profundius sed minus crebre quam in priori punctatus, relicta in medio dorsi linea

nea abbreviata, interdum sub-carinata, laevi; totus niger, glaber. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum. Elytra thoracis medio non latiora, sed illo fere duplo longiora, linearia, apice rotundata, supra convexa, sulcis latis, profunde punctatis, exarata, interstitiis angustis, elevatis, sub-punctatis; nigra vel nigro-picea, sub-opaca. Corpus subtus nigro-piceum, confertim punctatum. Pedes breves, validi, rufo-picei, tarsis dilutioribus.

Obs. Cossonus porcatus, Germ. Ins. Sp. I. 308. 447., Rhyncolus crassirostris, Dej. Cat. p. 100., e Gallia et Germania missus, huic in multis similis, sed differt: rostro paulo longiore, versus apicem angustiore; antennarum clava obtusa, fere truncata; thorace adhuc profundius punctato etc.

4. C. Lymexylon p. 260. Genus Dryophthorus, *Schönh. Curc. p.* 332.
Bulbifer Lymexylon, *Dej. Cat. p.* 99.

CURCULIO p. 261.

1. C. sulcirostris p. 261. Gen. Cleonus, *Schönh. Curc. p.* 145.
2. C. tri-sulcatus p. 263. *dito.*
3. C. nebulosus p. 264. *dito.*
4. C. glaucus p. 265. *dito.*

4-5. C. grammicus: elongatus, niger, opacus, pubescens, thorace linea laterali utrinque, elytro singulo macula baseos cinereo-albidis, capite thoraceque carinatis.
Herbst. Col. 6. 314. 353. *Tab.* 79. *f.* 8.
Lixus grammicus, *Oliv. Ent.* 5. 83. 261. 271. *Pl.* 17. *f.* 213.
Cleonus grammicus, *Schönh. Curc. p.* 276.

Ha-

Habitat in Ostrogothiae monte Omberg, a *Dom. Marklin* in copula captus.

C. albido longior sed angustior, magis convexus. Caput breve, nigrum, ruguloso-punctatum, cinereo- vel ferrugineo-pubescens, oculis lateralibus, depressis, nigris; rostrum latitudine fere capitis et illo paulo longius, valde crassum, supra parum convexum, confertissime ruguloso-punctatum, obsolete carinatum, praesertim in femina; totum nigrum, opacum, pubescens. Antennae breves, crassae, nigrae, clava oblongo-ovata, acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine longior, antrorsum paulo angustior, apice sub-bisinuatus, juxta apicem utrinque impressus, basi elevato-marginatus, in medio nonnihil productus, supra modice convexus, anterius perspicue carinatus, posterius sub-impressus, niger, opacus, subtiliter coriaceus et rugulosus, pube cinerea aut ferruginea tectus; in utroque latere linea longitudinalis e pube depressa alba aut flavescente. Scutellum vix ullum. Elytra antice thoracis basi non latiora, sed mox pone basin ampliata, thorace plus duplo longiora, apice rotundata, supra valde convexa, nigra, opaca, confertissime coriacea, obsoletissime punctato-striata, pube cinerea aut ferruginea obducta; in basi interiore singuli elytri macula oblonga, obliqua et in quovis humero linea, e pube depressa, albida vel flavescente. Corpus subtus nigrum, subtiliter coriaceum, pube densa cinerea aut ferruginea tectum. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense pubescentes.

5. C. albidus p. 267. Gen. Cleonus, subgen. Bothynoderes, *Schönh. Curc. p.* 147.

5-6. C. inquilinus: oblongus, niger, villositate flavescente cinereaque, in elytris fasciatim condensata, tectus; antennarum scapo brevissimo, rostro brevi, arcuato, perspicue carinato.

Gen.

Gen. Rhinocyllus, *Schönh. Curc. p.* 58.
Habitat in Finlandia, rarissime. *Dom. Prof. Sahlberg. Mus. Dom. Schönherr.*

Rhinocyllo carinato et Olivierii Schönh. simillimus, sed plus duplo minor, C. lineello subaequalis, at ut videtur distinctus. Caput majusculum rotundatum, nigrum, confertissime punctulatum, fronte plana, canaliculata, villositate densa fulvescente tecta; oculi laterales, majusculi, oblongi, brunnei; rostrum vix capite longius et illo parum angustius, crassum, arcuatum, nigrum, ruguloso-punctatum, supra parum impressum, dense fulvescenti-villosum, a basi ultra medium carinula elevata perspicua notatum. Antennae capite cum thorace breviores, crassae, nigrae, cinereo-pubescentes, scapo brevissimo, ob-conico; articulo secundo aeque crasso, adhuc breviore, etiam obconico; sequentibus flagelli paulo minoribus, sed anterioribus sensim crassitie crescentibus, omnibus brevissimis, perfoliatis, arcte junctis; clava ovata, subacuminata, 4-articulata, densius pubescente. Thorax brevis, transversus, antice angustior, truncatus, juxta apicem leviter constrictus, margine elevato; basi sat profunde bi-sinuatus, lobo medio triangulari, adscendente; supra convexus, niger, confertissime ruguloso-punctatus, villositate longa cinereo-fulvescente, versus latera magis condensata, tectus. Scutellum occultatum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, sed illo plus triplo longiora, sub-linearia, apice rotundata, supra modice convexa, regulariter striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; nigra, anterius villositate longiori flavo-cinerascente tecta, posterius pube depressa cinerea, in maculas transversales et fascias abbreviatas irregulares digesta, adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, parcius pubescens. Pedes breviusculi, validi, nigri, longius villosi, femoribus anticis crassioribus, omnibus muticis.

6. C. palliatus p. 268. Gen. Tanymecus, *Schönh. Curc. p.* 127.

7. C. viridis p. 269. Gen. Chlorophanus, *Schönh. Curc. p.* 53.

8. C. flavipes p. 271. Gen. Polydrosus, *Schönh. Curc. p.* 138.

Polydrosus sericeus, *Germ. Ins. Sp. I.* 452. 5.

9. C. parvulus p. 272. Gen. Phyllobius, *Schönh. Curc. p.* 180.

Obs. Monente Dom. Germar, Ins. Sp. I. p. 450. C. parvulus Fabricii non cum nostro idem, quare nomen Marshami C. uniformis: assumendum.

10. C. viridicollis p. 273. Gen. Phyllobius, *Schönh.*

11. C. undatus p. 275. Gen. Polydrosus, *Schönh. Curc. p.* 138.

12. C. fulvicornis p. 276. *dito.*

13. C. caninus p. 277. Genus Sitona, *Schönh. Curc. p.* 134.

14. C. lineatus p. 279 *dito.*

15. C. lineellus p. 281. *dito.*

Obs. C. macularius, Marsh. l. c. huc non pertinet, sed ad C. crinitum, Oliv. Ent. 5. 83. 382. 458. Pl. 35. f. 550. Sitona crinita, Dej. Cat. p. 94. secundum specimina ex Anglia missa.

16. C. tibialis p. 283. Gen. Sitona, *Schönh.*

17. C. hispidulus p. 284. *dito.*

18. C. incanus p. 286. Gen. Brachyderes, *Schönh. Curc. p.* 102.

Var. *b*, pedibus rufescentibus.

Curculio rufipes, *Linn. Syst.* 2. 617. 83. *Fn. Sv.* 634.

Habitat cum a, passim.

19. C.

19. C. hirticornis p. 287. Gen. Otiorhynchus, *Schönh. Curc. p.* 203.
20. C. tenebricosus p. 288. *dito.*
21. C. atro-apterus p. 290. *dito.*
22. C. ater p. 291. *dito.*
23. C. laevigatus p. 292. *dito.*
24. C. maurus p. 293. *dito.*
25. C. obscurus p. 294. Gen. Barynotus, *Schönh. Curc. p.* 164.

Obs. Propter distinctionem a sequenti, diagnosis haec erit:

C. obscurus: nigro-piceus, squamulis fuscis cinereisque variegatus, rostro glabe-riori uni-sulcato, foveolis oblongis ruguloso, elytris obsoletius punctato-striatis, striis quinta et septima juxta humerum arcuatim connexis.

25-26. C. Bohemanni: nigro-piceus, squamulis cinereis unicoloribus tectus, rostro squamuloso quinque-sulcato, elytris profundius punctato-striatis, striis quinta et sexta longe infra humerum arcuatim connexis.

Habitat in graminosis Ostro- et Westrogothiae passim.

Simillimus et valde affinis praecedenti, cujus varietatem minorem olim credidi, constanter tamen differre videtur: squamulis paginae superioris cinereis, uni-coloribus, nec variegatis; rostro etiam squamulis tecto et sulcis duobus sub-obliquis abbreviatis, ad utrumque latus sulci medii exarato; punctis striarum in elytris majoribus, profundioribus. praesertim antice,

 ut

ut et striis exterioribus aliter locatis. Capitis, oculorum et rostri forma ut in C. obscuro, sed rostrum squamulis densis cinereis tectum, et praeter canaliculam mediam rectam, longiorem, utrinque sulcis duobus paulo brevioribus, nonnihil obliquis, exaratum. Antennae, thorax et scutellum ut in priori. Elytrorum forma etiam eadem, sed squamulae illas tegentes, unicolores, cinereae, nec variegatae, et puncta striarum profundiora, magis remota. Striarum situs etiam alius, nam in hac specie stria quinta et sexta a sutura, longe infra humerum arcuatim conjunguntur, cum in priori stria quinta haud procul ab angulo humerali cum stria septima arcuatim connectatur, interjacente stria sexta libera; in utraque specie ceterum sutura postice carinata, setosa et interstitia alterna a sutura plus minusve elevata, etiam setulis sub-erectis adspersa. Corpus et pedes ut in priori.

Dom. Boheman, Capitaneus, Entomologus oculatissimus, differentiam a priori primus detexit, quare in ejus memoriam nominatus.

26. C. mercurialis p. 296. Gen. Barynotus, *Schönh. Curc. p.* 164.

27. C. raucus p. 297. Gen. Otiorhynchus, *Schönh. Curc. p.* 203.

28. C. setosus p. 298. *dito.*

29. C. pilosellus p. 300. Gen. Thylacites; sub-gen. Strophosomus, *Schönh. Curc. p.* 97.

Thylacites limbatus, Dej. Cat. p. 95.

30. C. limbatus p. 301. *dito. Schönh.*

Thylacites squamiger, Dej. Cat. p. 95.

31. C. geminatus p. 302. Gen. Thylacites, sub-genus Cneorhinus, *Schönh. Curc. p.* 96.

32. C.

32. C. Coryli p. 304. Gen. Thylacites, subg. Strophosomus, *Schönh. Curc p.* 97.

Obs. Magnitudo et color hujus vulgatissimae speciei nimium variabilis, sed notas ad specificas distinctiones sufficientes detegere non potui; promiscue quoque cohabitant et copulantur. Thylacites affinis, Dej. Cat. p. 95., ab ipso Comite missus, ad nostram var. b, pertinet, et var. c, ejus, Th. Coryli genuinus est. Thylacites Cervinus, Germ. Ins. Sp. I. 412. 8., etiam hujus var.

33. C. squamulatus p. 306. Subgen. Strophosomus, *Schönh. Curc. p.* 97.

34. C. hirsutulus p. 307. Subgen. Brachysomus, *Schönh. Curc. p.* 99.

35. C. scabriculus p. 309. Gen. Trachyphloeus, *Schönh. Curc. p.* 189.

Curculio bi-foveolatus, Beck. Beytr. p. 22. 36. *Tab.* 7. *f.* 36.

Curculio terrenus, Dom. Schüppel in litteris, olim, qui alium, nonnihil diversum, apud nos adhuc non inventum, ut C. scabriculum Herbstii communicavit, quare Synonymon ejus deleatur; noster certe idem ac C. scabriculus, Linn. Payk. Bonsd. etc.

Obs. Antennae in medio scrobis lateralis rostri insertae, ab ore magis remotae.

Var. b, plerumque dimidio major, magis variegatus, parcius setosus.

35-36. C. aristatus: ovatus, rufo-piceus, antennis, elytris, pedibusque dilutioribus, undique squamis erectis albidis muricatus, rostro thoraceque canaliculatis.

Trachyphloeus aristatus, Schönh. Curc. p. 190.

Habitat in aridis, praecedente rarior.

Mag-

Magnitudo, statura et affinitas praecedentis, sed differt: Thorace elytrisque totis, ut et antennarum scapo, femoribus tibiisque squamulis densis, erectis, albidis muricatis; antennis in apice rostri insertis etc. Caput depressum, obsolete punctulatum, indumento denso cinereo tectum, oculis lateralibus, parvis, subglobosis, brunneis; rostrum latitudine fere capitis et illo vix longius, quadrangulum, supra concavum, in medio canaliculatum, indumento simili uti caput tectum. Antennae in ipso apice scrobis lateralis, juxta os, insertae, breves, crassae, rufo-ferrugineae, structura ut in priori, sed scapus squamulis densis, erectis, albidis muricatus. Thorax brevis, transversus, basi apiceque truncatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, ante apicem constrictus, margine supra caput elevato, apice pallido; supra parum convexus, obsolete rugoso-punctatus, in medio late canaliculatus, rufo-piceus, squamulis erectis albidis muricatus. Scutellum nullum. Elytra magna, ovata, ante medium valde ampliata, apicem versus angustiora, thorace quintuplo longiora, supra valde convexa, profunde punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis; aut rufo-picea, aut dilutius rufo-ferruginea, sub-nuda; in singulo interstitio series integra e squamulis latis, erectis, albidis, posterius longioribus et densioribus. Corpus subtus dilutius rufo-testaceum, punctatum, tenue pubescens. Pedes validi rufo-testacei, femoribus tibiisque squamulis longis, angustis, rigidis, erectis, albidis, dense obsitis.

35-36. C. spinimanus: ovatus, niger, indumento fusco-cinereo-tectus, squamulisque erectis cinereo-albidis parcius adspersus, antennis pedibusque ferrugineis, thorace vix canaliculato, tibiis anticis versus apicem externe bidentatis.

Trachyphloeus spinimanus, *Germ. Ins. Sp. I.* 405. 550. *Schönh. Curc. p.* 190.

Ha-

Habitat in collibus arenosis, tempore vernali passim.

Statura omnino C. scabriculi, sed dimidio minor et ultra, armatura tibiarum praecipue distinctus. Caput depressum, indumento denso fusco-cinereo tectum, pariter ac rostrum et tota pagina superior; oculi prominuli, brunnei; rostrum latitudine et longitudine capitis, sub-quadratum, supra planum, vix vel obsoletissime canaliculatum. Antennae crassae ferrugineae, clava pallidiori, structura ut in prioribus, in medio scrobis lateralis, ante apicem rostri insertae. Thorax brevis, transversus, basi apiceque truncatus, antice multo angustior, constrictus, margine supra caput elevato; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, supra in dorso posterius convexus, vix canaliculatus, indumento fusco-cinereo obductus, versus margines squamulis erectis albidis parce adspersus; indumento detrito, fundus niger, perspicue rugoso-punctatus. Elytra magna, structura ut in prioribus, supra valde convexa, indumento fusco-cinereo obducta, squamulisque erectis cinereo-albidis parcius adspersa; indumento detrito saturate nigra, sat profunde striato-punctata, punctis remotis, interstitiis latis, planis, subtilissime coriaceis. Corpus subtus piceum, obsolete punctatum, tenue pubescens. Pedes validi, ferruginei, tibiis tarsisque setis rigidis albidis adspersis; tibiae anticae versus apicem externe denticulis duobus erectis, acutis, armatae, superiore validiore, et praeterea subtus uncus seu denticulus tertius, minor, arcuatus.

35-36. C. digitalis: brevior, ovatus, indumento denso cinereo tectus, antennis pedibusque ferrugineis, thorace depresso, vix canaliculato, tibiis anticis externe spinis duabus longioribus, acutis, armatis.

Habitat prope Holmiam et in Gottlandia, rarius. *Mus. Dom. Schönherr.*

Pro-

Proxime praecedenti simillimus et valde affinis, sed adhuc dimidio minor, brevior, minus convexus, totus supra indumento denso fusco-cinereo unicolore omnino tectus. Caput, rostrum et antennae ut in priori. Thorax brevissimus, transversus, antice multo angustior, constrictus, lateribus aequaliter valde rotundato-ampliatus, supra parum convexus, aequalis, non canaliculatus, versus margines squamulis paucis erectis muricatus. Elytra breviter ovata, postice obtusa, declivia, in dorso minus convexa, indumento crasso tecta, unde obsoletissime tantum striata videntur, squamulis paucis, parvis, erectis, albidis, versus apicem adspersa. Corpus subtus piceum, punctulatum, parce albido-squamulosum. Pedes validi ferruginei, tibiis parce ciliatis, anticis versus apicem externe dentibus duobus longioribus, acutis, armatis.

36. C. Ligustici p. 310. Gen. Otiorhynchus, *Schönh. Curc. p.* 259.

37. C. nubilus p. 312. Gen. Liophloeus, *Schönh. Curc. p.* 159.

38. C. sulcatus p. 313. Gen. Otiorhynchus, *Schönh. Curc. p.* 203.

39. C. aeneo-punctatus p. 314. *dito.*

40. C. Lepidopterus p. 315. *dito.*

41. C. Zebra p. 316. *dito.*

42. C. picipes p. 317. *dito.*

43. C. rugifrons p. 319. *dito.*

44. C. ovatus p. 320. *dito.*

45. C. muricatus p. 321. Gen. Thylacites, *Schönh. Curc. p.* 94. Subgenus Sciaphilus p. 98.

46. C. Pyri p. 323. Genus Phyllobius, *Schönh. Curc. p.* 180.

47. C.

47. C. argentatus p. 325. Gen. Phyllobius, *Schönh.*

Obs. In var. d, antennae aut ut in a, aut saturatius ferrugineae; tibiae aut ferrugineae, aut obscurius piceae, praesertim posteriores; transitum ideo parat ad varietatem e, quae a Dom. Germar et Schönherr ut distincta species consideratur, sub nomine:

47-48. C. maculicornis: oblongus niger, coerulescenti vel viridi-squamosus alboque sub-setosus, antennis ferrugineis, clava scapique apice nigris, pedibus nigris, tarsis piceis.

Phyllobius maculicornis, Germ. Ins. Sp. I. 449. 594. *Schönh. Curc. p.* 182.

Habitat cum priore, non infrequens.

Praecedenti, praecipue ejus var. d, simillimus et nimis affinis, colore antennarum et pedum unice distinctus. Antennarum scapus ferrugineus, apice clavatus, niger; funiculus totus ferrugineus, sed clava nigra. Pedes nigri, tarsis jam dilutius, jam saturatius piceis. Caetera ut in praecedenti omnia.

48. C. sericeus p. 326. Gen. Polydrosus, *Schönh. Curc. p.* 138.

Polydrosus squamosus, Germ. Ins. Sp. I. 452. 4.
Curculio splendidus, Herbst. Arch. 5. 82. 72. *Tab.* 24. *f.* 30.

49. C. micans p. 328. Gen. Polydrosus, *Schönherr.*

50. C. Rubi p. 329.

51. C. Mali p. 330. Genus Phyllobius, *Schönh. Curc. p.* 180.

Var. *d*, niger, parcius pubescens, femoribus

bus fere totis, saepe etiam tibiis posticis nigris.

Habitat cum prioribus passim.

Pili vel squamulae paginae superioris rariores, aut cinereae, aut virescentes; color corporis magis niger; femora omnia fere tota nigra, interdum basi plus minusve rufo-picea; tibiae, praesertim posticae, etiam saepe obscurius piceae.

52. C. Cervinus p. 332. Gen. Polydrosus, *Schönh.*

53. C. oblongus p. 334. Gen. Phyllobius, *Schönh.*

HYLESINUS p. 335.

1. H. ligniperda p. 335.
2. H. Piniperda p. 337.
3. H. crenatus p. 339.
4. H. palliatus p. 340.
   Hylurgus palliatus, *Dej. Cat. p.* 100.
5. H. angustatus p. 342.
   Hylurgus opacus, *Ziegler. Dej. Cat. p.* 100. *ab ipso Comite*, *in litteris ita designatus.*
6. H. ater p. 343.
   Hylurgus ater, *Dej. Cat. p.* 100.

Obs. In medio thoracis linea angusta, laevis, carinulam mentiens, saepe observatur, minime vero elevata. Statura multo majore, longiore, thorace profundius punctato etc., a priori tamen facile distinguitur. Thorax solito in medio nonnihil ampliatus, supra confertissime punctatus, unde interstitia angusta rugulas retiformes formant et color inde magis opacus. Occurrunt etiam individua, in quibus thorax paulo longior, angustior et magis cylindricus videtur, et punctura minus crebra, unde interstitia latiora, magis

gis nitida; caeterum in omnibus simillima, vix distinguenda.

7. H. Fraxini p. 345.

8. H. rhododactylus: nigro-piceus, pilis rigidis cinereis scaber, antennarum basi tarsisque ferrugineis, elytris profunde punctato striatis.

Ips rhododactylus, *Marsh. Ent. Br.* 1. 58. 22.

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Zetterstedt*; prope Holmiam, *Dom. Schönherr.* Ex Anglia a *Dom. Kirby* missus.

Minutus, Eccopt. polygrapho similis, sed adhuc minor, antennarum clava articulata et elytra profunde punctato-striata. Caput crassum, deflexum, nigro-piceum, punctulatum, pilis minutis cinereis adspersum; oculi depressi, nigro-brunnei. Antennae capite parum longiores, basi testaceae, clava oblonga, fusco-picea, pilosa, evidenter articulata. Thorax latitudine baseos paulo longior, anterius angustior, apice truncatus, basi bisinuatus, supra convexus, nigro-piceus, opacus, confertim punctatus, pilis rigidis, depressis, cinereis, nitidis adspersus. Scutellum vix observandum. Elytra thoracis basi non latiora, sed illo triplo longiora, basi singulatim rotundata, elevato-reflexa, apice acuminata, supra convexa, nigro-picea, opaca, striis latis et sat profundis, rude punctatis, exarata, interstitiis angustis, carinatis, pilis rigidis cinereis, depressis, seriatis, exasperatis. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, vix punctulatum, tenue pubescens. Pedes breviusculi, validi, femoribus crassiusculis nigris, tibiis piceis, basi tenuibus, apicem versus incrassatis, externe serrato-dentatis, tarsis tenuibus ferrugineis.

ECCOPTOGASTER p. 346.

1. E. Scolytus p. 346.

Obs.

Obs. Bostrichus Scolytus, Panz. Fn. 15. f. 6. testante Dom. Illiger in Mag. 6. 304., ad speciem aliam pertinet, nempe B. castaneum Koch, quare Synonymon heic excludendum.

2. E. pygmaeus p. 348.

Var. *b*, paulo minor, niger, antennis testaceis, elytrorum apice, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis, thorace paulo crebrius et profundius punctato.

Habitat in Blekingia rarissime. *Mus. Dom. Schönherr.*

Thorax niger, paulo profundius et magis crebre punctatus. Elytra nigra, apice tantum rufo-ferruginea. Femora nigra, genubus, tibiis tarsisque ferrugineis. Caetera ut in a, omnia, quare non, secundum individuum unicum, ut speciem distinctam proponere aptum censui.

3. E. poligraphus p. 349.

BOSTRICHUS p. 351.

1. B. Typographus p. 351. *Dej. Cat. p.* 100.
2. B. octodentatus p. 353.
3. B. Laricis p. 354.

3-4. B. acuminatus: rufo-piceus, subnitidus, pallido-villosus, antennis pedibusque testaceis, elytris punctato-striatis rufo-testaceis, apice circulatim retusis, utrinque tri-dentatis, ultimo majore acuto.

Habitat sub-cortice arborum emortuarum, in Gottlandia *Dom. Fähraeus. Mus. Dom. Schönherr*; in Vestrogothia, *Auctor.* Raro occurrit.

Mag-

Magnitudo et statura B. Laricis, a quo praecipue differt armatura apicis elytrorum. Caput parvum, deflexum, nigro-piceum, punctatum, pallido-villosum. Antennae testaceae, clava pallidiore. Thorax amplus, ut in prioribus constrictus, anterius tuberculato-rugosus, nigro-piceus; posterius rufo-piceus, parce et subtiliter punctulatus. Elytra thorace angustiora et parum longiora, sub-cylindrica, supra convexa, dilute rufo-picea, nitida, striato-punctata, transversim sub-rugosa, apice circulatim retusa, impressa, sutura in impressione vix elevata; in ambitu utrinque tubercula tria elevata, primum minutum, secundum paulo majus, tertium multo majus, conicum, acuminatum, apice nigrum. Corpus subtus rufo-piceum, punctulatum, parce villosum. Pedes breves, validi, testacei, genubus tibiisque brunneis.

3-4. B. longicollis: elongatus, rufo-piceus, sub-nitidus, pallido-villosus, antennis pedibusque testaceis, thorace elongato, elytris longis, sub-cylindricis, apice sub-retusis, irregulariter tuberculatis.

Habitat sub cortice arborum, rarius: in Scania *Dom. Prof. Zetterstedt*; in Vermelandia, *Dom. Mellerborg. Mus. Dom. Schönherr.*

B. Laricis vix latior, sed dimidio longior, cylindricus. Caput parvum, deflexum, nigro-piceum, punctatum, pallido-villosum. Antennae testaceae, clava pallidiore. Thorax amplus, latitudine multo longior, sub-cylindricus, supra antice valde convexus, confertim tuberculato-rugulosus, in medio utrinque transversim impressus, posterius parce et subtilius punctatus, relicta plaga laevi a medio ad basin; nigro-piceus, posterius dilutior. Elytra thorace paulo angustiora, sed fere sesqui-longiora, cylindrica, profunde punctato-striata, apice retusa, sed non impressa vel exca-

excavata, callo latiore, difformi et tuberculis nonnullis minoribus, irregularibus notata; dilutius rufo-picea, nitida, pallido villosa. Corpus subtus rufo-piceum, parce et subtiliter punctulatum. Pedes breves, validi, pallide testacei, villosi.

3-4. B. suturalis: linearis, niger, pallide villosus, antennis tarsisque pallidis, thorace punctatissimo, elytris striato-punctatis, apice rufis, retusis, obtuse tuberculatis, stria suturali profunda.

Dej. Cat. p. 101.

Var. *b*, elytris totis rufo-ferrugineis, pedibus dilutius testaceis.

Var. *c*, corpore toto aut rufo-brunneo aut dilutius testaceo.

Habitat sub cortice Pini et Abietis passim.

B. Laricis similis et affinis, sed duplo minor, angustior, thorax postice confertim punctatus, elytra apice non excavato-retusa, aliter tuberculata etc. Caput parvum, deflexum, nigrum, punctatum, pallido-villosum, antennis testaceis, clava pallida. Thoracis structura ut in B. Laricis, totus niger, ab apice ad medium confertissime tuberculato-rugulosus, dein confertim et sat profunde punctatus, relicta tantum linea angusta laevi, polita, a medio ad basin. Elytra thorace paulo angustiora sed dimidio longiora, cylindrica, sat profunde striato-punctata, stria suturae proxima profundior, interstitiis planis, punctis parvis, remotis, simplici serie notatis; nigra, apice rufa, retusa, non vero excavata; utrinque tuberculis nonnullis difformibus insignita; a latere inspecta, tubercula ista tres spinulas referunt, postico remotiore, sed non majore secundo. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum. Pedes breves, validi, femoribus

bus tibiisque aut testaceis aut fusco-piceis, tarsis semper pallidis.

3-4. B. nigritus: linearis, niger, pallido-villosus, antennis tarsisque testaceis, thorace punctatissimo, elytris striato-punctatis, apice excavato-retusis, ambitu trituberculatis, stria suturali profundiore.

Habitat sub cortice arborum resinosarum, passim.

Magnitudo, statura et summa similitudo praecedentis, elytris apice concoloribus, nigris, aliter retusis et tuberculatis, unice distinctus. Caput, antennae, thorax, quoad minimum punctum, ut in praecedenti omnino. Elytrorum forma, striae et punctura etiam ut in illo, sed tota undique nigra, etiam apice, et ibi fere circulatim excavato-retusa, ambitu utrinque tuberculis tribus armato, postico remotiore. Corpus subtus ut in priori. Pedes nigro-picei, tarsis pallidis. An sexu solum a praecedente diversus?

4. B. monographus p. 356. *Dej. Cat. p.* 101.

5. B. bidens p. 357. *Dej. Cat. p.* 101.

Var. *c*, corpore aut toto pallide testaceo, aut capite thoraceque saturatius ferrugineis.

Obs. Sub cortice juniorum-ramulorum Pini sylvestris, in arboribus caesis et exsiccatis, jam pluries magnam copiam hujus speciei reperi, in societate viventium, unde convictus sum, var. b, elytris apice muticis, sexu solum distinctam esse. Ex var. c, pari modo uterque sexus frequenter cum a, inveniuntur.

6. B. chalcographus p. 358.

Var. *c*, elytris totis nigris.

Habitat cum priori, rarius.

7. B. fuscus p. 360.

Bo-

Bostrichus retusus, Dej. Cat. p. 101., *ab ipso Comite sub hoc nomine missus.*

In Smolandia etiam a *Dom. Boheman* captus.

8. B. villosus p. 361.

9. B. micrographus p. 362.

10. B. dispar p. 363.

11. B. domesticus p. 365.

Bostrichus limbatus, Dej. Cat. p. 101.

12. B. lineatus p. 366.

Bostrichus signatus, Dej. Cat. p. 101.

Apate signata, Fabr. S. El. 2. 383. 22. *ad var. b, forte pertinet.*

13. B. asperatus p. 368.

14. B. Tiliae p. 369.

15. B. cinereus p. 370. *Dej. Cat. p.* 101.

16. B. pusillus p. 371. *Dej. Cat. p.* 101.

Fam. 3. Xylophagi.

APATE p. 372.

1. A. Capucinus p. 372.
2. A. substriatus p. 374.
3. A. elongatus p. 374.

CORYNETES p. 375.

1. C. violaceus p. 376.

CIS p. 377.

1. C. Boleti p. 377.
2. C. micans p. 379.
3. C. hispidus p. 380. *Dej. Cat. p.* 102.

Variat frequenter duplo minor, vix tamen specie distinctus. Squamulae minutissimae, micantes, quibus

bus thorax et elytra adspersa, colore variant, aut aureae, aut virescentes.

3–4. C. Comptus: fusco–testaceus, pube brevissima, rigida, parce adspersus, thorace antice truncato, lateribus rotundato-ampliato, elytris regularius punctato-striatis.

Habitat in fungis arboreis rarius. *Dom. Schönherr.*

Praecedenti similis et minoribus ejus magnitudine aequalis, sed paulo brevior, thoracis latera magis ampliata et puncta elytrorum evidentiora, in strias magis regulares disposita. Caput deflexum, fusco–testaceum, fronte plana, subtiliter punctulata, clypei margine in masculis obsolete bi–tuberculato, in femina mutico; oculi prominuli, nigri. Antennae totae testaceae, structura ut in prioribus. Thorax latitudine brevior, antice oblique truncatus, angulis non prominulis, lateribus valde dilatato–ampliatus, ibique et postice anguste marginatus, supra valde convexus, aequalis, confertim punctatus, squamulis minutissimis, rigidis, parce adspersus; aut saturatius, aut dilutius testaceus. Scutellum parvum, rotundatum, testaceum. Elytra vix latitudine thoracis medii, sed illo quadruplo longiora, lateribus anguste marginata, apice simultaneae rotundata, supra valde convexa, sat regulariter et profunde punctato–striata, praesertim anterius, pilisque brevissimis, rigidis, nitidis, saepe seriatim dispositis, adspersa, fusco–testacea. Corpus subtus subtilissime punctulatum, pectore pallidius, ventre saturatius testaceis. Pedes breviusculi, toti pallidi.

3–4. C. punctulatus: elongatus, convexus, sub–cylindricus, fusco–testaceus, longius et densius pubescens, thorace subtilius, elytris fortius, confertim, vage punctatis.

Habitat in fungis arboreis, rarius. *Dom. Schönh.*

C. hispido majori non latior, sed longior, subcylindricus, structura et magnitudine C. Alni proximus. Caput transversum, deflexum, fusco-testaceum, subtilissime punctulatum; margine reflexo, maris subbituberculato; oculi prominuli, nigri; os pallidum, mandibulis piceis. Antennae pallidae, clava obscuriore, longius pilosa. Thorax amplus, antice bisinuatus, lobo medio rotundato, integro, supra caput producto, angulis lateralibus prominulis; lateribus modice rotundatus, marginatus, basi truncatus, angulis subrectis; supra valde convexus, aequalis, confertissime et concinne punctatus, fusco-testaceus, pilis longioribus et brevioribus mixtis adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra antice truncata, latitudine baseos thoracis et illo plus triplo longiora, lineari-cylindrica, apice sub-acuminata, supra valde convexa, dorso medio tamen magis plana, confertissime et fortius quam thorax punctata, pube simili adspersa, fusco-testacea. Corpus subtus aut testaceum, aut obscurius-fusco-piceum, praesertim posterius; obsolete punctulatum. Pedes tenues testacei, femoribus interdum infuscatis.

3-4. C. cornutus: brevior, convexus, fusco-testaceus, pube brevi, nitida adspersus, thorace subtilius, elytris fortius, confertim, vage punctatis, thorace capiteque maris antice bi-cornutis.

Habitat in fungis arboreis, praesertim Alni, passim.

Statura et fere magnitudo C. nitidi. Caput deflexum, transversum, testaceum, subtiliter punctulatum, margine antico in femina leviter reflexo, in mare cornubus duobus nigris armato; oculi nigri, prominuli; os pallidum, mandibulis piceis. Antennae pallidae clava fuscescente. Thorax amplus, antice bi-sinuatus, lobo medio supra caput valde producto, in mare pro-

profunde emarginato, corniculis duobus porrectis, elevatis, nigricantibus armato, in femina rotundato, fere integro, sub-elevato; lateribus rotundatus, marginatus, basi truncatus, supra valde convexus, aequalis, confertissime subtiliter punctulatus, pube brevissima, nitida, adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra antice truncata, latitudine baseos thoracis et illo vix triplo longiora, supra valde convexa, confertissime et fortius quam thorax, concinne punctata, pube brevissima, nitida, densiore, praesertim posterius, adspersa, fusco-testacea. Corpus subtus fusco-testaceum, obsolete punctatum. Pedes toti testacei.

4. C. festivus p. 581.

Obs. Caput maris in margine antico tuberculis duobus parvis armatum. C. cornuto dimidio minor et ultra.

4-5. C. elongatulus: lineari-elongatus, sub-depressus, brunneus, pube brevissima, nitida adspersus, thorace quadrangulo, subtilissime punctulato, elytris evidentius sub-striato-punctatis.

Habitat in fungis arboreis ad Sparrsätra Westrogothiae, rarissime. *Mus. Dom. Schönh.*

Inter minimos generis, linearis, angustus et magis quam reliqui depressus. Caput majusculum, deflexum, confertim subtilissime punctulatum, brunneum; os pallidum, mandibulis piceis; oculi sub-prominuli, nigri. Antennae pallidae, clava crassa, pubescente. Thorax latitudine brevior, transversim quadrangulus, antice paulo latior, truncatus, lateribus perparum rotundatus, marginatus, basi etiam truncatus, supra parum convexus, confertissime punctulatus, pube minutissima parce adspersus; saturate brunneus. Scutellum minutum, rotundatum, concolor. Elytra antice truncata, latitudine baseos thoracis et illo plus triplo longiora, apice sub-

 acu-

acuminata, supra parum convexa, sat regulariter et perspicue striato-punctata, pube brevissima, nitida, versus apicem densiore, adspersa; dilutius brunnea. Corpus subtus dilutius brunneum, obsolete punctulatum. Pedes breviusculi, toti pallide testacei.

4-5. C. affinis: brevis convexus, nigro-piceus, pilis rigidis, erectis albidis adspersus, thorace subtilissime, elytris fortius, confertim vage punctulatis, capite maris bicornuto.

Dej. Cat. p. 102.

Habitat in fungis arboreis, praesertim Betulinis, sat frequens.

Minutus, C. nitido duplo minor. Caput majusculum, deflexum, nigrum, confertim punctulatum, in masculis antice cornubus duobus erectis, validis, nigris, armatum, in femina muticum; os nigro-piceum; oculi prominuli, nigri. Antennae pallidae, clava nigricante. Thorax amplus, antice bi-sinuatus, angulis productis, anterius compressus, unde ibi angustior apparet, lateribus sub-rotundatus, anguste marginatus, basi truncatus, supra valde convexus, aequalis, confertissime punctatus, pilis minutissimis, nitidis, parce adspersus; nigro-piceus, margine antico interdum pallidiore. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra brevia, vix thorace duplo longiora, apice acuminata, supra valde convexa, nigra, confertim et fortius quam thorax punctata, pilis rigidis, erectis, albidis, plerisque seriatim dispositis, posterius crebrioribus, adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum. Femora plerumque picea; tibiae et tarsi rufo-testacei. Variat etiam corpore toto testaceo.

4-5. C. fronticornis: brevis, convexus, rufo-piceus, albido-pilosus, thorace subtilissime, elytris fortius, confertim vage pun-

punctatis, pedibus totis rufo-testaceis, capite maris bi-tuberculato.

Apate fronticornis, *Panz. Fn.* 98. *f.* 7.

Habitat in fungis Betulinis passim.

Praecedenti valde similis et affinis, sed dimidio minor; tubercula capitis in masculis minora, pedes toti rufo-testacei, et apex elytrorum plerumque pallidior. Caput deflexum, punctulatum, rufo-piceum, maris antice tuberculis duobus parvis armatum. Antennae pallidae, clava parum obscuriore. Thoracis structura, punctura et pubescentia ut in priori, plerumque antice latius testaceus. Elytra etiam ut in illo, sed fere semper apicem versus testacea. Corpus subtus dilutius rufo-piceum. Pedes toti rufo-testacei.

Variat etiam corpore toto testaceo aut pallido.

5. C. nitidus p. 382.

5-6. C. mandibularis Pars 3. add. p. 717.

6. C. bidentatus p. 383.

7. C. perforatus p. 385.

8. C. Alni p. 386.

9. C. glabriculus: brevis, convexus, castaneus, glaber, capite angustiore, convexo, thorace antice oblique truncato, subtilissime punctulato, elytris confertim vage punctulatis.

Habitat in fungis arboreis, praesertim Alni, passim.

C. nitido affinis, sed thoracis anguli antici non prominuli, elytra confertim et subtilius punctata, caput angustius, magis convexum etc. Caput deflexum, subtilissime punctulatum, castaneum, fronte convexa; versus os angustatum, margine vix reflexo; mandibulae piceae, sinistra major, valida, fere recta, apice ipso tantum incurva; oculi prominuli, nigri. Antennae totae pallidae. Thorax amplus, antice compressus,

sus, in medio antico sub-rotundatus, versus latera oblique truncatus, angulis non prominulis; lateribus rotundato-ampliatus, anguste marginatus, basi truncatus, supra valde convexus, aequalis, castaneus, nitidus, glaber, subtilissime punctulatus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra latitudine thoracis, sed illo vix triplo longiora, apice sub-acuminata, supra valde convexa, castanea, nitida, glabra, confertissime et paulo fortius quam thorax punctata. Corpus subtus creberrime punctulatum, aut totum castaneum, aut antice piceum. Pedes toti testacei.

Variat etiam corpore toto aut testaceo, aut pallido.

MYCETOPHAGUS p. 387.

1. M. 4-maculatus p. 387.

Var. *c*, thorace toto ferrugineo.

Var. *d*, macula elytrorum postica parva, punctiformi.

Habitant cum prioribus rarius. *Mus. Dom. Schönherr.*

2. M. atomarius p. 388.

3. M. variabilis p. 390.

Var. *i*, elytris nigris, macula magna humerali, puncto parvo juxta suturam, ante medium, macula parva in medio marginis lateralis et fascia abbreviata, simplici, pone medium, testaceis, macula apicali nulla.

Habitat in Scania, Lundae. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Var. *k*, thorax rufo-testaceus; elytra nigra, fascia baseos lata pallida; puncto pallido in medio marginis lateralis; loco fasciae posterioris maculae duae pallidae, transver-

versim positae, exteriore majore, punctumque pallidum intra apicem.

Habitat in Westrogothia rarius, *Auctor.*

4. M. Populi p. 392.

5. M. multi-punctatus p. 393.

6. M. fulvicollis p. 395.

7. M. bifasciatus p. 396.

Triphyllus bifasciatus, Dej. Cat. p. 102.

8. M. punctatus p. 398.

Triphyllus punctatus, Dej. Cat. p. 102.

9. M. fumatus p. 399.

Triphyllus fumatus, Dej. Cat. p. 102.

10. M. testaceus p. 400.

Pentaphyllus testaceus, Dej. Cat. p. 68. *in sectione Heteramerorum, ad quam jure adnumerandus.*

NEMOZOMA p. 402.

1. N. elongatum p. 402.

COLYDIUM p. 403.

1. C. elongatum p. 403.

Obs. Praeter colorem elytrorum, aliae etiam differentiae inter a, et var. b, observantur, quare, monente Dom. Schönherr, aptius ut distinctae species considerandae: nempe:

C. elongatum: nigrum, nitidum, antennis latioribus pedibusque ferrugineis, thorace tri-sulcato, elytris costatis, interstitiis duplici serie profundius punctatis.

Habitat praecipue in truncis siccis Pini abietis;

tis; in Westrogothia pluries lectum; etiam in Scania captum.

Synonyma sub a, allata, huc pertinent, ut et descriptio, cui addendum: Antennae crassae, ferrugineae, clava magna, lata, pallida, triarticulata, primis duobus brevissimis, perfoliatis, ultimo magno, orbiculato, compresso. Interstitia costarum in elytris duplici serie punctorum impressa, punctis majusculis.

2. C. filiforme: nigrum, nitidum, antennis, pedibus, elytrorumque antica parte ferrugineis, thorace trisulcato, elytris costatis, interstitiis duplici serie subtilius punctulatis.

Colydium elongatum var. b, Ins. Sv. loc. cit.

Habitat in ligno sicco Quercus, passim.

Synonyma loc. cit. allata, huc pertinent. Antennarum clava longior, sed minus lata, quam in priori; articuli duo inferiores clavae longiores, sub-cyathiformes; ultimus orbiculatus. Puncta striarum in interstitiis elytrorum multo minora quam in priori. Caetera conveniunt.

LYCTUS p. 408.

1. L. canaliculatus p. 408.

1-2. L. fasciculosus: nigro-brunneus, opacus, sub-setosus, pedibus ferrugineis, thorace antico utrinque producto, acuminato, lateribus serrato, supra foveolato, elytris crenato-striatis, cinereo-fasciculosis.

Silvanus fasciculosus, Dom. Schönherr in litteris.

Habitat sub-cortice arborum emortuarum ad Sparrsätra Westrogothiae rarissime. *Dom. Schönherr.*

Huic

Huic generi quidem proximus videtur, sed proprium forte constituere meretur, nam antennae modo decem-articulatae sunt. Magnitudo et fere statura L. contracti.

Caput magnum, porrectum, sub-quadratum, depressum, nigrum, opacum rude punctatum, pilis rigidis cinereis parce adspersum, os et palpi ferruginei, mandibulis nigro-piceis. Antennae thorace breviores, crassae, porrectae, pilosae, piceo-ferrugineae, apice dilutiores, articulis decem, 1 — 8, nodosis seu moniliformibus, exterioribus sensim paulo minoribus, nono abrupte majore, cyathiformi, ultimo iterum paulo minore, breviter ovato. Thorax anterius latior, bi-sinuatus, angulis lateralibus longe productis, acuminatis; lateribus obliquis, subrectis, evidenter crenulatis; basi sub-truncatus, supra in disco convexus, inaequalis, foveolis pluribus impressus; una nempe majore in medio antico, altera minori ante medium baseos, et versus latera utrinque aliae obsoletiores; niger, opacus, obsoletius rugoso-punctatus, lateribus piceo-ferrugineus. Scutellum parvum, rotundatum, piceum. Elytra thoracis basi latiora, humeris prominulis, thorace plus triplo longiora, apice rotundata, supra modice convexa, sat profunde crenato-striata, interstitiis angustis, convexis, sub-coriaceis; fusco-picea, opaca, basi dilutiora, fasciculis parvis, e pilis rigidis cinereis, undique adspersa. Corpus subtus piceo-ferrugineum, obsolete punctatum, parce pubescens. Pedes mediocres, dilutius ferruginei, femoribus interdum obscurioribus.

2. L. contractus p. 410.

3. L. nitidus p. 411.

BITOMA p. 412.

1. B. crenata p. 412.

2. B. lunata p. 414.

Biphyllus lunatus, Dej. Cat. p. 102.

CERYLON p. 415.

1. C. Iuglandis p. 416.

Syn-

Synchita Iuglandis, *Dej. Cat. p.* 102.

2. C. picipes p. 417.

Monotoma picipes, *Dej. Cat. p.* 103.

2-3. C. angusticolle: elongatum, fusco-ferrugineum, opacum, sub-hispidum, antennis pedibusque dilutius testaceis, thorace oblongo, anterius angustiore, lateribus crenato, postice bi-foveolato, elytris confertim rugulosis.

Monotoma angusticollis, *Dom. Schönherr in litteris.*

Habitat ad Sparrsätra Westrogothiae, rarissime. *Mus. Dom. Schönherr.*

C. picipedi simile et affine, sed statura longior et angustior. Caput magnum, porrectum, elongatum, planum, profunde punctatum, fusco-piceum, antrorsum parum angustius, ore labroque rotundatis ferrugineis; oculi parvi, brunnei. Antennae prope os insertae, ferrugineae vel testaceae, structura omnino ut in priori. Thorax latitudine baseos dimidio longior, antrorsum sensim angustior, apice truncatus, angulis prominulis, acutis, lateribus sub-obliquis, crebre crenulatis; basi etiam truncatus, angulis obtusis; supra parum convexus, confertissime et subtilius ruguloso-punctatus, setulis minutis cinereis adspersus, totus fusco-ferrugineus, opacus; intra basin foveolae duae, oblongo-ovatae, sub-obliquae, parum profundae. Scutellum parvum, rotundatum, fuscum. Elytra thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, rectangulis, thorace plus duplo longiora, apice truncata, anum non tegentia, supra parum convexa, confertissime subtiliter transversim rugulosa, obsoletissime striata, fusco-ferruginea, opaca, setulis minutis cinereis parce adspersa. Corpus subtus rufo-piceum, punctulatum, cinereo-setulosum. Pedes breviusculi, validi, pallidius testacei.

2-3. C.

2-5. C. longicolle: brevius, fusco-ferrugineum, sub-nitidum, tenue pubescens, antennis pedibusque pallide testaceis, thorace oblongo, quadrangulo, lateribus integro, supra bifoveolato, elytris punctato-substriatis.

Monotoma longicollis, *Dom. Schönherr in litteris.*

Habitat ad Sparrsätra Westrogothiae. *Dom. Schönherr;* in Smolandia, *Dom. Wetterhall*, raro occurrit.

C. picipedi statura simile, sed duplo minus et distinctum. Caput porrectum, postice latitudine thoracis, sed multo brevius quam in C. picipede, anterius angustius, supra fere planum, ruguloso-punctatum, fusco-ferrugineum, ore labroque dilutius testaceis; oculi majusculi, brunnei, et pone oculos spinula acuminata in angulo verticis utrinque. Antennae pallide testaceae, structura ut in prioribus. Thorax latitudine longior, antice paulo latior, truncatus, angulis prominulis, acutis, lateribus vix crenulatus, basi etiam truncatus, angulis rotundatis; supra modice convexus, subtiliter et obsoletius punctulatus, tenue pubescens, fusco-ferrugineus, sub-nitidus; longe intra basin foveolae duae parvae, sub-ovatae, impressae. Scutellum parvum, rotundatum, fuscum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rectangulis, thorace vix duplo longiora, apice truncata, supra modice convexa, crebre, concinne punctata, punctis sub-seriatis, fusco-ferruginea, sub-nitida, tenue pubescentia. Corpus subtus nigro-piceum, magis nitidum, parum pubescens. Pedes breviusculi, pallide testacei.

3. C. Histeroides p. 418. *Dej. Cat. p.* 102.

Obs. In ipsa basi thoracis utrinque foveola impressa plerumque observatur, spatio interjacente elevato ante scutellum. Thoracis discus sub-convexus et

et elytrorum striae evidentius punctatae, quam in sequente.

4. C. deplanatum: breve, ferrugineum, nitidum, glabrum, supra fere planum, thorace exacte quadrato, profunde punctato, elytrorum striis obsolete punctatis.

Habitat sub cortice arborum emortuarum, praesertim Populi, minus frequens.

Praecedenti, praesertim ejus var. b, simillimum; differre tamen videtur, statura multo magis depressa, thorace longiore, quadrato etc. Caput et antennae ut in praecedente omnino. Thorax longior, exacte quadratus, supra planus, sat profunde punctatus, ferrugineus. Elytrorum forma ut in priori, sed adhuc magis depressa, ferruginea, nitida, subtiliter striata, striis obsolete punctatis. Corpus et pedes ut in praecedenti.

RHYZOPHAGUS p. 420.

R. grandis: latior rufo-ferrugineus, glaber, nitidus, thorace quadrato, parcius punctato, elytris concinne punctato-striatis, interstitio secundo a sutura antice latiore, disperse punctato.

Habitat sub cortice arborum emortuarum ad Sparrsätra Westrogothiae, rarissime. *Mus. Dom. Schönherr.*

Major in hoc Genere, R. ferrugineo paulo longior et plus quam dimidio latior. Caput porrectum rufo-ferrugineum, nitidum, punctatum, versus os angustatum, antice impressum, oculis parvis nigris. Antennarum basis et clava pallida, funiculo rufo-piceo. Thorax latitudine non longior, quadratus, angulis omnibus sub-obtusis; undique anguste marginatus. supra convexus, rufo-ferrugineus, nitidus, perspicue, sed mi-

minus crebre punctatus. Scutellum breve, semi-orbiculatum, concolor, laeve. Elytra latitudine thoracis, antice truncata, humeris rectangulis, thorace fere triplo longiora, apice etiam truncata, supra modice convexa; rufo-ferruginea, minus nitida quam thorax et caput, anguste striata, striis confertim et concinne punctatis; interstitium secundum a sutura antice multo latius, et a basi ad medium disperse punctatum, punctis majusculis, non crebris. Corpus subtus rufo-ferrugineum, nitidum, pectore fortius, ventre subtilius punctatis. Pedes validi, dilutius rufo-testacei.

1. R. ferrugineus p. 420.

1-2. R. cribratus: angustus, rufo-ferrugineus, nitidus, glaber, thorace quadrato, profunde sed rarius disperse punctato, elytris striato-punctatis, punctis remotis.

Nomen proposuit Dom. Schönherr in litteris.

Habitat ad Sparrsätra Westrogothiae, rarissime. *Mus. Dom. Schönherr.*

Statura oblonga, angusta, R. ferruginei, sed dimidio minor. Caput breve, porrectum, rufo-ferrugineum, nitidum, crebre punctatum, versus os angustius, oculis parvis nigris. Antennae breves, basi et clava ferrugineae, funiculo piceo; clava valde obtusa, fere truncata. Thorax latitudine parum longior, antice vix latior, basi apiceque truncatus, angulis obtusis, undique marginatus, supra parum convexus, rufo-ferrugineus, nitidus, punctis majusculis, profundis, parce impressus. Scutellum rotundatum, concolor, laeve. Elytra antice truncata, humeris rectangulis, thorace triplo longiora, apice pariter truncata, supra modice convexa, rufo-ferruginea, nitida, leviter striata, et in striis punctis oblongis, remotis, impressa. Corpus subtus saturatius ferrugineum, nitidum, punctatum. Pedes mediocres, dilutius ferruginei.

2. R. depressus p. 422.

Obs.

Obs. In elytris interstitium secundum a sutura anterius reliquis latius et a basi ad medium punctatum, fere ut in R. grandi, quod in caeteris speciebus non ita.

2–3. paralello-collis: angustus, rufo-ferrugineus, nitidus, glaber, thorace oblongo-quadrangulo, lateribus parallelis, supra parce punctulato, elytris profundius punctato striatis.

Nomen proposuit Dom. Schönherr in litteris.

Lyctus cylindricus, Panz. Fn. 35. *f.* 18. *forte huc pertinet.*

Habitat sub cortice arborum emortuarum, ad Sparrsätra Westrogothiae, rarius. *Mus. Dom. Schönherr.*

Magnitudo et statura Rh. depressi. Caput majusculum, porrectum, rufo-ferrugineum, nitidum, inaequale, sat crebre punctulatum, antice angustius, sublaeve, oculis parvis nigris. Antennae breves, ferrugineae, funiculo obscuriore, clava magna, ovata, pubescente. Thorax latitudine multo longior, exacte quadrangulus, basi apiceque truncatus, lateribus rectis, parallelis, anguste marginatis, supra parum convexus, rufo-testaceus, nitidus, perspicue, sed minus crebre punctatus, punctis plerisque oblongis. Scutellum rotundatum, concolor, laeve. Elytra latitudine thoracis et illo vix duplo longiora, basi apiceque truncata, humeris rectangulis; supra parum convexa, rufo-ferruginea, sub-nitida, sat profunde, regulariter punctato-striata. Corpus subtus ferrugineum, nitidum, punctatum, pectore saturatiore. Pedes pallide ferruginei.

Obs. Sub nomine: Monopis cylindrica, testacea et varians, Dom. Megerle a Mühlfeld olim speciem cum variationibus coloris communicavit, jam descripto simillimam.

3. R.

3. R. politus p. 423.

4. R. parvulus p. 424.

Var. *b*, thorace dilutius ferrugineo.

Habitat cum praecedente passim.

Var. *c*, corpore toto pallido.

Habitat ad Sparrsätra Westrogothiae. *Mus. Dom. Schönherr.*

4-5. R. longicollis: linearis, nigro-piceus, nitidus, glaber, ore, antennis, pedibusque ferrugineis, thorace oblongo, postice angustiore, elytris profunde striato-punctatis, fusco-marginatis.

Nomen proposuit Dom. Schönherr in litteris.

Habitat ad Sparrsätra Westrogothiae, rarissime. *Mus. Dom. Schönherr.*

Rh. parvulo simillimus et valde affinis, forma thoracis fere unice distinctus. Caput, oculi, os et antennae, quoad minimum punctum, ut in praecedenti omnino. Thorax oblongus, latitudine antica multo longior, posterius paulo angustior, basi apiceque truncatus, lateribus anguste marginatus, supra sub-depressus, niger, nitidus, subtiliter, perspicue tamen, punctulatus. Scutellum parvum, piceum, laeve. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris rectangulis, thorace plus duplo longiora, apice truncata, supra sub-depressa, regulariter et sat profunde striato-punctata, rufo-testacea, sub-nitida, margine laterali et apicis infuscatis. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, confertim punctulatum. Pedes validi rufo-ferruginei.

5. R. dispar p. 424. *Dej. Cat. p.* 103.

Obs. Magnitudine valde variat, praesertim var. b, quae saepe duplo minor et ultra, caeterum simillima. Var. c, d, specie distingui meretur:

6. R.

6. R. bi-pustulatus: niger vel nigro-piceus, nitidus, glaber, antennis pedibusque ferrugineis, thorace breviore, macula ferruginea ante apicem. *Dej. Cat. p.* 103.
Lyctus bipustulatus, *Fabr. S. El.* 2. 561. 4.
Rhyzophagus clavicornis, *Herbst. Col.* 5. 20. 2. *Tab.* 45. *f.* 10. *K.*
Rhyzophagus dispar, *Ins. Sv.* 3. 424. 5. *var. c.*
Var. *b*, elytrorum humeris etiam ferrugineis. Ins. Sv. loc. cit. var. *d.*
Var. *c*, corpore toto aut testaceo, aut pallido. Ibid. var. *e.*
Habitat sub cortice arborum emortuarum, sat frequens.

Praecedenti simillimus et minoribus ejus magnitudine aequalis. Caput plerumque nigrum, nitidum, punctatum, ore ferrugineo. Antennae ferrugineae, clava pallidiore. Thorax latitudine parum longior, posterius magis angustatus, quam in priori, plerumque totus niger, nitidus, punctatus. Elytrorum forma ut in priori, nigra, nitida, striato-punctata; longe ante apicem macula rotundata ferruginea, aut minor, litura, aut ad apicem suturalem ampliata. Angulus humeralis etiam saepe ferrugineus, ut in var. b. Corpus et pedes ut in priori.

Var. c, immatura, aut testacea, aut pallida, elytris interdum in medio infuscatis.

Fam. 4. Erotylenae.

PHALACRUS p. 427.

1. P. corruscus p. 427. *Sturm. Fn.* 2. 73. 1.
Var. *b*, antennis, pedibus corporeque subtus ferrugineis; immaturus forte.

2. P. sub-striatus p. 428.

Obs. Errore quodam Dom. de Paykull olim speciem sequentem sub nomine: Phalacrus millefolii mihi communicavit, sed ipse hunc nostrum sub nomine Ph. millefolii loc. cit. descripsit, ut ex comparatione cum Ph. corrusco quoad staturam, confirmatur; quare nomen in Ph. millefolii mutandum, et synonyma sequentia addenda.

Phalacrus Millefolii, Panz. Fn. 103. *f.* 5. *Payk. Fn.* 3. 439. 4. *Sturm. Fn.* 2. 83. 11. *Schönh. Syn.* 1. 109. 5.

3. P. Millefolii p. 429. Nomen mutandum in: *Phalacrus Caricis et Synonyma delenda; loco illorum inseratur: Sturm. Fn.* 2. 80. 8. *Tab.* 31. *f. d, D.*

Habitat in floribus et gramine, locis humidis, rarius.

Descriptio loc. cit. data huic competit.

4. P. Ulicis p. 430. *Dej. Cat. p.* 129.

Obs. Phalacrus pygmaeus, Sturm. Fn. 2. 84. 12. a Dom. Schüppel e Germania missus, huic simillimus, sed adhuc duplo minor, antennae et pedes dilutius testacei et elytrorum apex ferrugineo-translucens.

5. P. aeneus p. 431. *Sturm. Fn.* 2. 79. 7.

Variat corpore subtus pedibusque dilutius ferrugineis.

6. P. bicolor p. 431. *Sturm. Fn.* 2. 77. 5.

Var. *c*, elytris apice immaculatis.

Phalacrus flavicornis, Sturm. Fn. 2. 78. 6. *Tab.* 31. *f.* 6. *B?*

Habitat in floribus rarius.

Elytris nigris, immaculatis tantum differt; magnitudo aut priori aequalis, aut paulo minor.

7. P. testaceus p. 432.

Phalacrus geminus, Sturm. Fn. 2. 75. 3.

8. P. affinis: ovatus, supra nigro-brunneus, aeneo-micans, nitidissimus, antennis, pedibus corporeque subtus flavo-testaceis, elytris apice late, indeterminate flavis.

Sturm. Fn. 2. 76. 4. Tab. 31. f. a. A.

Phalacrus bicolor, Ins. Sv. 3. 431. 6. var. parva, sub var. b, memorata.

Habitat in floribus passim.

Ph. testaceo plerumque paulo minor, magis convexus, et posterius magis attenuatus; Ph. bicolori, cujus varietatem olim credidi, magis affinis, sed longe minor, magis convexus et elytrorum apex latius ferrugineus. Caput breve, transversum, versus os angustatum, nigrum, nitidissimum, laeve, ore palpisque pallidis. Antennae pallidae, clava basi saturatiore. Thoracis structura ut in prioribus, niger, nitidissimus, sub-aeneo-micans, laevis, marginibus plerumque ferrugineo-translucentibus. Scutellum breve, triangulare, concolor. Elytra antice latitudine baseos thoracis, posterius angustiora, apice rotundata, supra anterius valde convexa, posterius declivia, ab apice fere ad medium indeterminate rufo-testacea, anterius thoraci concolora; juxta suturam striae duae tenues, utrinque abbreviatae, disco reliquo laevi, polito. Corpus subtus pallidum, punctulatum, pectoris ventrisque medio interdum obscurioribus. Pedes toti pallidi.

Obs. Dom. Sturm. l. c. elytra stria suturali destituta esse dicit; in nostris vero adsunt, etsi valde tenues, parum profundae.

Fam. 5. Chrysomelinae.

CASSIDA p. 434.

1. C. Murraea p. 434.

2. C. equestris p. 436.

3. C.

3. C. rubiginosa p. 437.

Var. *f*, pedibus nigris, tibiarum apice tarsisque fusco-testaceis. Raro cum prioribus occurrit.

Obs. Var. c, sub nomine C. sanguinosa Creutzer, e Germania missa. Individuum monstrosum, thorace antice profunde emarginato, Aboae captum, communicavit Dom. Prof. Sahlberg.

Obs. Basis suturae elytrorum non semper rufescens, sed saepe brunnea aut fusca. C. viridana, Herbst. Col. loc. ad var. d, cit., potius huc pertinet, ob angulos thoracis acuminatos; var. d, specie distingui meretur, sub nomine:

3-4. C. prasina: ovata, laete viridis, thoracis angulis rotundatis, elytris sub-striato-punctatis, basi concoloribus, pedibus pallidis.

Fabr. S. Eleut. 1. 388. 4. *Illig. Col. Bor.* 1. 481. 6. *Schönh. Syn.* 2. 211. 4.

Habitat in plantis rarius.

Praecedenti simillima, sed paulo minor, laetius virens; unicolor. Caput et antennae ut in priori. Thorax fere semicircularis, basi sub-sinuatus, angulis rotundatis, supra parum convexus, inaequalis, sat crebre punctatus, laete viridis; ante basin lunulae duae pallidiores, interdum in annulum confluentes, in Insecto vivo observantur. Scutellum triangulare, virens, striga transversa impressum. Elytra latitudine baseos thoracis et illo triplo longiora, antice sinuata, angulis rotundatis et magis prominulis quam in priori; apice rotundata, supra in disco longitudinaliter convexa, laete viridia, unicolora. Striae punctatae et interstitia elevata eodem ordine ac in priori, sed magis regularia, punctis profundioribus, minus crebris. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, ventris marginibus pallidis. Pedes validi, toti pallidi, tarsis valde dilatatis.

3-4. C. Seladonia: ovata, laete viridis, nitida, thoracis angulis rotundatis, elytris confertim, profunde, inordinate punctatis, pedibus totis ventreque posterius pallidis.

Habitat in plantis Scaniae, ad Esperöd, rarius. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

C. rubiginosa paulo minor, angustior; thoracis angulis rotundatis et elytris concoloribus, crebre, profunde, et inordinate punctatis, distincta. Caput inflexum, nigrum, punctatum, antennis pallidis, apice nigro-fuscis. Thorax fere semi-circularis, basi bisinuatus, angulis obtuso-rotundatis; supra in disco postico convexus, limbo depresso, inaequali, totus laete viridis, obsoletius punctulatus. Scutellum triangulare, viride. Elytra antice latitudine baseos thoracis et illo triplo longiora, basi sinuata, angulis vix, vel parum prominulis; apice rotundata, supra longitudinaliter convexa, confertissime et profunde absque ordine punctata, marginibus deplanatis, rugulosis; tota laete viridia, immaculata. Pectus nigrum, punctatum; venter pallidus, anterius in medio infuscatus. Pedes validi, toti pallidi.

4. C. thoracica p. 439.

5. C. vibex p. 440.

6. C. sanguinolenta p. 441.

Var. *b*, elytris viridibus immaculatis.

Habitat in Scania ad Esperöd *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Simillima a, quoad minimum punctum, modo elytra tota viridia, absque plaga sanguinea baseos.

7. C. nebulosa p. 442.

Var. *c*, thorace brunneo, disco posteriori te-

testaceo, elytrorum signaturis nigris dilatatis, confluentibus.

Habitat in Finlandia. *Dom. Com. Mannerheim.*

8. C. obsoleta p. 444.

Var. *c*, punctis elytrorum simplicibus, vix ocellatis vel mammillatis.

Habitat cum prioribus passim.

9. C. nobilis p. 445.

10. C. viridula p. 447.

11. C. hemisphaerica: sub-rotunda, viridis, antennis, abdomine, pedibusque flavescentibus, thoracis angulis sub-acuminatis, elytris confertissime, vage punctatis.

Herbst. Col. 8. 226. 8. *Tab.* 129. *f.* 9. *g. Dej. Cat. p.* 117. *Schönh. Syn.* 2. 220. 73.

Cassida margaritacea, Thunb. Ins. Sv. 8. *p.* 10. *Gyll. Ins. Sv.* 3. 448. *not. sub c. viridula.*

Habitat in Svecia, *Dom. Doct. Thunberg*; in Ostrogothia ad Annaeberg, *Dom. Boheman*; raro apud nos occurrit.

Latitudo C. viridulae, sed brevior, sub-hemisphaerica. Elytris vage punctatis ab illa et C. margaritacea Fabr. manifeste distincta. Caput inflexum, nigrum, parce punctatum, oculis magnis, oblongis, brunneis. Antennae pallidae, apice parum infuscatae. Thorax brevis, antice rotundatus, basi in medio sinuatus, versus latera oblique adscendens in angulum sub-acuminatum; supra in disco posteriori convexus, versus margines explanatus, totus viridis, obsolete punctulatus. Scutellum triangulare viride, sub-laeve. Elytra magna, antice sinuata, thoracis basi

basi applicata, lateribus et postice rotundata, supra longitudinaliter convexa, marginibus explanatis; undique confertissime et sat profunde, vage punctata, viridia, immaculata. Pectus nigrum, nitidum, puntatum; venter totus flavus. Pedes breves, validi, toti flavi.

Color viridis paginae superioris in individuis exsiccatis saepius in pallidum aut flavescentem mutatur.

HISPA p. 448.

1. H. atra p. 449.

CHRYSOMELA p. 450.

1. C. coriaria p. 451.
   Timarcha coriaria, *Dej. Cat. p.* 122.
2. C. haemoptera p. 452.
   Var. *b*, tota nigra, antennis basi rufis, extrorsum piceis.
   Habitat in Blekingia et Gottlandia. *Mus. Dom. Schönherr.*
3. C. Goettingensis p. 453.
4. C. Lusitanica p. 454.
5. C. staphylaea p. 455.
   Var. *b*, vid. Tom. 3. add. p. 718.
6. C. polita p. 456.
7. C. Populi p. 457.
8. C. Tremulae p. 458.
9. C. collaris p. 459.
10. C. sanguinolenta p. 460.
11. C. limbata p. 461.
12. C. Lapponica p. 463.
13. C. cuprea p. 464.
14. C. Bulgharensis p. 466.

Obs.

Obs. Varietatem C. Lapponicae autumat Dom. Com. Mannerheim in litteris; an jure?

15. C. aenea p. 467.
16. C. graminis p. 468.

Var. *d*, obscure virescens, coeruleo-variegata. Habitat in Lapponia. *Dom. Com. Mannerheim.*

17. C. fastuosa p. 470.
18. C. varians p. 471.
19. C. Raphani p. 472.
20. C. Polygoni p. 474.
21. C. Armoraciae p. 474.
22. C. Sophiae p. 475.
23. C. geminata p. 477. *Germ. Mag.* 1. 2. 148. 2.

Var. *b*, supra nigra, aut nigro-coerulescens. Habitat cum a, passim.

23-24. C. gemellata: ovata, subtus violacea, supra viridi-aenea aut coerulescens, elytris subtilissime punctulatis, seriebus foveolarum majorum, distantium, per paria approximatis.

Germ. Mag. 1. 2. 147. 1. *Ross. Fn. Etr. Mant.* 1. 30. 72. *Ed. Hellwig* 1. 367. 72. *Panz. Fn.* 44. 6.

Chrysomela bicolor, Zetterstedt Act. Holm. 1818. 256. 9.

Chrysomela fucata, Fabr. S. Eleut. 1. 444. 132. *testante Dom. Illig. in Mag.* 3. 158. 39. *Oliv. Ent.* 5. 91. *p.* 535. 51. *Pl.* 4. *f.* 45. *a*, *b*, *et Pl.* 2. *f.* 25. *a*, *b*. *Dej. Cat. p.* 122. *Gyll. Ins. Sv.* 3. 478. *Not. sub C. geminata.*

Habi-

Habitat in aridis ad Esperöd Scaniae. *Dom. Prof. Zetterstedt;* in Gottlandia. *Dom. Fåhreus.*

Statura et affinitas praecedentis, sed fere dimidio minor et vere distincta, punctis serierum in elytris majoribus, paucioribus, magis distantibus etc. Caput parvum, retractum, viridi-aeneum, laeve, oculis brunneis. Antennae thorace longiores, totae nigrae. Thorax brevissimus, antice late emarginatus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, coeruleo-virescens, disco vix vel subtilissime punctulatus, nitidus, intra margines postice impressus, anterius parce punctatus. Scutellum semi-ovatum, thoraci concolor. Elytra magna, thorace latiora et quintuplo longiora, apice rotundata, supra valde convexa, aut virescenti-aenea, aut viridi-coerulescentia; in singulo elytro, juxta suturam, series, posterius simplex, versus basin duplicata, et in reliquo disco series octo, per paria approximatae, omnes constantes foveolis seu punctis majusculis, profunde impressis, minus regulariter locatis, distantibus, vix ultra 10 aut 12 in singula serie; superficies reliqua seu interstitia subtilissime obsoletius vage punctulata. Corpus subtus coeruleum, nitidum, glabrum, fere laeve, pectoris lateribus tantum parce punctatis. Pedes breviusculi validi, coeruleo-virescentes, tarsis dilatatis fusco-ferrugineis, subtus dense spongiosis.

24. C. lamina p. 478.

25. C. Cochleariae p. 479.

Var. *d*, virescenti-aurea, nitidissima.

Habitat in Lapponiae graminosis. *Dom. Prof. Prytz.*

Var. *e*, thorace elytrisque nigris, lateribus coerulescentibus.

Habitat cum prioribus. *Mus. Dom. Schönherr.*

25-26. C. egena: breviter sub-ovata, coerulea, nitida, profunde punctata, ano concolore, thoracis angulis posticis prominulis, elytrorum interstitiis impunctatis.

Dom. Ziegler in litteris. Dej. Cat. p. 124.

Habitat in Finlandia, rarius. *Dom. Schönherr.*

Praecedenti primo intuitu simillima, et minoribus ejus aequalis, sed vere distincta, undique profunde punctata, thoracis structura alia etc. Caput rotundatum, coerulescens, fronte fere plana, inaequali, crebre et profunde punctata. Antennae thorace longiores, nigrae, structura ut in priori. Thorax transversus, antice late et profunde emarginatus, angulis prominulis rotundatis; lateribus ante medium ampliatus, posterius angustior, angulis iterum sub-prominulis; basi subsinuatus, supra modice convexus, aequalis, coeruleus, nitidus, in medio subtilius, versus latera crebre et profunde punctatus, punctis inaequalibus. Scutellum sub-rotundatum, coeruleum, laeve. Elytra magna, antice thorace latiora et illo quadruplo longiora, apice ipso acuminata, supra valde convexa, coerulea, nitida, regulariter et profunde punctato-striata, interstitiis planis, laevibus impunctatis; callus humeralis perparum elevatus, nec foveola intra illum perspicua. Corpus subtus nigro-coerulescens, nitidum, pectore confertim et profunde, ventre parcius et paulo subtilius punctato, ano concolore. Pedes mediocres nigro-coerulescentes, tarsis griseo-spongiosis.

26. C. litura p. 481.

27. C. dispar p. 482.

28. C. affinis p. 485.

Var. *e*, thorace nigro, elytrorum maculis ut in a, sed aut omnibus aut saltem interioribus confluentibus.

Var.

Var. *f*, thoracis lateribus late pallidis, elytris macula tantum unica interiore nigra, rarius altera humerali.

Var. *g*, tota nigra, antennarum basi tantum testacea.

Habitant omnes in Lapponia. *Dom. Com. Mannerheim* et *Prof. Prytz.*

Obs. Var. g, primo intuitu simillima C. viminali var. l, sed thoracis discus et elytrorum interstitia impunctata; corpus magis oblongum et anus niger.

29. C. rufipes p. 486.

30. C. viminalis p. 487.

Obs. Var. b, thorace rufo, immaculato, occurrit etiam, rarius licet, punctis quinque nigris anterius in singulo elytro; primo oblongo, juxta humerum; secundo ei opposito, majore, rotundato, versus suturam; 3, 4, parvis transversim positis, pone maculam humeralem, et quinto majore, posterius acuminato, paulo pone medium, versus suturam.

31. C. marginata p. 491.

Var. *d*, tota nigra, elytrorum margine pallide rufescente.

Habitat cum prioribus rarius.

Obs. Thoracis margo non semper aeque incrassatus, et hoc in omni varietate. Var. b, plerumque paulo minor reliquis, C. cinctella Ziegler, Dej. Cat. p. 122., sed vix specie diversa. Var. c, colore pallidiore tantum differt, immatura forte, ut antea dictum.

32. C. analis p. 492.

33. C. aucta p. 494.

34. C. marginella p. 495.

35. C. vitellinae p. 497.

HELO-

HELODES p. 498.

1. H. Phellandrii p. 499.
2. H. Beccabungae p. 500.

GALLERUCA p. 501.

1. G. Tanaceti p. 502.
2. G. rustica p. 503.
2-3. G. interrupta Pars 3. add. p. 718.

Obs. In Scania a Dom. Prof. Sahlberg et Com. Mannerheim ante aliquot annos copiose lecta.

3. G. Capreae p. 504.

Var. *c*, supra grisea, antennis pedibusque totis nigris.

Habitat in Lapponia. *Dom. Schönherr.*

Simillima a, in pagina superiore, sed antennae et pedes toti nigri, unicolores.

4. G. sanguinea p. 505.
5. G. Viburni p. 507.
6. G. Calmariensis p. 508.
7. G. Nympheae p. 509.
8. G. Sagittariae p. 511.
9. G. lineola p. 512.
10. G. Lythri p. 513.
11. G. tenella p. 514.
12. G. 4-maculata p. 516.
13. G. flavipes p. 517.

Luperus flavipes, Dej. Cat. p. 118.

14. G. rufipes p. 518.

Luperus rufipes, Dej. Cat. p. 118.

15. G. Alni p. 519.

Var.

Var. *c*, elytris virescentibus.
Habitat in Bahusiae maritimis. *Auctor.*

HALTICA p. 520.

Obs. Celeb. Dom. Illiger in Mag. 6. p. 51. seqq. numerosum hoc Genus in plures familias egregie distinxit, et cuique peculiare nomen addidit. Familiae, ad quas species nobis indigenae referri possunt l. c., sic exponuntur.

Fam. 3. *Caesae:* Thorax sulco postico transverso, utrinque abbreviato. Elytra punctato-striata.

Fam. 4. *Sulcicolles:* Thorax sulco postico transverso. Elytra laevigata aut temere punctata.

Fam. 5. *Saltatrices:* Thorax sulco nullo. Elytra temere punctata aut laevigata. Tarsus posticus basalis tibia dimidia brevior, ejus apici insertus.

Fam. 6. *Striatae:* Thorax sulco transverso nullo. Elytra punctato-striata. Tarsus posticus basalis tibia dimidia brevior, ejus apici insertus.

Fam. 7. *Longitarses:* Thorax laevis. Elytra temere punctata aut laevigata. Tarsus posticus basalis tibiam dimidiam longitudine aut aequans aut superans, tenuis, ejus apici insertus.

Fam. 8. *Cryptocephalae:* Caput intra thoracem retractum. Elytra obsolete punctato-striata.

Fam. 9. *Altitarses:* Tibia postica apice exterius

rius oblique truncata, tarso basali elongato, truncaturae superius inserto, ab apice tibiae remoto. Elytra plerisque punctis striata.

1. H. (Saltatrix) fuscicornis p. 520. *Illig. Mag.* 6. 127. 64.

2. H. (Sulcicollis) oleracea p. 520. *Illig. Mag.* 6. 116. 45.

3. H. (dito) mercurialis p. 523. *Illig. Mag.* 6. 117. 49.

4. H. (Saltatrix) coerulea p. 524. *Illig. Mag.* 6. 155. 106.

Var. *c*, elytris viridi-aeneis.

Habitat in Westrogothia. *Dom. Marklin.*

5 H. (Saltatrix) Euphorbiae p. 525. *Illig. Mag.* 6. 155. 105.

Var. *b*, supra viridi-aenea.

Habitat in Gottlandia. *Dom. Prof. Zetterstedt*; in Westrogothia, *Auctor.*

Simillima a, sed paulo minor, et supra tota viridi-aenea, nitida. Obs. In lateribus thoracis, paulo ante medium, denticulus parvus interdum, non vero semper, observatur, qualis etiam in H. coerulea et pluribus saepe exstat.

6. H. (Longitarsis) parvula p. 526. *Haltica pumila*, *Illig. Mag.* 6. 170. 138.

7. H. (Saltatrix) Lepidii p. 527. *Illig. Mag.* 6. 154. 102.

8. H. (dito) atra p. 529. *Haltica obscurella*, *Illig. Mag.* 6. 154. 103.

Obs. Galleruca atra, Payk. loc. cit. certo huc pertinet.

8-9. H. (Saltatrix) Armoraciae: oblongo-ovata, nigra, punctata, elytris flavis, margine omni nigra, antennarum basi, tibiis tarsisque pallide testaceis.

Ent. Heft. 2. 75. 44. *Tab.* 3. *f.* 6. *Illig. Mag.* 6. 150. 93.

Habitat in Finlandia, Aboae et ad Yllaene Nygard. *Dom. Prof. Sahlberg* et *Com. Mannerheim.*

Similis H. nemorum, sed paulo major, magis convexa, subtilius punctata. Caput triangulare, nigrum, nitidum, punctulatum, ore tumido, pubescente. Antennae longitudine dimidii corporis, basi pallide testaceae, extrorsum crassiores, nigrae. Thorax brevis, transversus, antice emarginatus, lateribus rotundatus, reflexo-marginatus, basi truncatus, supra modice convexus, totus niger, nitidus, sat crebre, subtiliter punctulatus. Scutellum triangulare, nigrum, sub-laeve. Elytra thorace paulo latiora et fere quintuplo longiora, apice rotundata, supra convexa, pallide flava, nitida, sat crebre, concinne punctulata, marginibus lateralibus angustius, suturali latius nigris. Corpus subtus nigrum, nitidum punctulatum. Femora omnia nigra, postica magna, crassa; anteriorum genua ut et tibiae et tarsi omnium, pallide testacea.

9. H. (Saltatrix) nemorum p. 530. *Illig. Mag.* 6. 149. 91.

Obs. Vitta elytrorum aut angusta, fere linearis, aut latior, saepe externe in medio sinuata.

Var. *b*, vitta elytrorum lata, stria longitudinali fusca in duas divisa.

Habitat in Scania. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

10. H. (Saltatrix) flexuosa p. 531. *Illig. Mag.* 6. 148. 90.

12. H.

11. H. (Saltatrix) 4-pustulata p. 533.
Haltica Brassicae, *Illig. Mag.* 6. 149. 91.
Crioceris Brassicae, *Fabr. S. El.* 1. 468. 90. *teste Dom. Illig.*

12. H. (Longitarsis) Holsatica p. 534.
Illig. Mag. 6. 170. 139.

13–14. H. (dito) nigra: nigra, antennarum basi pedibusque pallidis, femoribus posticis nigris, elytris confertissime punctatis, apice acuminatis.
Ent. Heft 2. 57. 33. *Illig. Mag.* 6. 171. 141.
Habitat in Gottlandia ad Ruthe. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Simillima H. Anchusae, quoad habitum, puncturam et colorem, sed vere distincta, paulo major, elytra ad apicem suturalem acuminata et pedes pallidi. Caput triangulare, nigrum, nitidum, sub-laeve, fronte inter antennas longitudinaliter carinata; oculi prominuli, brunnei. Antennae dimidio corpore longiores, crassiusculae, articulis 5 vel 6 basecs pallide flavis, reliquis sensim crassioribus nigris, ultimo acuminato. Thorax latitudine brevior, basi apiceque truncatus, lateribus aequaliter rotundatus, anguste marginatus, supra modice convexus, totus saturate niger, nitidus, subtilissime punctulatus. Scutellum sub-rotundatum, nigrum, nitidum, laeve. Elytra magna, antice thorace parum latiora, sed dein ultra medium ampliata, thorace quintuplo longiora, posterius attenuata, apice suturali acuminata; supra valde convexa, saturate nigra, sub-nitida, confertissime et sat profunde punctata. Alae amplae, hyalinae. Corpus subtus nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum. Pedes quatuor anteriores toti et posticorum tibiae tarsique pallide flavescentes; femora postica maxima, nigra, punctulata, tenue pubescentia, interdum basi rufo-picea.

13–14.

13-14. H. (Longitarsis) nigerrima: nigra, nitida, confertim punctata, antennis pedibusque concoloribus, elytris apice acuminatis.

Habitat in Smolandia, rarissime. *Dom. Wetterhall.*

Magnitudo et statura H. Holsaticae. Caput triangulare, nigrum, nitidum, vix punctulatum, oculis magnis, prominulis brunneis. Antennae dimidio corpore longiores, tenues filiformes, totae nigrae, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine brevior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundatus, supra convexus, niger, nitidus, crebre subtiliter punctulatus. Scutellum breve, triangulare, nigrum. Elytra magna, antice thorace multo latiora, humeris rotundatis, tuberculo elevato notatis; thorace quintuplo longiora, apice acuminata, supra convexa, nigra, nitida, confertim et sat profunde punctata. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, punctulatum, ventre pubescente. Pedes toti nigri, femoribus posticis maximis; tibiae posticae apice spina recta ferruginea armatae.

14. H. (Longitarsis) lurida p. 537. *Illig. Mag.* 6. 165. 130.

Obs. Colore saturatiore elytrisque profundius punctatis, apice rotundatis, a sequentibus affinibus distinguitur.

15. H. (Longitarsis) pratensis p. 539. *Haltica atricilla var.* 4. *Illig.* 6. 166. 131.

Obs. Colore pallido et elytrorum punctura subtiliore a praecedente praecipue differt.

16. H. (Longitarsis) atricilla p. 540. id. var. 2. *Illig. Mag.* 6. 166. 131

Obs. Corpore longiore, thorace antice compresso, ut et colore a reliquis affinibus distinguitur.

17. H. (Longitarsis) tabida p. 542. *Illig. Mag.* 6. 166. 132.

Observante Dom. Illig. loc. cit. tarsuum posticorum articulus primus in hac specie minus elongatus, quam in reliquis hujus Familiae.

18. H. (Longitarsis) Verbasci p. 543. *Illig. Mag.* 6. 167. 163.

Var. *c*, elytris fasciis duabus transversis interruptis nigro-fuscis.

Habitat cum prioribus ad Sparrsätra Vestrogothiae, rarissime. *Mus. Dom. Schönherr.*

Fasciae duae nigro-fuscae in elytris, prior paulo ante, altera paulo pone medium, neque margines nec suturam tangentes; caetera ut in var. b, omnia.

18-19. H. (Longitarsis) femoralis: oblongo-ovata, convexa, subtiliter punctulata, capite, thorace elytrorumque sutura ferrugineis, elytris pallidis, ore, oculis, antennis extrorsum, pectore, abdomine femorumque posticorum apice nigris.

Chrysomela femoralis, *Marsh. Ent. Br.* 1. 201. 76.

Habitat in Scania rarius. *Dom. Prof. Zetterstedt.* Ex Anglia a *Dom. Kirby* missa.

Statura oblonga et fere magnitudo H. atricillae, sed multo subtilius punctulata, aliter colorata; H. lutescenti quoad colores similis, sed illa longe minor, brevior et magis depressa. Caput majusculum, triangulare, ferrugineum, sub-laeve, fronte inter antennas ad os usque carinata, os totum nigro-piceum; oculi magni, globosi, nigro-brunnei. Antennae dimidio corpore longiores, articulis 4 vel 5, inferioribus testaceis, sequentibus sensim crassioribus, fuscis seu nigris, pubescentibus. Thorax brevis, basi apiceque trun-

truncatus, lateribus nonnihil rotundatus, supra modice convexus, undique testaceo-ferrugineus, glaber, obsolete punctulatus. Scutellum breve, triangulare, obscurius ferrugineum. Elytra thorace paulo latiora, humeris rotundatis, et illo sextuplo longiora, apice singulatim rotundata, supra convexa, subtiliter obsolete punctulata, pallida, sutura anguste rufo-ferruginea. Pectus et abdomen nigra, sub-nitida, obsolete-punctata, parce pubescentia. Pedes quatuor anteriores toti pallidi, postici elongati ferruginei, femoribus magnis, crassis, superne et apice nigro-fuscis.

19. H. (Longitarsis) melanocephala p. 545.

Var. *c*, thorace rufo-piceo.

Habitat cum prioribus.

20. H. (Longitarsis) lutescens p. 546.

Species vere distincta, amoene colorata, variat etiam tota pallidius flava.

20-21. H. (Longitarsis) ochroleuca: ovata, minus convexa, pallida, subtilissime punctulata, ore, oculis femorumque posticorum apice nigris, pectore brunneo, fronte carinata.

Schönh. Syn. 2. 312. 66. *Gyll. Ins. Sv.* 3. 547. *not. sub H. lutescente.*

Chrysomela ochroleuca, Marsh. Ent. Br. 1. 202. 80.

Habitat in Gottlandia. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Magnitudo, statura et summa affinitas H. lutescentis, sed sutura elytrorum disco concolor, nunquam nigra, abdomen pallidum et frons carinata. Caput majusculum, triangulare, pallide flavum, nitidum, vix punctulatum, fronte inter antennas perspicue carinata; labrum et os nigra; oculi magni, globosi, nigri. Antennae dimidio corpore longiores, inferne pallidae,

lidae, extrorsum paulo crassiores, fuscae. Thorax brevis, basi apiceque truncatus, lateribus rotundatus, supra parum convexus, laevis, totus pallidus. Scutellum minutum, triangulare, pallidum, laeve. Elytra thoracis basi latiora et illo sextuplo longiora, apice sub-rotundata, supra parum convexa, crebre subtiliter punctulata, reliquo corpore adhuc pallidiora, sutura concolore. Alae amplae, hyalinae. Pectus brunneum, nitidum, praesertim versus latera; venter totus pallidus, vix punctulatus. Pedes pallidi, femorum posticorum apice solo nigro.

21. H. (Longitarsis) Nasturtii p. 548.

Obs. Similis H. melanocephalae, praesertim ejus var. c, sed thorax angustior, evidentius punctatus, et elytrorum limbus nigro-fuscus latior, cum in illa sutura et margo lateralis anguste tantum et determinate nigra.

22. H. (Longitarsis) pusilla p. 549.

23. H. (Saltatrix) testacea p. 550. *Illig. Mag.* 6. 157. 110.

23-24. H. (Saltatrix) Cardui: sub-ovata, convexa, rufo-testacea, nitida, oculis solis nigris, thorace minus convexo, elytrisque evidentius punctatis.

Dom. Kirby in litteris. Dej. Cat. p. 120. *Cfr. Ins. Sv.* 3. 551. 23. *not. sub H. testacea.*

Habitat in Carduo lanceolato; in maritimis Bahusiae prope Uddwalliam, copiose lecta; etiam in Westrogothia a *Dom. Schönherr*, et in Smolandia a *Dom. Boheman* capta.

H. testaceae simillima et certe valde affinis, distincta tamen videtur, corpore paulo longiore, minus gibbo, thorace praesertim minus convexo, magis perspicue punctato; elytrorum puncta etiam paulo evi-

dentiora, hinc illinc sub-seriatim disposita. Caetera ut in praecedenti omnia.

24. H. (Caesa) exoleta p. 551.
Haltica ferruginea, *Illig. Mag.* 6. 109. 32.

25. H. (Alti-tarsis) affinis p. 553.
Haltica exoleta, *Illig. Mag.* 6. 176. 160.

Obs. Femora postica valde crassa, subtus angulariter ampliata, observante Dom. Illig. loc. cit. quae nota huic speciei characteristica.

Var. *b*, testacea, oculis, elytrorum sutura, abdominis basi femorumque posticorum apice nigricantibus. *Illig. l. c. var.* 2.

Var. *c*, tota testacea, femoribus posticis apice obscuris, oculis nigris. *Illig. l. c. var.* 3.

Habitant cum a, passim.

Obs. Altica affinis, Dej. Cat. p. 120., ab Ipso Comite benevole communicata, simillima quidem var. b, nostrae, diversa tamen femoribus posticis subtus non angulatis; tibiis ejusdem paris apicem versus latioribus et externe denticulo armatis; haec forte H. marcida, Illig. Mag. 6. 175. 159.

26. H. (Striata) Salicariae p. 554.

Obs. H. striatella, Illig. Mag. 6. 159. 114. huic affinis videtur, sed pedes toti testacei, pectus et abdomen nigro-picea.

27. H. (Caesa) pubescens p. 555. *Illig. Mag.* 6. 112. 37.

28. H. (dito) nigritula p. 557.

29. H. (dito) rufipes p. 558. *Illig. Mag.* 6. 114. 111.

30. H. (dito) femorata p. 559.

31. H.

31. H. (Striata) fuscipes p. 560. *Illig. Mag.* 6. 158. 112.

32. H. (Caesa) nitidula p. 561. *Illig. Mag.* 6. 113. 40.

33. H. (dito) Helxines p. 562. *Illig. Mag.* 6. 112. 39.

Obs. Var. 2 et 3, Illig. loc. cit. femoribus posticis totis nigris, apud nos non occurrunt, quantum mihi innotuit; e Gallia a Dom. Comite Dejean, benevole communicatae; an specie diversae?

34. H. (Alti-tarsis) Dulcamarae p. 565. *Illig. Mag.* 6. 173. 151.

Etiam in Kinnakulle Westrogothiae pluries lecta.

35. H. (Alti-tarsis) Hyoscyami p. 566. *Illig. Mag.* 6. 173. 153.

36. H. (dito) Napi p. 567.
Haltica Rapae, *Illig. Mag.* 6. 174. 154.

Obs. Testante Dom. Illig. loc. cit. Chrysomela Napi Fabr. ad H. Chrysocephalam pertinet, quare Synonymon ejus heic excludendum.

37. H. (Altitarsis) Chrysocephala p. 568. *Illig. Mag.* 6. 174. 156.
Chrysomela Napi, *Fabr. S. El.* 1. 446. 148.
Altica Napi, *Panz. Fn.* 21. *f.* 3.

38. H. (Altitarsis) elongata p. 570.
Haltica cyanoptera, *Illig. Mag.* 6. 175. 157. *et* 77. 35.

Sub nomine: Macrocnema Etrusca olim a Dom. Megerle missa.

39. H. (Altitarsis) Spergulae p. 571.
Haltica cucullata, *Illig. Mag.* 6. 172. 147. *et* 73. 29.

Var.

Var. *b*, supra coeruleo-virescens, elytris apice sub-ferrugineis.

Habitat cum a, passim.

40. H. (Cryptocephala) occultans p. 572. *Illig. Mag.* 6. 171. 144. et 71. 26.

41. H. (Striata) dentipes p. 573. *Illig. Mag.* 6. 162. 121.

42. H. (dito) aridella p. 575. *Illig. Mag.* 6. 162. 123.

Obs. Propter distinctionem a sequentibus valde affinibus, diagnosis sic exponenda.

H. aridella: oblongo-ovata, convexa, obscure aenea, antennarum basi, tibiis tarsisque testaceis, thorace brevissimo transverso capiteque profundius punctatis, elytrorum striis plerisque regularibus.

Ins. Sv. loc. cit. a, et var. b; var. **c**, *d, vero specie distinguendae, sub nomine:*

42-43. H. (Striata) Sahlbergii: oblongo-ovata, convexa, coeruleo-virescens, antennis basi ferrugineis, nigro-maculatis, thorace longiore capiteque profundius punctatis, elytrorum striis plerisque regularibus.

H. aridella, Ent. Heft. 2. 41. 20. *var. a et b. Ins. Sv.* 3. 575. 42. *var. c. Schönh. Syn.* 2. 315. 84. *var. β.*

Var. *b*, supra fere nigra.

Ent. Heft. et Schönh. Syn. loc. cit. var. c. Ins. Sv. l. c. var. d.

Habitat in collibus pratorum passim.

Prae-

Praecedenti magnitudine et statura simillima, sed vix pro ejus varietate censenda, nam praeter colorem alium etiam differt thorace paulo longiore et striis elytrorum magis regularibus. Caput sub-convexum, nigro-coerulescens, crebre et perspicue punctatum. Antennae longitudine dimidii corporis, basi ferrugineae, articulo primo supra late nigro, secundo puncto fusco notato, ultimis crassioribus nigris. Thorax latitudine quidem brevior, sed multo longior quam in H. aridella, basi apiceque truncatus, lateribus rotundatus, supra valde convexus, sat crebre et profunde punctatus, nigro-coerulescens, nitidus, glaber. Scutellum breve rotundatum, concolor, laeve. Elytra antice vix latitudine baseos thoracis, sed dein lateribus ampliata, apice sub-acuminata, supra valde convexa, nigro-coerulescentia, glabra, sat profunde striato-punctata, striis plerisque regularibus, nonnullis interioribus tamen arcuatis et sub-dispersis. Corpus subtus nigro-coerulescens, pectore profundius, ventre subtilius et parcius punctatis. Pedes validi, femoribus nigro-coerulescentibus, tibiis tarsisque ferrugineis; tibiae posticae externe denticulo setoso armatae, ut in affinibus.

42-43. H. (Striata) aridula: ovalis, obscure aenea, antennis basi ferrugineis, supra nigro-maculatis, capite thoraceque subtilissime punctulatis, elytrorum striis interioribus intricatis.

Altica aridella, Dej. Cat. p. 120. *ab ipso Comite communicata et designata.*

Habitat in pratis aridis Westrogothiae rarius.

H. aridellae simillima et valde affinis, distincta tamen videtur, capite thoraceque subtilissime tantum punctulatis, antennarum articulis duobus primis supra macula nigra notatis, et thorace paulo longiore. Caput convexum, fusco-aeneum, confertim subtilissime punctulatum, supra os cinereo-pubescens. Antennae lon-

longitudine dimidii corporis, nigrae, articulis tribus baseos ferrugineis, primo supra linea lata nigra, secundo puncto parvo ejusdem coloris notatis. Thorax multo longior quam in H. aridella, basi apiceque sub-truncatus, antice compressus, unde ibi angustior apparet, lateribus rotundatus, supra valde convexus, aeneus, sub-nitidus, sat crebre sed subtilissime punctulatus. Scutellum parvum, triangulare, concolor, laeve. Elytrorum forma omnino ut in H. aridella; punctura etiam ut in illa, interne nempe valde irregularis, intricata, versus margines in strias magis regulares digesta; color elytrorum saepe obscurius aeneus. Corpus subtus nigro-aeneum, sub-nitidum, crebre et anterius sat profunde, versus anum subtilius punctatum. Pedes validi, femoribus nigro-aeneis, tibiis tarsisque ferrugineis; tibiae plerumque basi infuscatae, posteriores externe denticulo armatae, ut in prioribus.

42-43. H. (Striata) Mannerheimii: oblongo-ovalis, convexa, coeruleo-virens, tibiis testaceis, thorace subtilissime punctulato; elytris externe striato-punctatis, dorso confertim vage punctatis.

Habitat in Finlandia rarius. *Dom. Comes de Mannerheim.* Ex Anglia olim a *Dom. Kirby*, sub nomine Altica napi communicata.

H. Sahlbergii colore sub-similis et in pluribus affinis, sed fere duplo major, thorax multo subtilius punctulatus, elytra longiora, interne crebrius vage punctata, et antennae vix basi pallidiores. Caput subtriangulare, retractum, nigro-coerulescens, subtilissime punctulatum; os nigrum; oculi brunnei. Antennae mediocres, extrorsum crassiores, nigrae, articulis primis subtus tantum obscure ferrugineis. Thorax brevis, antice compressus, lateribus rotundatus, supra valde convexus, coeruleo-virescens, sub-nitidus, confer-

fertissime subtiliter punctulatus. Scutellum breve, triangulare fusco-aeneum, laeve. Elytra antice latitudine baseos thoracis, humeris rotundatis, callo oblongo, valde elevato notatis; mox pone basin ampliata, thorace quintuplo longiora et ultra, apice rotundata, supra convexa, coerulea, nitida, versus margines et postice striato-punctata, dorso antico confertim temere punctata. Corpus subtus nigrum, nitidum, crebre punctatum. Pedes validi, femoribus nigro-coerulescentibus, nitidis, tibiis tarsisque fusco-ferrugineis, articulo unguiculari tarsuum nigro-piceo.

43. H. (Striata) semi-aenea p. 576.
Haltica rustica, *Illig. Mag.* 6. 159. 115.
Chrysomela rustica, *Linn. Syst. nat.* 2. 595. 63. *forte.*

44. H. (Striata) Chrysanthemi p. 578. *Illig. Mag.* 6. 160. 116.

45. H. (dito) obtusata p. 579.

46. H. (Caesa) Modeeri p. 580. *Illig. Mag.* 6. 112. 58.
Var. *b*, nigro-coerulea.
Habitat in Smolandia. *Dom. Boheman.*
Simillima a, colore excepto; caput, thorax et elytrorum pars anterior nigro-coerulea; caetera ut in a.

47. H. (Caesa) Rubi p. 581. *Illig. Mag.* 6. 160. 117.

EUMOLPUS p. 582.

1. E. obscurus p. 583.

CLYTHRA p. 584.

1. C. 4-punctata p. 585.
2. C. taxicornis p. 586.
Obs. Erroneae forte ut Sveciae incola allata.

3. C.

3. C. tridentata p. 587.
4. C. longimana p. 589.
5. C. 4-maculata p. 590.
6. C. cyanea p. 591.

6-7. C. aurita: coeruleo-atra, nitida, antennarum basi, thoracis lateribus late pedibusque luteo-rufis, femoribus basi nigricantibus.

Fabr. S. Eleut. 2. 36. 36. *Zetterstedt Act. Holm.* 1818. 257. 10. *Schönh. Syn.* 2. 349. 41.

Habitat in fruticibus ad Fogelsäng Scaniae, mense Junio, sat copiose. *Dom. Prof. Fallén* et *Zetterstedt.*

Statura omnino C. cyaneae, plerumque paulo major, praesertim femina, et aliter colorata. Caput rotundatum, atro-coerulescens, fronte inaequali, punctulata et strigosa; oculi magni, semi-globosi, glauci. Antennae thorace parum longiores, compressae, articulis quatuor baseos luteo-testaceis, reliquis nigris, sub-serratis. Thorax quoad structuram ut in priori omnino, supra convexus, inaequalis, ante basin subtilissime punctulatus, caeterum laevis, politus, in medio longitudinaliter niger, nitidus, vix coerulescens, lateribus late luteo-rufis. Scutellum elevatum, triangulare, nigrum, nitidum, laeve. Elytrorum forma ut in prioribus, supra modice convexa, inaequalia, sat crebre punctata, nigro-coerulea, nitida. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, punctulatum, parce cinereo-pubescens, segmento anali feminae foveola rotunda impresso, maris convexo, integro. Pedes mediocres flavo-testacei, femoribus basi plus minusve nigricantibus.

7. C. affinis p. 592.

CRYPTOCEPHALUS p. 593.

1. C. cordiger p. 593.

2. C. variabilis p. 595.
3. C. variegatus p. 597.
4. C. 6-punctatus p. 599.

Obs. Abdomen maris subtus in medio excavatum, dentibus duobus validis armatum; feminae convexum, integrum, segmento penultimo solum foveola rotunda impresso. Ex a et var. b, feminas tantum vidi; var. c, plerumque masculini sexus.

5. C. Coryli p. 602.
6. C. Pini p. 603.
7. C. sericeus p. 605.
8. C. violaceus p. 607.
9. C. nitens p. 608. *Sturm. Verz. p.* 39. 6. *Pl.* 1. *f.* 6.
10. C. nitidulus p. 610.
11. C. flavipes p. 611. *Sturm. Verz. p.* 41. 8. *Tab.* 1. *f.* 8.
12. C. 4-pustulatus p. 613.
13. C. dispar p. 614.
14. C. Moraei p. 617.
15. C. 10-punctatus p. 619.

15-16. C. Histrio: niger, confertim punctatus, thorace elytrisque flavo-variegatis, elytris externe tantum striato-punctatis, pedibus ferrugineis nigro-variis, femoribus macula apicis flava.

Fabr. S.El. 2.55.77. *Dej. Cat. p.* 127. *Schönh. Syn.* 2. 367. 70.

Var. *b*, thorace elytrisque flavis, signaturis variis nigris, plerisque connexis.

Chry-

Cryptocephalus hieroglyphicus, *Fabr. S. El.* 2. 53. 67. *Schönh. Syn.* 2. 367. 69.

Habitat in Finlandiae, Bothniae, Betula alba. *Dom. Prof. Sahlberg*, *Prytz* et *Com. de Mannerheim*.

Statura et similitudo praecedentis; magnitudo et signaturae pari modo variant. Frons retusa, confertim punctata, flava, vertice lineaque media, saepe antrorsum bifida, nigris; oculi reniformes brunnei. Antennae dimidio corpore longiores, tenues, nigrae, basi ferrugineae, articulis primis supra infuscatis. Thorax brevis, antice sub-truncatus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, confertim punctatus, ante basin transversim impressus, praesertim in medio ante scutellum; aut niger, margine antico sinuatim, linea intramarginali continua utrinque, maculisque tribus disci flavis, prima cuneiformi, in medio antico, saepe cum flavedine marginis antici connexa, et una intra basin utrinque, major, obliqua, arcuata; aut in var. b, maxima parte flavus, signaturis nigris, arcuatis, cohaerentibus. Scutellum nigrum, nitidum, laeve, apice obtusum. Elytrorum forma uti in prioribus omnino, supra convexa, externe striatim, interne vero, praesertim anterius, vage punctata, in a, nigra, margine baseos elevato flavo, liturisque variis flavis in disco, praesertim versus apicem; in var. b, maxima parte flava, lituris sub-quinis nigris, vario modo confluentibus. Corpus subtus nigrum, punctulatum, antice puncto uno alterove flavo ad pedum insertionem notatum. Pedes mediocres, aut ferruginei, femoribus basi et superne nigris, aut maxima parte nigri, femoribus semper versus apicem externe macula alba notatis.

16. C. insignis p. 622.

17. C. flavilabris p. 623.

Cryptocephalus fulcratus, *Germ. Ins. Sp.* I. 556. 758. *vix distinctus videtur.*

Obs.

Obs. Punctura thoracis variat, aut fortior, magis crebra, aut subtilior et parcior, et hoc in utroque sexu et varietate, vix vero specie distinctas puto.

18. C. punctiger p. 624.

19. C. pallifrons p. 625.

20. C. frontalis p. 626.

21. C. labiatus p. 627.

21–22. C. Wasastjernii: niger, lineis duabus frontalibus, ore, antennarum basi pedibusque anterioribus flavis, thorace subtilissime strigoso, elytrorum striis apicem fere attingentibus.

Ins. Sv. 3. 628. *not. sub C. labiato.*

Habitat in Bothnia orientali, rarissime. *Dom. Wasastjerna*, Entomologus perspicacissimus, qui plurima Insecta, praesertim minutissima, antea ignota, detexit et benevole communicavit.

Statura et summa similitudo C. labiati et minimis ejus magnitudine aequalis, constanter tamen differt: maculis seu lineis frontalibus luteis, thorace striolis subtilissimis notato, striisque elytrorum apicem fere attingentibus. Caput retractum, nigrum, fronte plana, anguste canaliculata; in vertice utrinque lineola lutea, in femina angustior, oblique versus oculum ducta, ibique desinens; in masculo latior, juxta oculum ad os usque continuata; os totum in utroque sexu luteum. Antennae ut in praecedente omnino. Thoracis structura etiam ut in illo, totus niger, nitidus, sub oculo armato striolis abbreviatis punctulisque minutissimis inscriptus. Scutellum ut in priori. Elytrorum forma et color etiam ut in illo, sed striae punctatae longiores, apicem fere attingunt. Corpus subtus ut in priori. Pedes quatuor anteriores flavi, tarsis fusco-ferrugineis; femo-

femora postica nigra, apice flava, tibiae ejusdem paris basi flavae, apice infuscatae.

Obs. Cryptocephalus geminus, Dej. Cat. p. 128. ab ipso Comite benevole communicatus, qui etiam C. labiatus, Oliv. Ent. 696. 833. 84. Pl. 7. f. 113. Schneid. Mag. 2. 204. 12. var. a. Sturm. Verz. p. 40. n. 7. Tab. 1. f. 7. Schönh. Syn. 2. 363. 53. var. b, huic nostro quidem similis et affinis, sed duplo major, maculae flavae verticis breves, ovatae; thorax laevissimus; elytrorum striae breviores et pedes toti, etiam postici flavi, quare certe specie distinctus; sed hic apud nos adhuc non inventus.

22. C. minutus p. 629. *Sturm. Verz. p.* 43. 10. *Tab.* 1. *f.* 10.

Var. *e*, elytris nigris, margine laterali anguste, apiceque late flavis. *Schönh. loc. cit. var.* η.

Cryptocephalus marginellus, *Marsh. Ent. Br.* 1. 211. 10.

Habitat in Finlandia. *Dom. Prof. Sahlberg* et *Prytz.* In Scania ad Esperöd. *Dom. Prof. Zetterstedt.*

Caput, antennae, thorax omnino ut in prioribus. Scutellum nigrum. Elytra nigra, margine laterali toto angusto, apice late flavo. Corpus et pedes ut in prioribus.

23. C. bi-lineatus p. 630. *Ahr. Fn. Ins. Eur.* 7. *f.* 8.

LEMA p. 632.

1. L. merdigera p. 633.
2. L. brunnea p. 634.
3. L. punctata p. 635.
4. L. Asparagi p. 636.

5. L.

5. L. melanopa p. 637.
6. L. cyanella p. 638.
7. L. sub-spinosa p. 640.
Zevgophora sub-spinosa, *Kunze in Nov. Act. Hall.* 2. 4. 75. 1.
Auchenia sub-spinosa, *Dej. Cat. p.* 114.
Var. *b*, ut species distincta consideranda, sub nomine:

8. L. flavicollis: nigra, ore, thorace, antennarum basi, elytrorum angulo humerali pedibusque flavo-testaceis.
Zevgophora flavicollis, *Kunze in Nov. Act. Hall.* 2. 4. 75. 2.
Auchenia flavicollis, *Dej. Cat. p.* 114.
Lema sub-spinosa var. b. Ins. Sv. l. c. Schönh. Syn. 2. 285. 53. *var. β.*

Habitat in foliis Populi tremulae rarius.

Differentiam a priori, loc. cit. indicavi, nempe: magnitudo dimidio, imo duplo major. Caput supra nigrum, ore late flavo; antennae nigrae, articulis tantum tribus baseos flavis. Thorax obsoletius et parcius punctatus, pallide flavus. Elytrorum angulus humeralis subtus flavus. Pedes flavi, femoribus posticis interdum in medio infuscatis.

ORSODACHNA p. 642.

1. O. chlorotica p. 642.
Var. *e*, tota nigra, capite antice, ano pedibusque solum testaceis.
In floribus Padi ad Kinnakulle Westrogothiae rarius lecta.

Obs. Crioceris glabrata Fabr. S. El. 1. 455. 28.

28. huc pertinet, ob thoracem nigrum, eadem Panzeri vero ad var. d.

2. O. Betulae p. 644.
Auchenia Betulae, Dej. Cat. p. 114.

DONACIA p. 646.

1. D. crassipes p. 646.
Ahrens in Nov. Act. Hall. 1. 3. 14. 1. *Germ. ibid.* 1. 6. 27. 1. *Kunze ibid.* 2. 4. 1. 1. *Schönh. Syn.* 3. 90. 1.

2. D. bidens p. 648. *Schönh. Syn.* 3. 91. 2.
Donacia clavipes, Ahrens in Nov. Act. Hall. 1. 3. 15. 2.
Donacia cincta, Germ. Nov. Act. Hall. 1. 6. 27. 2. *Kunze ibid.* 2. 4. 3. 2.

Obs. Synonymon Olivierii minus certum, ob descriptionis insufficientiam; nomen ideo in D. cincta mutandum. Donacia dentata Hoppe et recentiorum, alia est, apud nos adhuc non inventa. Synonymon ejus ideo etiam excludendum. Var. b, loc. cit. specie distincta, cui nomen:

2–3. D. Sparganii: supra virescenti-cuprea, subtus fulvescenti-sericea, pedibus fusco-aeneis, femoribus bi-dentatis; thorace transverso subtiliter strigoso, elytris planiusculis apice truncatis.
Ahrens Nov. Act. Hall. 1. 3. 20. 5. *Germ. ibid.* 1. 6. 28. 5. *Kunze ibid.* 2. 4. 12. 5. *Schönh. Syn.* 3. 91. 3.
Donacia bidens var. b. Ins. Sv. 3. 649.
Habitat in plantis aquaticis apud nos rarius.

Praecedenti similis et affinis, sed distincta: thorace breviore, subtilius strigoso, elytris minus convexis,

xis, pedibus unicoloribus etc. Caput porrectum, fusco-virescens, crebre, ruguloso-punctatum, antice profunde canaliculatum, pube cinereo-fulvescente adspersum, oculis magnis, globosis brunneis. Antennae mediocres, totae nigrae, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine brevior, antice paulo latior, angulis prominulis; lateribus pone medium impressus, basi truncatus, supra parum convexus, intra basin transversim impressus, canalicula dorsali brevi, obsoleta, postice tantum evidentiore, notatus: confertim subtiliter strigosus, opacus, aut obscure viridis, aut cupreo tinctus, pube subtili cinerea, depressa, adspersus. Scutellum ovale, viride, punctatum, pubescens. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, prominulis, thorace sextuplo longiora, versus apicem attenuata, apice truncata, supra in dorso antico fere plana, obsolete impressa, rude striato-punctata, interstitiis transversim strigosis; viridia, magis nitida, in dorso saepe cupreo-tincta, parce cinereo-pubescentia. Corpus subtus nigro-virescens, subtilissime punctulatum, pube densa, depressa, sericeo-fulvescente tectum. Pedes longiusculi fusco-virescentes, fulvo-pubescentes, femoribus saepe violaceo-micantibus, posticis clavatis, versus apicem subtus dentibus duobus parvis armatis, et hoc in utroque sexu, interiore minori.

3. D. dentipes p. 650. *Ahrens Nov. Act. Hall.* 1. 3. 19. 4. *Germar ibid.* 1. 6. 27. 4. *Kunze ibid.* 2. 4. 10. 4. *Schönh. Syn.* 3. 91. 4.

4. D. Sagittariae p. 651. *Ahrens Nov. Act. Hall.* 1. 3. 25. 9. *Germar ibid.* 1. 6. 28. 9. *Kunze ibid.* 2. 4. 14. 9. *Schönh. Syn.* 3. 92. 5.

5. D. Lemnae p. 653. *Ahrens Nov. Act. Hall.* 1. 3. 24. 8. *Kunze ibid.* 2. 4. 14. 8. *Schönh. Syn.* 3. 93. 6.

6. D. obscura p. 654. *Ahrens Nov. Act. Hall.* 2. 4.

2. 4. 13. 7. *Dej. Cat.* p. 113. *Schönh. Syn.* 3. 93. 7.

Donacia impressa, *Ahrens Nov. Act. Hall.* 1. 3. 23. 7.

6-7. D. brevicornis: supra obscure aenea, subtus aureo-villosa, antennis brevibus, thorace sub-quadrato, rugoso punctato, elytris lacunosis, basi etiam regulariter punctato-striatis, apice truncatis.

Ahrens Nov. Act. Hall. 1. 3. 26. 10. *Kunze ibid.* 2. 4. 16. 10.

Habitat in plantis aquaticis Westrogothiae rarius.

D. obscurae simillima, paulo tamen angustior, magis nitida, elytrorum striis etiam basi simplicibus, fere absque interjectis punctis vagis, ut et antennis paulo brevioribus, praecipue distincta. Caput nigrum, subtilissime punctulatum, pube subtili, densa, nitida tectum, canalicula frontali brevi, profunda; oculi magni, globosi. nigro-brunnei. Antennae vix dimidio corpore longiores, nigrae. Thorax latitudine brevior, posterius paulo angustior, supra parum convexus, inaequalis, confertim et sat profunde rugoso-punctatus, obscure aeneus, margine ipso antico et postico elevatis viridibus; canalicula dorsalis parum profunda, basin non attingens. Scutellum triangulare nigrum, pube densa, depressa, flavescente tectum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace sextuplo longiora et ultra, apicem versus attenuata, apice ipso sub-truncata, supra subdepressa, inaequalia, impressionibus ut in priori; regulariter punctato-striata, punctis striarum versus apicem sensim minoribus; juxta humerum striae arcuatim ad basin flexae, omnes simplices, vix puncto uno alterove solitario interjecto; interstitia striarum subtilis-

lissime, crebre, transversim strigosa; color elytrorum fusco-aeneus, sub-nitidus. Corpus subtus nigrum, pube densa, depressa, flavo-aurea tectum. Pedes elongati nigro-aenei, aureo-villosi, femoribus posticis versus apicem dente valido, acuto, armatis.

7. D. impressa p. 655. *Kunze Nov. Act. Hall.* 2. 4. 19. 10. *b. Schönh. Syn.* 3. 93. 8.

Donacia hybrida: Dom. Schüppel in litteris.

Donacia Scirpicola, Dom. Eschscholtz in litt.

A primo vere, per totam aestatem frequenter occurrit in floribus pratorum humentium.

Var. c, ad speciem sequentem pertinet.

7-8. D. thalassina: supra virescenti-aurea, sericeo-nitida, subtus aureo-villosa, thorace profunde punctato, postice angustiore, elytris regulariter punctato-striatis, apice declive truncatis, femoribus posticis acute dentatis.

Germar in Nov. Act. Hall. 1. 6. 29. 10—11. *Kunze ibid.*

Var. *b*, thorace elytrisque rubro-cupreis. *Kunze loc. cit. var. c.*

Donacia impressa var. Ins. Sv. 3. 655. 7. *var. c, ut et var. ibi memorata, femoribus acutius dentatis.*

Habitat in plantis aquaticis passim.

Duabus proxime praecedentibus valde similis et affinis; a D. impressa vero manifesto differt, femoribus acute dentatis; a D. brevicorni colore paginae superioris vivaciore, etsi non splendido, sed sericeo-micante. Caput fusco-aeneum, punctulatum, pube subtili depressa flavo-aurea tectum; canalicula frontalis sat profunda, verticem non attingit, oculi globosi, nigro-brunnei. Antennae nigrae, basi au-

reo-extrorsum cinereo-pubescentes. Thorax latitudine antica parum brevior, antice latior, angulis prominulis; lateribus inaequalis, in medio impressus, postice angustior, angulis etiam prominulis, supra parum convexus, inaequalis, canalicula media abbreviata impressus, crebre et profunde rugoso-punctatus, virescenti-aeneus, saepe rubro-cupreo tinctus. Scutellum triangulare nigrum, pube densa flavo-aurea tectum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace sextuplo longiora, apicem versus angustata, apice ipso truncato, deflexo; supra in dorso parum convexa, obsolete lacunosa, anterius profunde, versus apicem sensim subtilius striato-punctata, immixtis juxta humerum punctis nonnullis vagis; interstitia striarum confertissime subtiliter inordinate strigosa; aut virescenti- aut cupreo-aurea, sericeo-micantia. Corpus totum subtus vellere denso, depresso, flavescenti-aureo omnino tectum. Pedes elongati, aureo-villosi, femoribus versus apicem dente acuto armatis, tarsis nigricantibus.

8. D. s e r i c e a p. 656.

Donacia micans, *Ahrens in Nov. Act. Hall.* 1. 3. 28. 11. *Germar ibid.* 1. 6. 30. 11. *Kunze ibid.* 2. 4. 25. 11.

Obs. Villositas paginae inferioris jam tenuis, jam magis densa, plerumque cinereo-argentea, in var. e, f. vero flavescenti-aurea, praesertim in pectore; vix vero huc pertinet: D o n a c i a s e r i c e a, Ahrens et Kunze loc. cit., cui punctura capitis et thoracis crassior adscribitur etc., nec D o n a c i a p r o t e u s Kunze loc. cit. No. 10. d, huc referri posset, nam ejus thorax quadratus, punctato-rugosus, describitur.

9. D. v i o l a c e a p. 660.

Obs. Interstitiis striarum in elytris laevibus, non transversim strigosis, perspicue a praecedenti distincta, ut antea loc. cit. dictum; caeterum simillima.

10. D. d i s c o l o r p. 660.

Obs.

Obs. Donacia discolor Hoppe et recentiorum, etsi simillima, distincta tamen, quare nomen mutandum et diagnosis emendanda; nomen hujus speciei jam erit:

D. affinis: metallica, antennarum basi, ano pedibusque rufescentibus, thorace depresso, inaequali, confertim punctato-striatis, interstitiis subtilissime coriaceis.

Kunze Nov. Act. Hall. 2. 4. 37. 12. *f. Dom. Schüppel in litteris.*

Donacia discolor, *Ins. Sv.* 3. 660. 10.

Descriptioni loc. cit. datae addendum: Thoracis anguli antici rotundati, callo elevato. Puncta striarum in elytris minora, discreta, et interstitia striarum in masculis subtilissimé punctato-coriacea, in femina magis perspicue transversim strigosa.

Mas variat rarius femoribus apicem versus infuscatis.

Var. b, loc. cit. ad speciem sequentem pertinet.

10-11. D. discolor: metallica, antennis pedibusque rufo-variis, thorace sub-cordato, convexo, inaequali, confertissime punctato, angulis anticis prominulis, elytris profundius punctato-striatis, interstitiis transversim rugulosis.

Ahrens Nov. Act. Hall. 13. 31. 13. *Kunze ibid.* 2. 4. 41. 13.

Var. *b*, maris, pedibus maxima parte nigris, puncturis tantum rufescentibus.

Donacia discolor, *var. b*, *Ins. Sv.* 3. 660. 10.

Habitat in plantis aquaticis, apud nos rarius.

Praecedenti simillima et pari modo, secundum sexum, colore varians; essentialiter tamen differt: thorace longiore, sub-cordato, supra magis convexo, angulis

gulis anticis prominulis etc. Caput aut nigrum aut fusco-aeneum, confertim punctulatum, cinereo-pubescens, ore piceo-rufo; canalicula frontalis ad collum producta, interdum interrupta. Antennae maris dimidio corpore longiores, feminae paulo breviores, aut totae rufae, quod saepius apud feminas exstat, aut articulis, praesertim exterioribus, apice plus minusve nigris. Thorax latitudine antica paulo longior, posterius multo angustior, unde sub-cordatus apparet; antice truncatus, margine elevato, angulis nonnihil prominulis; lateribus obliquis, parum rotundatis; basi etiam truncatus, intra basin transversim impressus, supra in disco modice convexus, confertissime punctulatus, pilisque minutis cinereis parce adspersus; canalicula dorsalis et impressiones reliquae solitae obsoletiores quam in priori; color in masculis plerumque, non vero semper, niger, in femina obscure aeneus. Scutellum triangulare, aut virescenti-aeneum, aut nigrum, cinereo-pubescens. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis; lateribus pone basin ampliata, apicem versus angustata, apice singulatim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, sat regulariter et profundius striato-punctata, interstitiis transversim rugulosis et strigosis; maris plerumque nigra, feminae aenea. Corpus subtus nigrum, confertissime punctulatum, pube densiore cinerea, depressa tectum, ano segmentorumque ventralium marginibus ferrugineis. Pedes validi, femoribus latis, compressis, posticis dente valido armatis; aut toti rufi, aut femoribus plus minusve infuscatis, quod in masculis praesertim exstat; aut ut in var. b, maxima parte nigri, femorum tibiarumque basi ferrugineis.

Obs. Donacia rustica, Kunze Nov. Act. Hall. 2. 4. 31. 12. c, a Dom. Schüppel communicata, praecedenti simillima, sed thoracis anguli antici rotundati, striarum interstitia in elytris magis rugosa etc.; haec vero apud nos adhuc non inventa, quantum mihi innotuit.

10-11. D. nigra: antennis, ano pedibusque rufe-

rufescentibus, thorace coerulescente, subcordato, angulis anticis sub-prominulis, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis transversim valde rugosis, femoribus posticis obtuse dentatis.

Fabr. S. Eleut. 2. 127. 9. *Ahrens Nov. Act. Hall.* 1. 3. 32. 14. *Germar. ibid.* 1. 6. 31. 14. *Kunze ibid.* 2. 4. 41. 14. *Gyll. Ins. Sv.* 3. 662. *not. Schönh. Syn.* 3. 93. 14.

Habitat in plantis aquaticis: prope Holmiam, *Dom. Häffner;* in Finlandia, *Dom. Prof. Sahlberg;* raro apud nos occurrit.

Major proxime praecedentibus, et abunde diversa. Caput nigrum, confertim punctulatum, pube depressa, cinerea, nitida adspersum; canalicula frontalis profunda, verticem attingens. Antennae dimidio corpore longiores, rufo-ferrugineae, articulis apice plus minusve nigris. Thorax latitudine antica vix longior, posterius multo angustior, sub-cordatus, antice truncatus, angulis prominulis, lateribus pone apicem valde ampliatus, tuberculo magno, elevato notatus, dein oblique angustatus, basi etiam truncatus, supra modice convexus, confertim punctatus, pilis depressis cinereis adspersus; canalicula dorsalis anterius obsoletior, in ipsa basi magis profunda; aut nigro-coerulescens, aut sub-virescens, aut cyaneus. Scutellum oblongo-triangulare nigrum, pube densa, cinerea, nitida vestitum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis, rotundatis, thorace quadruplo longiora, apice singulatim rotundata, supra convexa, profunde striato-punctata, punctis striarum crebris, approximatis, interstitiis transversim valde rugosis; aut tota nigra, aut versus latera coeruleo-micantia. Corpus subtus nigrum, opacum, confertissime punctulatum, pube depressa cinerea vestitum, ano, segmentorumque ventralium marginibus rufo-piceis. Pedes longiusculi rufe-

rufescentes, femoribus modice crassis, posticis versus apicem dente valde obtuso armatis.

11. D. Menyanthidis p. 662. *Ahrens Nov. Act. Hall.* 1. 3. 36. 17. *Kunze ibid.* 2. 4. 44. 17. *Schönh. Syn.* 3. 96. 16.

12. D. simplex p. 664. *Ahrens Nov. Act. Hall.* 1. 3. 38. 20. *Kunze ibid.* 2. 4. 47. 20. *Schönh. Syn.* 3. 96. 18.

Obs. Monente Dom. Kunze loc. cit., D. simplex Fabr. et Illig. ad sequentem, D. linearem, pertinet, ideoque nomen Panzeri, D. semicuprea, huic speciei aptius tribuendum.

13. D. linearis p. 665. *Ahrens Nov. Act. Hall.* 1. 3. 37. 18. *Kunze ibid.* 2. 4. 45. 18. *Schönh. Syn.* 3. 97. 19.

Obs. Propter distinctionem a sequenti, valde affini, diagnosis in fine sic emendanda: „Elytra apice truncata, interstitiis striarum subtilissime strigosis."

Var. b, loc. cit. excludatur, ad sequentem pertinens, et loco ejus inseratur:

Var. *b*, elytris ad basin interne rubro-cupreis. Habitat cum a, passim.

Var. c, loc. cit. huc pertinet.

13-14. D. Typhae: sub-linearis, supra viridi-aenea, subtus argenteo-sericea, antennis pedibusque testaceo-variegatis, thorace sub-depresso punctatissimo, elytris apice emarginatis, interstitiis striarum strigosis.

a, Elytris vitta sub-suturali rubro-aurea.

Ahrens Nov. Act. Hall. 1. 3. 37. 19. *Kunze ibid.* 2. 4. 47. 19.

Do-

Donacia linearis var. b, *Gyll. Ins. Sv.* 3. 665. 13. *Schönh. Syn.* 3. 97. 19. *var. β.*

Var. *b*, thorace elytrisque coeruleo-variegatis.

Habitat in plantis aquaticis passim.

Praecedenti simillima et minoribus ejus magnitudine aequalis, elytris apice sub-emarginatis praecipue distincta. Caput et collum fusco-virescentia, punctatissima, tenue pubescentia, canalicula frontali plerumque interrupta; oculi globosi nigro-brunnei. Antennae ut in priori omnino. Thorax quoad structuram ut in praecedente, supra sub-depressus, confertissime ruguloso-punctatus, obsoletius impressus, canalicula dorsali obsoletissima; virescenti-aeneus, sub-opacus. Scutellum oblongo-triangulare, fuscum, punctulatum, cinereo-pubescens. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris rotundatis, thorace quintuplo longiora, apicem versus angustata, apice ipso leviter emarginata, supra modice convexa, in dorso more solito, sed valde obsolete quadri-impressa, sat regulariter punctato-striata, interstitiis subtilissime strigosis; laete viridi-aenea, sub-nitida, sutura concolore, sed juxta suturam in a, vitta inaequalis, indeterminata, rubro-aurea, apicem non attingens. Corpus subtus nigrum, sed vellere denso, brevi, depresso, cinereo-argenteo tectum. Pedes elongati tenues, femoribus sub-aeneis, cinereo-villosis, basi ferrugineis; tibiae arcuatae fusco-ferrugineae, tarsis obscurioribus.

Var. b, differt tantum thorace elytrisque inaequaliter coeruleo- vel violaceo-variegatis.

14. D. Hydrochaeridis p. 667. *Ahrens Nov. Act. Hall.* 1. 3. 45. 24. *Kunze ibid.* 2. 4. 50. 24. *Schönh. Syn.* 3. 97. 20.

14-15. D. tomentosa: sub-linearis, depressa, obscure virescens, opaca, dense cinereo- vel flavescenti-tomentosa, thorace sub-

sub-quadrato, utrinque profunde emarginato, elytris apice sub-emarginatis, pedibus testaceo-variis.

Ahrens Nov. Act. Hall. 1. 3. 42. 23. *Kunze ibid.* 2. 4. 50. 23. *Schönh. Syn.* 3. 97. 21.

Ins. Sv. 3. 668. *not. sub D. Hydrochaeridis.*

Habitat in plantis aquaticis Scaniae rarius. *Dom. Prof. Fallén* et *Zetterstedt.*

D. Hydrachaeridis statura et magnitudine similis, sed longius et densius tomentosa; tuberculum anguli antici thoracis obsoletum et pedes dilutiores. Caput porrectum, obscure virescens, parce et obsolete punctatum, pube tenui depressa cinerea vel flavescente obductum; oculis globosis nigro-brunneis; frons et vertex canalicula, plerumque interrupta, exarata. Thorax sub-quadratus, antice tamen paulo latior, angulis protuberantibus; basi apiceque truncatus, lateribus in medio profunde angulatim impressus vel emarginatus, supra depressus, margine antico posticoque elevatis; canalicula dorsalis antice obsoleta, pone medium in sulculum abbreviatum terminata; juxta impressionem lateralem foveola rotunda, sat profunde impressa, sed tuberculum nullum elevatum intra angulum anticum; superficies praeterea subtilissime punctulata; color fusco-virescens; indumentum tenue, depressum, cinereo-flavescens. Scutellum ovatum, dense flavescenti-pubescens. Elytra thoracis basi dimidio latiora, humeris rotundatis, sub-elevatis; thorace quintuplo longiora, versus apicem angustata, apice ipso sub-emarginata, supra sub-depressa, praesertim anterius; subtilius striato-punctata, tota obscure virescentia, opaca, pube vel tomento longiore, densa, depressa, cinerea vel flavescente omnino tecta. Corpus subtus virescens, pube holosericea, plumbea, certo situ argenteo-micante, tectum. Pedes longiusculi testacei, femoribus clavatis, extrorsum virescentibus.

15. D.

15. D. Fennica p. 668. *Schönh. Syn.* 3. 98. 24. *Donacia Arundinis*, *Ahrens Faun. Ins. Eur.* 2. *f.* 12. *dito Nov. Act. Hall.* 1. 3. 41. 22. *Germar ibid.* 1. 6. 34. 22. *Kunze ibid.* 2. 4. 50. 22.

16. D Zosterae p. 669.

Obs. Monente Dom. Schüppel et consensu plurium Entomologorum, species hic ut a, descripta, vera est Donacia Equiseti Fabricii, et var. b, specie distincta, ejusdem Donacia Zosterae, quare sic distinguendae.

D. Equiseti: nigra, ore, thorace, elytris pedibusque flavo-testaceis, elytris apice bidentatis, dente exteriore longiore acuto, striis elytrorum fere totis nigro-punctatis, pedibus nigro-geniculatis.

Fabr. S. Eleut. 2. 127. 2. *Ahrens Nov. Act. Hall.* 13. 44. 25. *Germar ibid.* 1. 6. 34. 25. *Kunze ibid.* 2. 4. 51. 25.

Donacia appendiculata, *Panz. Fn.* 24. *f.* 17.

Donacia Zosterae, *Gyll. Ins. Sv.* 3. 669. 16. *α*. *Schönh. Syn.* 3. 98. 25, *α et var. γ*.

Habitat in Finlandiae aquosis rarius.

17. D. Zosterae: nigra, ore, thorace, elytris pedibusque flavo-testaceis, elytrorum angulo apicis externo spinula breviore armato, illorum striis interioribus tantum nigro-punctatis, tarsis fusco-annulatis.

Fabr. S. Eleut. 2. 127. 3. *Kunze Nov. Act. Hall.* 2. 4. 52. *a. Fallén.*

Obs. Ent. 1. p. 16. Gyll. Ins. Sv. 3. 669. 16. var. b. Schönh. Syn. 3. 98. 25. var. *β*.

Ha-

Habitat in Scaniae et Bahusiae maritimis; ad Insulam Aspere Bahusiae semel immensam hujus Insecti copiam vidi, primo in argilla littorali inter plantas marinas reptantes, et denuo aqua crescente in ipsis undis natantes et sese copulantes.

Praecedenti simillima, sed plus duplo minor. Caput et antennae ut in priori. Thorax flavo-testaceus, angulis anticis minus prominulis; lineolae nigrae dorsales obsoletiores et saepius desunt, praesertim in masculis. Elytra paulo magis convexa quam in priori; spinula apicis in angulo exteriore multo brevior, minus acuta, angulus interior aut rotundatus aut subrectus, non prominulus; puncta striarum in elytris minora, anterius et interne tantum nigro colore inducta. Tarsuum articuli apice infuscati, non nigri ut in priori, nec genua nigra ut in illa.]

Obs. In utraque specie tarsuum structura alia, quam in caeteris hujus generis speciebus, ut observavit Dom. Prof. Dalman; articulus tertius enim parvus, brevissimus, non bilobus, nec subtus spongiosus; articulus unguicularis e contra longissimus, elevatus vel apice incrassatus. Vivendi ratio sub et in ipsa aqua etiam a caeteris discedit, quare forte proprii generis.

Index Alphabeticus

in

L. Gyllenhalii Insecta Svecica,

Genera, Species et Synonyma omnia, in toto opere memorata, continens.

Obs. Nomina specifica, asterisco (*) praefixo notata, a nobis ut genuina usitata.

ater-

Allecula. II. 539.

Amara (Harpalus).

Scro-

ono-

*lu-

scu-

albo-

Carabus. II. 53. *IV.* 422.

cos-

vesti-

Armo-

Cicindela. II. 2. IV. 396.

4-ma-

femo-

cylin-

Cossyphus. II. 576. IV. 516.

Crioceris.

Cryptocephalus. III. 593. IV. 666.

bi-no-

Dermestes. I. 145.

pusil-

Diaperis. II. 549. *IV.* 511.

Dircaea. II. 516. *IV.* 509.

Dolichus (Harpalus).

Donacia. III. 646. *IV.* 672.

* cras-

Hüb-

*cylin-

Elmis (Limnius).

Elophorus. I. 125.

* lu-

Harpalus. II. 79. IV. 424.

*bi-

pelid-

Helodes. III. 498.

Helops. II. 537.

Schnei-

Heterocerus. I. 137.

Hispa. III. 448.

Hister. I. 74.

*hyber-

Lesteva (Anthophagus).

Licinus. II. 73.

Ligniperda.

Limnius. I. 551. IV. 395.

Lixus. III. 62. IV. 553.

sulci-

Necro-

Notaphus (Bembidium).

Noterus (Dytiscus).

Notiophilus (Elaphrus).

Notoxus. I. 311.

Obrium (Callidium).

Ochthebius (Elophorus).

Odacan-

Opho-

Pana-

Platy-

muti-

* Coma-

Bac-

Sabu-

Scarites.

Scolytus. IV. app. 419.

Scraptica (Dircaea).

Scydmoenus. I. 284. *IV.* 319.

Scymnus (Coccinella).

Scyrtes (Cyphon).


Serrocerus (Ptilinus).

Serropalpus. II. 515. *IV.* 509.

4-pun-

Emendanda.

Pag. 132. lin. 12. Derm. mitutus lege: minutus.
- 215. Coccidula lege: Cacidula.
- 284. lin. 5. Bytyrus lege: Butyrus.
- 311. lin. 20. Ptomophagus lege: Ptomaphagus.
- 334 et 335. Xylecoethus lege: Hylecoethus.
- 336. lin. 1. aurea lege: Aurora.
- 349. lin. 25. Campytus lege: Campylus.
- 376. lin. 11. Humnal lege: Hummel.
- 395. lin. 27. Elonis lege: Elmis.
- 428. lin. 12. Sternis lege: Stomis.
- 447. lin. 24. Proscus lege: Broscus.


SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES
3 9088 00830 6722